

32.

Flaminis Sonnus Regat Me.

DES. ERASMI ROTERODAMI DE DVPLICI COPIA VERBORVM AC RERVM

commentarij duo, multa acceßione nouisq; formulis locupletati.

VNA CVM COMMENTARIIS M. VELTKIRCHII ORATOriæ professoris in scola Vuitembergensi, iam recens natis ac editis.

Sum ex libris Felicis Spitzij Anno 1655.

LIPSIAE
IN OFFICINA VALENTINI PAPAE.

ANNO
M. D. L.
Mense Iulio.

14092

Zbiornica
Księgozbiorów Zabezpieczonych
Stalingrodzie

1766 B 1953

ſum, adhæc domeſticam etiam ſupellectilem profundere maluiſti, quàm ullum mortalem in iſtius gloriæ partem admittere. Quæſo, quid iſtud eſt aliud, quàm in uniuerſos tuorum liberos, in uniuerſos ciues animum plus quàm paternum gerere? Teipſum ſpolias, ut illos locuples tes. Teipſum nudas, ut illos ornes. Teipſum laboribus conficis, quo tua ſoboles uegeta ſit in Chriſto. Breuiter totum te impendis, ut illos Chriſto lucrifacias. Nimium profectò ſit inuidus, qui talia conanti non impenſiſsime faueat: Impius, qui reclamet & obſtrepat: Hoſtis Angliæ, qui non pro ſua uiríli, adiumenti aliquid cõferre ſtudeat. Ego ſanè non ignarus, & quantum Angliæ debeã publicè, & quantopere tibi priuatim ſim obnoxius, officij mei ſum arbitratus literarium aliquod munuſculum in ornamentum ſcolæ tuæ conferre. Itaque duos hos nouos de Copia commentarios, nouæ ſcolæ nuncupare uiſum eſt, opus uidelicet cum aptum puerítiæ, tum non infrugiferum, ni fallor, futurum. Sed quantum habeat eruditionis, quantúm-

ue sit utilitatis allaturus hic labor meus, aliorum esto iudicium. Illud uerè sume re mihi possum, argumentum hoc à me primum & excogitatum & proditum fuisse. Nam quod Iulius Pollux Græcus et antiquus autor, singularum rerum uo cabula per locos digesserit, & synonyma quædã ac finitima uelut in aceruos con gesserit, quis non uidet, quàm id sit à no stro instituto alienum? Neq; enim Iso doros, Marios, aut Philiscos libet com memorare homines in tantum alienos à copia, ut ne semel quidem quæ sentiunt, Latine possint efferre. Iam uerò libellus ille, qui Ciceroni inscribitur (ego magis ab aliquo Ciceronis studioso, ex illius scriptis collectum arbitror) quæso, quid aliud habet, quàm tumultuariam pauca rum uocum congeriem? Nos formulas quasdam copiæ, ceu fontes ostendere su mus conati, sic ut à generalibus per gra dus ad particulares deueniremns. Quã quam & fateor, & doleo huic operi iu stam curam defuisse: Siquidem olim ru dem materiam in futurum opus conges seramus, ad quam expoliendam plurí

morum

morum autorum lectione uidebam opus fore. Itaque non admodum erat in animo edere. Verum quum intellexissem quosdam his commentarijs insidiari, parumq; abfuisse, quin incastigatissimos etiam ediderint, coactus sum utcunque emendatos in lucem emittere. nam id malum uisum est leuius. Bene uale Colete optime. Londini, Anno M. D. XII. III. Cal. Maias.

INDEX CAPITVM PRIMI COMMENTARII, qui est de copia uerborum.

Periculosam esse copiæ affectationẽ 1
A qbus inuenta, & à quibus exercitata copia 4
Autores quemadmodum luserint ostẽtatione copiæ 6
Quibus uitio data copia immodica 8
Eiusdẽ artificis esse breuiter & copiose dicere 9
De stultè affectantibus, uel breuitatem, uel copiam 11
Duplicem esse copiam 11
Quas ad res cõferat hæc exercitatio 14
Quibus exercendi rationibus hæc facultas paretur 24
Prima præceptio de copia 27
Prima uariãdi ratio per synonymiam 32
Vocabula sordida 35
Inusitata 35. Poëtica 36.
Prisca 37. Obsoleta 37.
Dura 39. Peregrina 39.
Obscœn. 40. Nouata 41
Aetatũ ppria uocab. 50
Ratio uariãdi per Enallagẽ, siue ἑτέρωσιν 54
Variatur numerus 56
Persona 57. Genus 58.
Casus ibid. Species 59.
Figura ibid. Tẽpus 60.
Modus ibid. Declinatio 61. Coniugatio 61
Variandi ratio per antonomasiam 64
Variandi ratio per periphrasin 66
Etymologia 67. Notatione 67. Finitionéq; facta uaria 67
Variandi ratio per metaphoram 68
Deflexio ibid.
Ab irrationali ad rat. 69
Ab animali ad non animal, aut contra 69

Ab

Corrigẽdi ſanãdiq; 167
Blandiendi ſiue hortandi ibid.
Tua cauſſa 168
Vtrum nec ne ibid.
Concedendi 169
Parum abeſſe ibid.
Incertitudinis 170
Correctionis & occupationis formulæ ibid.
Autores citandi for. 171
Variatio imp. modi 172
Variatio futuri ibid.
De periphraſi generali uerborum 173
De modo potentiali ibi.
Aeſtimandi uerba 174
Emendi formulæ & ſimilia 175
Diſcriminis form. 176
Affirmandi form. ibid.
Accuſandi formulæ 177
Formæ utilitatis 178
Præſagij formulæ 180
Officiendi formulæ 182
Functionis form. ib.
Quibus modis tribuimus aliquid 183
Titulorum uariatio 184
Gratulandi uerba ibid.
Gratias agendi 185
Referendi beneficiũ ib.
Originis uerba 186
Penſandi uerba 187
Aptitudinis form. 188
Ablegandi uerba 189
Proficiſcendi uerba ib.
Conatus ibid.
Explicandi & implicandi uerba 190
Verba finis ſeu propoſiti 191
Qua eſt impudentia ib.
Quàm ut, quàm qui 192
Bene eſt ibid
Mea ſententia ibid.
Plus & plus quàm 193
Ad ſummũ, Vt mini. 194
Morẽ gerẽdi uerba ibi.
Rogandi 194
Ignoſcendi ibid.
Abrogandi 195
Ornandi uerba ibid.
Inter cœnam ibid.
Poſt cœnam ibid.
Similitudin. uerba 196
Mutui ibid. Fallẽdi 197
Eſt amicus &c. ibid.

Spe=

Sperandi uerba 198
Ad uerbum ibid.
Ironiæ uerba ibid.
Extrahere diem ibid.
Paratum ac facile 199
Depellendi ibid.
Agnoscendi ibid.
Ab adolescentia ibid.
Accurate ibid.
Perficiendi 200
Committendi ibid.
Amandi ibid.
Cupiendi 201
Male precãdi uerba ib.
Pollicendi 202
Principatus 203
Ludorũ uocabula ibid.
Agere delectum 204
Adimendi honorem ib.
Persuadendi ibid.
Inferẽdi seu ratiocin. ib.
Nil nisi 205
Laudandi ac uitup. ibid.
Summæ 206
Perdendæ operæ 207
Fructus ibid.
Impudentiæ ibid.
Affectandi uerba 208
Ignorãdi aut contra ib.
Turpe est, et simul ibid.
Quin &, Vt non ibid.
Id quod, quod. Ita ut, ut 209
Amplificandi uerba ib.
Reciproca constructio quorundam ibid.
Non contentus ibid.
Satisfaciendi uerba ib.
Impunitatis, aut contra 210 (ibid.
Suadendi aut consulendi
Prudens 211
Caussæ ibid.
Dierum notatio ibid.
De numeralibus 212
Aduerbia temporis 214
Annumerandi 217
Initij ac finis ibid.
Maior opinione 219
Contingendi uerba ib.
Refugiendi ibid.
Officiorũ uocabula 220
Studij ibid.
Vitiandi 221
Solitudinis ibid.
Sensus 222
Præstandi re ibid.
Pœnitendi ibid.

Diffi-

Dissidij 223
Reconciliandi ibid.
Sapit, aut contra 224
Excipiendi siue excludendi ibid.
Vtuis, aut contra 225
Comperta ibid.
Copia 226
Indicta causſa ibid.
Prosperitatis aut contra ibid.
Antiquitatis 227
Totum 228
Perspicuitatis ibid.
Nobilitatis & cõtra ib.
Violentiæ 229
Rumoris ibid.
Exempli 230
Internetionis ibid.
Atrox ibid.
Rigoris 231
Ascribendi & imputandi ibid.
Addictionis 232
Facultatis ibid.
Iurandi 233
Dictandi 234
Tempestiue &c. ibid.
Ante tempus 235
Post tempus 236
Celeritatis ibid.
Spaciũ loci exiguũ 237
Spaciũ magnum loci aut temporis ibid.
Metuendi 238
Aptitudinis aut cont. ib.
Moriendi 239
Mortis spontaneæ 240
Mortis adactæ 241
Proposiți ibid.
Periculi imminẽtis ibid.
Facile, difficile 242
Prætextus ibid.
Temeritatis 243
Exequiarum ibid.
Consuetudinis aut contra ibid.
Tarditatis 244
Non ultra ibid.

INDEX COMmentarij secundi, qui est de rerum Copia.

PRima locupletandi ratio 245
Rẽ uniuersam luxu perdidit ibid.
Cyclopædiam absoluit (246

Omni=

Omnibus naturæ, fortunæq; dotibus præditus 247
Totus commaduit 249
Secunda uar. ratio 256
Ex ea uirgine filium sustulit ibid.
Vrbem cepit 257
Tertia ratio uar. 258
Quarta ratio 268
Quinta ratio 270
Descriptio rei 271
Descriptio ꝑsonæ 277
Descriptio loci 283
Descriptio tẽporis 284
Egressio, q̃ est sexta locupletandi ratio 290
Septima ratio 292
Octaua locupletandi ratio 294
Nona dilatandi seu locupletandi ratio 300
Decima dilatandi ratio 309
Vndecima ratio 327
Loci communes 328
Quomodo tractãda sint exempla 334
Secundus modus locupletandi 335
De exem. fabuloso 337
Tertius modus locupletandi exempla 344
De parabola 349
De imagine 354
De contentione demonstratiua 356
De iudicijs 358
De sententijs ibid.
De expolitione 364
De apologis 374
De somnijs 377
De fictis narrationibus ibid.
De allegorijs Theologicis 378
De ratiõe colligendi exempla 384
De partiũ Rhetoricarũ multiplicatione 414
Epilogus operis 431
Quid utrobiq;, hoc est, tam in breuitate, quàm in copia uitandum sit 432
Peroratio 434

DES.

auditorem a commendatione & laude copiæ. Atque sic emeretur beneuolentiam lectoris, in cuius gratiam & usum utilissima se præcepta traditurum esse de copia utraque promittit. Deinde in capite 7. plenius proponit & definit utranque copiam, & primaria capita enumerat. Reliqua ergo nobis progredientibus se offerent: adeo ut superuacaneum sit prolixum huius operis encomium decantare, cuius utilitatem studiosi, tum demum nō modo gustabunt, sed plene abundeq; haurient, cum ipsi imitatione & sedulo usu tales regulas copiose dicēdi sibi fecerint familiares. Nam quæ uel a Grāmaticis sparsim, uel a nōnullis Dialecticis argute, uel a multis Rhetoribus prolixe tradita sunt præcepta de copia, & promtitudine, facilitateq; dicendi: Latine & perspicue illa Erasmus in unū suū Commentarium non solum clare colligit, uerumetiam exemplis & experimentis comprobat. Quæ docendi ratio maxime quadrat ad iuuenilem captum.

IN CAPVT I.

PRima commendatio Copiæ a difficultate: quæ enim pulcra sunt, difficilia sunt. Incipit autem a comparatione. De laude copiosæ orationis abunde est apud Ciceronem in præfatione Oratoris ad Q. Fratrem, & apud Fabium in fine 12. Adire Corinthū) id est, rem difficilem assequi, uide Gellium in libro 1. cap. 8. Æmulantes) iuxta illud: Stulti dum uitant uitia, in contraria currunt. Quæ res) id est, difficultas. Ratio-

tiones) id est, regulas. Exempla) id est, experientias. Formulas) scilicet synonymię. Libro) id est, unico cõmentario. Omnẽ rem) scilicet tam late patentem. Absolute) id est, perfecte. Commentariolo) id est, extemporaneo scripto uel indice. Viam) scilicet ad plura quærenda. Siluam) id est, materiam rudem & impolitam. Manarit) id est, prouenerit. Grauioribus) scilicet theologicis.

A QVIBVS INVENTA, ET A quibus exercitata Copia. Cap. II.

Porrò ne quis hoc inuentum tanquam neotericum, ac nuper domi nostræ natũ aspernandum existimet, sciat hanc orationis uariandæ rationem, ab homine doctiss. pariter & diligentißimo Quintiliano locis aliquot leuiter attingi, & nobiles aliquot Sophistas in compendium contrahendi sermonis uiam ostendisse. Quod facere nequaquam poterant, nisi pariter & explicandi ratione demonstrata. Quorum si libri extarent, aut si quod admonuit Fabius, ad plenum tradere uoluisset, non admodum futurũ erat opus ijs meis præceptiunculis. Accedit ad huius negocij commendationem, quod neutiquã piguit uiros omneis doctrinæ principes diligenter in hoc genere exerceri. Siquidem extant etiamnum mirabiles aliquot Maronis experientiæ de speculo, de fluuio gelu concreto, de iride, de solis exortu, de quatuor anni partibus, de signis cœlestibus. Idem satis indicat apologus ille Aesopicus de uulpe & cor-

uo,

uo, quem Apuleius mira uerborum parsimonia perstringit, & eundem plurimis uerbis quàm fusissimè explicat, exercendi uidelicet ostentandique ingenij gratia. Sed age quem tandem posßit posthac huius studij pœnitere, qui Ciceronem uideat illum omnis eloquentiæ parentem, adeo huic exercitationi indulsisse, ut cum Mimo Roscio familiari suo solitus sit contendere, utrum ille sæpius eandẽ sententiam uarijs gestibus effingeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronunciaret.

IN CAPVT II.

Secunda commendatio & laus copiæ ab inuentoribus copię & ab autoribus qui eam exercuerunt, non tantum per lusum, uerum & serio in grauibus argumentis, iuxta & minutis. Neotericum) id est, nouitium. Aliquot) ut in 8. lib. cap. 2. & in 10. lib. cap. 1. Nam Quintilianus in eo lib. 10. peculiariter docet & ostendit modum bene discendi & studendi, qua ratione acquiratur uerborum, orationis ac rerum copia, quæ fluit ex uerborum & rerum scientia, quam suppeditat multa optimorum autorum lectio. Copiam uero instruit imitatio & scriptio. Sophistas) scilicet Græcos. Explicandi) scilicet per copiam, quia contrariorum eadem est doctrina. Adplenum) ut etiam regulas & præcepta de copia ostendisset, non solum exempla. Apuleius) in floridis. Sed age) ab autoritate Cicer. Gestibus) scilicet corporis. Vt cum Mimo) uide Plutarchum in Cicerone.

AVTORES QVEMADMODVM LV serint ostentatione Copiæ. Cap. III.

QVid quod ijdem autores non in palestra solũ, uerumetiam in opere serio nonnunquam ostentanda copia luserunt, dum rem eandẽ nunc ita cohibent, ut adimere nihil queas, nunc ita locupletant dilatántque, ut nihil possis adiungere. Homerus teste Fabio, utraque iuxta re mirabilis est, tum copia, tum breuitate. Quanquã in præsenti animus non est exempla persequi, tamen unum atque alterum ex uno Virgilio proferemus. A quo quid breuius dici potuit, quàm illud: Et campus ubi Troia fuit? Pauciſsimis uerbis ut ait Macrobius, ciuitatem hausit & absorpsit, ne ruina quidem relicta. Rursum hoc ipsum audi quàm copiosè?

Virgilius in 2 Aeneidos

Venit summa dies & ineluctabile fatum
Dardaniæ, fuimus Troès, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit, incensa Danai dominantur in urbe.
O patria, ô diuûm domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare labores?
Quis fons, qs torrens, quod mare tot fluctibus, quot hic uerbis inundauit? Verum hoc exemplum ad sententiarum copiam magis referendum alicui uideatur. Lusit & uerborum luxurie, cum ait:
Superátne & uescitur aura
Aetherea? nec adhuc crudelib. occupat umbris?

Sed

Sed hoc Nasoni familiarius est, ita ut eo nomine taxatus sit, quòd in copia modum non teneat. At taxatus à Seneca, cuius totam dictionem damnant Fabius, Suetonius, & Aulus Gellius.

IN CAPVT III.

Palestra) id est, tanquã per lusum. Cohibent) id est, breuiter perstringunt uel efferunt. Locupletant) id est, copiosè explicant. Teste Fab.) in 10. cap. 1. Quanquam) quia sigillatim exempla indicare & persequi, pertinet ad iustam interpretationem autorũ, uel ad collationem autorũ, qui breuiter & qui copiosè scripserint, ut si quis conferat uitas Græcorũ imperatorum ab Æmilio Probo scriptas, cum illis quas Plutarchus enarrat. Illud in 3. Æneid. Macrob. in 5. cap. 1. Sat. Ne ruina) quia id quod fuit iam non supereſt. Hoc ipsum) de excidio Troiæ. Explicat) scilicet in 2. Æneid. Dies) Circunstantia temporis. Fatum ineluctabile) id est, excidium, uel exitium fatale: 2. circunstantia. Fuimus Troës) Synonymia, nam idem significant illa tria. Ilium) Est in diuiduum. Dardanidum) id est, Troianorũ, & est patronymicum. Ferus omnia) a caussa efficiente, non fuit humanarum uirium excindere tantam urbem nisi peculiari fato. Ferus) male propitius. Argos) id est, ad Græcos. Incensa) alia caussa efficiens. O patria) affectus ab exclamatione. Quis cladem) amplificatio a signis. Illius noctis) scilicet qua capta est Troia. Labores) id est, calamitatem. Quis fons) uerba Macrobij. Hic) id est, Virgilius. Sententiarũ) scilicet, quia

continet enumerationē caussarum & distributionē. Luxurie) id est, copia. Superatne) id est, superstes ne est. Vescitur aura) Periphrasis sumta ab effectu uel signo, spiratne, quia omne spirās uiuit, & omne uiuens spirat. Nec adhuc) Synonymia ex opposito. Sed hoc) scilicet uti copia uerborum. Nasoni) id est, Ouidio. Non teneat) Exempla huiusmodi uerborum copiæ multa sunt in Metamor. ubi Ouidius in opere serio, tamen non abstinet ab ostentatiōe copiæ, ut in 13. lib. in querela Hecubæ. Cuius) id est, Senecæ. Fabius) in 10. cap. 1. ad finem. Suetonius) in libello de Rhetorica. Gellius) 12. cap. 2.

QVIBVS VITIO DATA immodica Copia. Cap. IIII.

NEque quicquam mea refert, si quibus uel immodica uel perperā affectata copia uitio data est. Nā in Stesichoro Quintilianus notat nimis effusam et redundantem copiam: sed ita notat, ut uitium esse fateatur non admodum refugiendum. Aeschylo probro datur in uetere comœdia, quod bis idē dixerit ἥκω ⓒ κατέρχομαι. *Interdum Seneca uix fert Maronem eundem sensum bis aut ter accinentem. Et ne frustra longum catalogum recenseam, non defuerunt qui M. etiam Tullium, ut Asianum ac redundantem, nimiáq; luxuriantem copia damnarent. Sed hæc ut dixi, nihil ad me pertinent, qui quidem non quomodo scribendum aut dicendum sit præscribo, sed quid ad exercitationem faciat, ostendo: ubi quis nescit omnia iusto maiora esse debere. Deinde adolescen-*

lescentiam instruo, in qua Fabio non displicet orationis luxuries, propterea quod facile, quæ supersunt, iudicio resecentur, quædam etiam ætas ipsa deterat, quum interim tenuitati atque inopiæ, nulla ratione mederi queas.

IN CAPVT IIII.

Expolitio a contrario, quod liceat quandoq; liberius etiam usurpare copiam præsertim iuueni. Stesichoro) Poëtæ Lyrico, qui est unus ex antiquis Lyricis, cuius tamen nihil extat. Æschylo) Poëtæ Tragico qui longe post Stesichorum fuit. ἵκω &c.) de hoc uide Gellium in 13. capite 13. ubi citat locum ex Aristophane: Asianum) id est, immodice copiosum, uide Fabium lib. 10. cap. 1. & in 12. cap. 10. Fabio) in libro 10. in cap. 3. & 4. & apud Ciceronem, in primo de Oratore. Tenuitati) id est, breuitati nimiæ. Quædam etiam) Sic Cic. in prologo Bruti testatur suam orationē canescere, et quodammodo deferuescere.

EIVSDEM ARTIFICIS ESSE BREuiter & copiose dicere. Cap. V.

IAm si qui sunt, quibus usque adeo placet Menelaus ille Homericus οὐ πολύμιθος, rursum displicet Vlysses fluminis instar hybernis aucti niuibus ruens: si quos impendio Laconismus ille, & breuiloquentia delectat, ne hi quidem nostro labori debent obstrepere, quippe quem nec ipsi sint infrugiferum experturi, propterea quòd ab eadem ratione proficisci uideatur, ut uel breuissimè dicas, uel copiosissimè. Siquidem quemadmodum argutè Socra

tes apud Platonem colligit, eiusdem hominis esse scire seu mentiri, seu uerum dicere: ita nõ alius artifex melius ad breuitatem arctabit orationem, quàm qui calleat eandem quàm maximè uaria suppellectile locupletare. Nam quantum ad uerborum attinet breuitatem, quis constrictius dixerit, quàm is cui promptum sit ex immenso uerborum agmine, ex omni figurarum genere statim deligere, quod sit ad breuitatem accommodatissimum? Rursum quantum ad sententiæ breuitatẽ, cui magis in manu fuerit rem quã pauciss imis expedire uerbis, quàm qui cognitum ac meditatũ habeat, quæ sint in caussa præcipua, quæsiq; columnæ, quæ proxima, quæ locupletandi negocij gratia sunt ascita? Nemo certe citius certiúsq; uidebit, quid citrà incommodum possit omitti, quàm is qui quid quibus modis addi possit, uiderit.

IN CAPVT V.

Altera expolitio ex contrariis per exemplum Homericum, de quo Gellius in 7. cap. 14. & admonet hic eiusdem artificis esse, breuiter & copiose dicere. Breuem quidem orationem Dialect. disponit, copiosam uero instruit Rhetorica. Οὐ πολύμυθον) id est, non multiloquus, nõ uerbosus. Laconismus) id est, breuiloquentia, quali gaudebant Lacones, ut scribit Plutarchus quoque in Lycurgo. Siquidem) probat a χρείᾳ Socratis. Ascita) hoc Dialect. est officium uidere quæ omitti uel non omitti possunt commode in tractanda caussa.

De

DE STVLTE AFFECTANTIBVS uel breuitatem uel copiam. Cap. VI.

QVod si casu uel huc, uel illuc ducimur, periculum est, ne nobis usu ueniat, quod quibusdã Laconismi κακοζήλοις uidemus euenire. Qui cum pauca dixerint, tamen in ipsis paucis multa supersunt, ne dicam omnia. Sicut è diuerso imperitis Copiæ affectatoribus euenit, ut quum immodicè loquaces sint, tamen parum dicant, multa nimirum dictu necessaria prætereuntes. Nostræ igitur præceptiones eò spectabunt, ut ita rei summam quàm pauciss. mis cõplecti possis, ut nihil desit: ita Copia dilates, ut nihil redundet tamen: liberúmque tibi sit cognita ratione uel Laconismum æmulari si libeat, uel Asianam illam exuberantiam imitari, uel Rhodiensem mediocritatem exprimere.

IN CAPVT VI.

Qui modus in copia sit seruandus, ne aberret in uanam loquentiã & futilem loquacitatem. Huc) ad breuitatem. Illuc) id est, ad copiam. κακοζήλοις) id est, affectatoribus incautis. Ne dicam omnia) quia sunt inepta. Prætereuntes) scilicet, & tantum superuacua ingerentes. Quam pauciss.mis) id est, Dialect. Dilates) scilicet Rhetorice. Ratione) id est, arte & prudentia. Mediocritatem) quia Rhodiũ genus dicendi erat medium inter breue & copiosum. Vide Macrobium in libro quinto.

DVPLICEM ESSE COPIAM. Caput VII.

Porrò

Porrò duplicem esse Copiam non arbitror obscurũ esse uel Fabio declarante, qui inter cæteras Pindari uirtutes præcipue miratur beatißimam illam rerum uerborúmque copiam. Quarum altera consistit in Synonymia, in Heterosi, in Enallage uocum, in Metaphoris, in mutatiõe figuræ, in Isodynamijs, reliquisq; id genus uariandi rationibus. Altera in congerendis, dilatandis, amplificandis argumentis, exemplis, collationibus, similibus, dißimilibus, contrarijs, atq; alijs hoc genus modis, quos suo loco reddemus accuratius, sita est. Hæ quanquam alicubi sic coniunctæ uideri possunt, ut haud facile dignoscas, ita alteri inseruit altera, ut præceptis potius quàm re atque usu discretæ uideantur, nos tamen docendi gratia ita separabimus, ut neq; supersstitionis in secando, neque rursum negligentiæ merito damnari posßimus.

IN CAPVT VII.

Septimo hoc capite docilem reddit Erasmus lectorem, breuiter & perspicue proponens partitionem totius operis huius & materiæ institutæ, scilicet, duplicem esse copiam, nempe uerborum ac rerum. Copia uerborum est promta facultas eiusdem sententiæ uariandæ multipliciter, & hæc prorsum fluit ex scientia uerborum, quam studioso suppeditant, primum Grammatica, deinde lectio diligens obseruatioq; bonorum & præcipue copiosorum autorum. Deniq; usus Latine loquendi familiaris et quotidianus. Constat autem hęc prior copia in uerborum delectu

lectu potiſsimum, ut infra eodem cap. 10. & ſequenti oſtendam, quia uerborum alia ſunt propria, alia ſynonyma, alia figurata. Quanquam ſint & aliæ uocabulorum differentiæ. Sicut autem ex literis connexis fiunt ſyllabæ, ex ſyllabis fiunt dictiones, ita ex dictionibus componitur oratio perfecta, plenum ſenſum referens. Cæterum ſicut uocabula ſunt uaria, ita & oratio. Eſt autē uniformis, aut multiformis & uaria, prout oratio alia eſt breuis, alia longa, pro dicentis arbitrio. Verum in genere ſeptem ſunt capita Copiæ uerborum, de quibus præcipitur a capit. 10. uſque in 13. Primum caput eſt Synonymia duplex, ſcilicet uerborum, de qua in capit. 10. & ſequentibus duobus, & Synonymia conſtructionis, de qua in cap. 31. Ad hanc refertur etiā æquipollentia triplex, de qua in capit. 24. & ſequentibus duobus. Secundum caput eſt Heteroſis uel Enallage partis aut accidentis, de qua infra eodem cap. 13. Tertium cap. eſt Metaplaſmus, hoc eſt, ſchema orthographiæ aut proſodiæ, in uerſu uſitatius quam in proſa. De hac infra in fine capit. 13. Quartum caput eſt tropus dictionis, & Metaphora cum ſuis partibus, infra eodem cap. 14. Quintum caput eſt tropus orationis, ut allegoria, ironia, infra eodem cap. 18. Sextum caput eſt ſchema dictionis primi ordinis, qualia attingit tantum cap. 30. Ad cuius finē admonet quoque de connectendis aut reſoluendis commatibus, menſuris, & periodis. Septimum caput eſt ſchema orationis ſecundi ordinis, qualia itē attingit caput 32. quia ut metaplaſmi a Grammaticis,

cis, ita schemata dictionis & orationis a Rhetoribus tractantur copiosius. Atq; septem hæc capita copiæ uerborum in uniuersum referri possunt ad triplicem synonymiam, scilicet uerborum, constructionis, & figurarum. Nam hęc copia trifariam orationem mutat & uariat: primo commutatis uerbis, secundo commutata constructione, tertio commutatis figuris atq; schematibus, quæ tria tamen eandem sententiam referunt alijs & alijs uerbis. Et in hunc modum propositū habemus breuē indicem primi commentarij. Declarante Fabio) scilicet in libro 10. cap. 1. Altera) scilicet uerborum copia. Synonymia) de qua in cap. 11. & 12. Mutatione figuræ) id est, schematibus dictionis infra cap. 20. uel in schematibus orationis infra cap. 32. Isodynamijs) id est, æquipollentijs infra cap. 24. Altera) scilicet rerum copia. Hæ) scilicet duæ copiæ. In secando) id est, discernendo. Ad finem capitis addita. Copia uerborū non auget quidem corpus orationis & materiam, sed tantum uariat fingitq; orationem & uerba: sed copia rerum auget ipsum corpus orationis, & materiam dilatat, prolixiusq; explicat.

QVAS AD RES CONFERAT *hæc exercitatio.* Cap. VIII.

NVnc quo studiosa iuuentus propensioribus animis in hoc studiū incumbat, quas ad res conducat, paucis aperiemus. Principio quidē in totum ad phrasim illam non parum adferet momenti hæc uariandi orationis exercitatio. Peculiariter autem

conse-

conferet ad uitandã ταυτολογίαν, uitium cum fœdum, tum odiosum. Ea est eiusdem uerbi aut sermonis iteratio. Neque raro usu uenit, ut idem nobis crebrius sit dicendum. Vbi si destituti copia, aut hæsitabimus, aut κόκκυγ& in morem eadem identidem occinemus, neq; poterimus sententiæ colores alios, aliósque uultus dare, pariter et ipsi ridiculi erimus, nostram prodentes infantiam, & tædio miseros auditores enecabimus. Est ταυτολογία peior ὁμοιολογία, quemadmodum Fabius ait, quæ nulla uarietatis gratia leuat tædium, estq; tota coloris unius. Quis autem est auribus usque adeo patientibus, ut uel paulisper ferat orationem ubique sui similem? Tantam ubique uim habet uarietas, ut nihil omnino tam nitidum sit, quod non squalere uideatur citra huius commendationem. Gaudet ipsa natura uel in primis uarietate, quæ in tam immensa rerum turba nihil usquam reliquit, quod non admirabili quodam uarietatis artificio depinxerit. Et sicut oculi diuersarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper animus circunspectat, in quod se ueluti nouum intendat. Cui si cuncta sui similia occurrant undique, tædio protinus auertitur. Atque ita perit totus simul orationis fructus. Hoc igitur tantum malum facilè uitabit, cui promtum erit sententiam eandem in plureis formas uertere, quàm Proteus ipse se transformasse dicitur. Neque uerò mediocriter conferet hæc exercitatio ad extemporalem uel dicendi, uel scribendi facultatem, præstabitque ne subinde uel

hæsi-

hæsitemus attoniti, uel turpiter interfileamus. Neq; difficile fuerit, uel temerè cœptam orationem commodè ad id quod uolumus deflectere, tot formulis in procinctu paratis. Præterea in enarrandis autoribus, in uertendis ex aliena lingua libris, in scribendo carmine, non parum adiumenti nobis attulerit. Siquidem in ijs, nisi erimus his instructi rationibus, sæpenumero reperiemur aut perplexi, aut duri, aut muti denique.

IN CAPVT VIII.

Tertia laus & commendatio Copiæ ostendi tur hoc capite 8. ab immensis eius utilitatibus et commodis. Nam utraque copia adfert omnino quatuor utilitates: quia prima copia ualet ad Latinam, emendatam, perspicuam atq; ornatam rationem dicendi, & hic finis est ei cum Grammatica & Rhetorica cõmunis. Secundo ualet ad euitanda elocutionis, hoc est, uerborum atque rerum uitia. Tertio ualet ad extemporalem facundiam, facilem, & emendatam acquirendam, cuius est plurimus usus in scholasticis, seriis & forensibus quoq; negocijs, & quæ facultas magnã laudem cum dignitate adfert dicendi, ut Fabius in 10. cap. ultimo indicat. Quarto ualet ad exponendos & intelligendos autores. Ad hæc ergo quatuor studiosis necessaria est utraq; copia, id quod uberius paulo iam libet explicare, cũ requirat hoc præsentis capitis materia. Latinitas consistit in uerbis propriis, & significãtibus, & in Grammatica, congruaq; uerborum

borum constructione. Perspicuitas cõstat item proprietate & facili æquabilique compositione sermonis secundum commata, membra, & periodos. De qua infra eodem in fine cap. 30. & Fabius in 8. cap. 21. Ornatus uero est in figuris Grãmat. & Rhet. de quo Fabius in 8. cap. 3. & sequenti: & hæc tria, ut dixi, spectant ad primam utilitatem copiæ. Porro uitia in oratione sunt, aut rerum aut uerborum. Vitia rerum, hoc est, inuentionis, cum sint quidem innumera, tamen his sex generibus comprehenduntur, quæ sunt falsum, stultum, contrarium, commune, superuacuum, ineptum. De his Fabius in 3. cap. Atq; hæc rerum uitia cauere docet Dialect. aperiens locos sophisticos, quibus incautiores decipiuntur, sed cauti ex his se facile explicant, discernentes inter uerum & falsum, inter certa & dubia. Huc etiam requiritur certa scientia rerum, petita ex philosophia, secundum illud Horatij: Scribendi recte sapere est principium & fons. Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ: Et quid sit pulcrum, quid turpe quid utile, quid non. Verborum deinde uitia referuntur in hæc tria genera, scilicet barbarum, obscurum, & inordinatum, quæ genera pugnãt cum tribus uirtutibus orationis, quia latinitati barbarum, perspicuitati obscurum, ornatui inornatum opponitur, quod appellant quidam inordinatum. Verum species horum trium generũ uitiosorum, a Grãmaticis & Rhetoribus certo numero collectæ sunt uiginti septem circiter & descriptæ, ut facilius deuitentur agnitæ. Barbari itaq; spe-

Zbiornica
Księgozbiorów Zabezpieczonych
w Stalinogrodzie

cies sunt tres, ita ut primum elocutionis uitium sit barbarismus, error in orthographia, prosodia, uel etymologia. Secundum barbara λέξις, hoc est, cum barbara & peregrina uel inusitata dictio inserit orationi. Tertiũ solœcismus, hoc est, incongrua oratio peccans contra regulas Grãmat. & Latinitatis, ut supplico te, & adiuuo tibi. De his uide Gelliũ in 5. cap. 20. & in 13. cap. 6. Suntq; hæc peculiariter pueris eruenda atque uitanda, quæ Grammatica docet cauere, & emendata loquendi consuetudo. Opponitur autem barbaro, ut dixi, latinitas, prima orationis uirtus, de qua Fabius in 1. capit. 9. & in sequentibus duobus, & in 8. cap. 1. ubi docet Latinitatem constare his quatuor, regula, analogia, autoritate & consuetudine. Obscuri autem, quod & inordinatum dici potest, species diuerso modo numerantur ab eruditis, sed parum admodum refert. Sunt ergo uulgo decem obscuri species, ut elocutionis quartum uitium sit improprietas, ut habeo tibi fidem, pro, seruo tibi fidem, cum significet proprie, credo tibi: ut, dare uerba pro loqui, cum significet uerbis decipere & circunducere. Quintum est ambiguitas, æquiuocatio uerbi aut orationis, ut dicunt Virgilium uidisse Ciceronem. Hic nescias utrum Cicero Virgiliũ, an Virgilius Ciceronem uiderit, & de utroque horũ uitiorum docetur in locis sophisticis. Sextum hyperbaton, perplexitas, id est, impedita & confusa constructio uel iusto longior, qualem facere solent imperiti affectatores periodorũ, tametsi nec Liuius quandoque, nec alij probati

auto-

autores abstinent ab hyperbatis, quos tamen excusat autoritas. Septimum Pleonasmus, superfluitas, ut oculis uideo uenientem, ut pedibus ambulat. In quod aberrant fere qui immodice utuntur Periphrasi. Octauum περισσολογία, id est, superuacuum uel nimium, Pleonasmo affine uitium, nisi quod uerbis solet fieri pluribus, a quo nec Ouidius abstinet alicubi, sed cum gratia utitur, præsertim in mouendis affectibus, ut in commiseratione, in dolore, in luctu, quia dolor & affectus facit differtos atq; uerbosos. Vide querelam Hecubæ in 13. Metamor. Nonum ταυτολογία, Nugatio, hoc est, inutilis repetitio eiusdem uerbi uel constructionis, quæ sæpe ingeminatur magno audientiũ fastidio, id quod aridis & inexercitatis plerunque accidit, ut eadem per eadem dicant, & eandem quasi cantile nam recantitent, chordaque oberrent eadem. Decimum περιεργία, curiositas, quæ & λεπτολογία, id est, futilitas uocatur, cum de re nihili & in sententia leuicula multum uerborum absumimus, nimisq; futiliter immoramur, id quod copiam male affectantibus est ualde obuium, tametsi & Homerus & Ouidius cum gratia sæpe immorentur, leuiculis aliquanto curiosius describendis, ut in 5. Iliados, ubi describit currus Iunonis: & alibi. Vndecimum μακρολογία, garrulitas, quum tota oratio uel aliqua sententia fit iusto longior, ut audientem fatiget, sicut, Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo sit. Apuleius immodice garrulus est in fabula ψύχης,

tametsi ea requirit allegoriam. Duodecimum ἔκλειψις, id est, defectus, quum necessaria dictio sententiæ deest, ita ut perfectum sensum non referat. Quale est in Virgilio 3. Æneid. Quem tibi iam Troia. Qualia multa in epistolis ad Atticum deprehenduntur, ubi sæpe Cicero maluit obscurius significare quid suo Atti. Decimumtertiũ βραχυλογία, concisum, cum de re graui nimis breuiter & anguste loquimur: quæ longiorem & apertiorem requirebat sermonem. Ab hac non abstinet sæpe Plinius maior, estq; hæc familiaris Symacho Rhetori, & Ausonius in epist. Atque hæc sunt decem species obscuritatis, cui opponitur secunda uirtus orationis perspicuitas constans proprietate, sensu, & compositione, ut docet Fabius in 8. cap. 2. Cæterum inornati species sunt 14. breuiter describendo. Decimumquartum elocutionis uitium est ταπείνωσις, humilitas, cum inepte uocabulum sordidũ, & iacentem seruilemq; sententiam tribuimus rei honestæ atq; graui, ut si quis principi humilem sordidumq; titulum tribuat, appellans eum pastorem suarum ouium. Decimumquintum uitiũ est μείωσις, diminutio, superiori uitio affinis, nisi quod pluribus uerbis fiat, ubi de re magna & ardua est iusto tenuior & simplicior oratio, quam res ea ferat: utpote, si quis materiam grandem & splendidam sermone quotidiano & iacente, seruiliq; proferat, ut Sophistæ de rebus arduis minuta & humili oratione nugant. Sic Virgilius in exordio quartæ eclogæ excusat tenui-

tenuitatē sermonis Bucolici in argumēto grandiore. Decimum sextum, βομφιολογία, tumiditas, contraria μείωσι, ubi res tenues & leuiculæ efferuntur affectata, tumida & speciosa, nimisq; magnifica oratione, ut si quis ad amicum in epistolio, uel ad rusticos & indoctos splendidis nugetur periodis, quod uitiū sic arridet Horat. in Art. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Parturient montes, nascetur ridiculus mus. Talem quidem tumiditatem & orationis fastū. Comici pro decoro personæ suis militibus & paratitis tribuūt. Decimumseptimum Asiatismus: id est, Asianum genus orationis immodicū uerbis & figuris, sed rebus inane, de quo uide Ciceronem in fine Bruti, & Fabium in 12. cap. 10. Decimumoctauum, αἰσχρολογία, turpiloquium, cum a rei turpis uocabulo proprio, & ab oratione fœda non abstinetur, quæ res turpis, uel dissimulanda uel circumloquenda erat, quo uitio laborant Cynici, qui tegenda & turpia palam proferebant, & in propatulo agebant contra sermonis & pudoris decorum, ut Cicero in 1. Offic. docet, capite de temperantia. Sic & Martialis, Catullus, Ausonius a turpiloquio non abstinent. Decimumnonum κακέμφατον uel κακοφωνία, id est, absurditas, uel absonum, cum duriter & confragose inter se cohærent & colliduntur, stridentq; literæ & syllabæ, & uitium hoc prosodiæ est in uersu maxime cauendum, nisi ubi res tumultuosior requirit talem asperitatē, ut: Qua drupedante putrē sonitu quatit ungula campū.

Item in illo loco Ennij apud Ciceronem pro Murena, Spernitur orator &c. Rem repetunt regnumq; petunt, uadunt solida ui. Et talis κακοφωνία sæpe est apud Horatiũ in hexametris, ubi uersus duriuscule sonant. Maluit enim ille simplicitatem orationis captare, quam sonoritati uersuum indulgere. Sic & Ciceroniani uersus sæpe duriusculi sunt. Huc refer illas ingeminationes earundem syllabarum uel literarum, ut: O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti. Item: Carmina clarisonis caluis cantate Camœnæ. Et similia uitia iterationis, tam in prosa quã in uersu cauenda. Vigesimum κακοζηλία, affectatio, si quis eam orationem affectet, cui non sit par neque assuetus, quod euenit inexercitatis in imitatione speciali. Vigesimum primũ, ἀχαμψόν, id est, incomtum, cum oratio omni ornatu uerborum & figurarum caret, qualis est sermo Sophistarum: uel contra, cum oratio inepte est figurata, figuris nihil ad rem facientibus, Nam in uitium ducit culpæ fuga, si caret arte. Vicesimum secundum ὁμοιολογία, mire tædiosum uitium quod uocatur putidum, omnibus figuris & affectatione carens, nihil habens uarietatis, aut suauitatis. Eodem ducitur semper tenore, sicut cantilena aliqua tædiosior, neque numeris, neq; sonis distincta probe & uariata. Estq; superiori finitimum, & sequenti contrarium. Vicesimum tertium ποικιλογία, coloratum, putido contrarium uitium, ubi nihil in oratione rectũ, aut proprium est, sed omnia immodice figurata

&

& ſicut uerſicolor ueſtis, ſcurriliter picturata, et conſuta ſunt. Talis eſt fere ſermo Apuleianus, at que hoc idem uocatur alias immodice floridũ, eo quod puerilíter & effœminate floſculis figurarum immodicis & leuiculis ludat, atque hoc irrideturbelle a Lucilio Poëta apud Cic. in Oratore perfecto. Et lepide λέξεις compoſtæ ut teſſe rulæ omnes Arte pauimento atq; emblemate uermiculato. Viceſimumquartũ, σωρεισμός, id eſt, miſcella, eſt commixtio inepta ſermonis exuariis linguis & idiomatibus conſuta, ut ſi quis Græcas figuras aut Germanica idiomata, uel barbaros idiotiſmos orationi Latinæ cõmiſceat, id q̃d male interpretes ſepe faciunt. Item ſi quis Poëticas figuras orationi proſæ temere aſſuat. Viceſimumquintum, ἀρῥθμόν, tractum genus dicendi orationis: eſt oratio prorſum carens numeris & compoſitione tolerabili, ut ſi quis mere breuibus breuia, aut mere longis longa continuet, aut perpetuis cõmatibus tinniat, uel cõtinuatis membris increpet, uel perpetuis periodis incedat pompoſe. De quo uitio Fabius in 9. cap. 4. Et Cic. in Oratore perfecto præcipit. Etenim quædam temperatura ſyllabarum eſt facienda, quam & aures mediocriter purgatæ ſentiant, & probent, ut Põtanus ſcribit in opere de Euphonia. Viceſimumſextum, κακοσύνθετον, incompoſitum, ubi uerba male congeruntur, peiusq; cohærent, alioqui bona ſi in loco ponerentur. Vigeſimumſeptimum & ultimum, ἄνευ κονοματικτόν, indiſtinctum, ſuperiori affine uitium,

tium, peccans contra decorum orationis & dispositionis, in qua nulla est œconomia, sed omnia confusa sursum deorsumq; miscentur, & fit plerunque uerbis pluribus in oratione longa, quæ caret arte & ordine, neq; habet dispositionem artificialem, neque naturalem. Et in summa, cum uerba & oratio male rebus conueniunt. Et contra hoc uitium scriptus est fere totus liber de Arte. Atque hæ sunt quatuordecim species inordinati. Habes itaq; breuiter admodum descripta uiginti septem orationis uitia, tametsi quidam in rebus etiam peccāt. Quia uero apud probatos autores aliquando huiusmodi uitia inueniuntur, nihil admodum eleuat scriptorū autoritatem, quæ facile ista in uirtutes mutare potest. Habetur enim probata autoritas pro arte & lege. Nobis autem talis autoritas & licentia non conceditur, qui ueterem & emendatam loquendi rationem mutare nullo iure possumus. Nunc quo studiosa) Cōmendatio Copiæ a caussa finali, & ab usu. Vtilia sunt discenda: scientia Copiæ est utilis: ergo scientia Copiæ est discenda. In procinctu) id est, in promtu, est metaphora ab armatura militari.

QVIBVS EXERCENDI RATIONIbus hæc facultas paretur. Cap. IX.

DEinceps, quib. exercitationibus hæc paretur facultas, reliquum est ut paucis admoneamus. Præceptis diligenter memoriæ mandatis, sæpius ex industria sententias quasdam sumamus, eásque uersemus

semus quàm numerosissimè, quemadmodum monet Fabius. Velut eadem inquiens, cera, aliæ atque aliæ formæ duci solent. Is porrò labor uberiorem adfe-
ret frugem, si complusculi inter se conflictentur uel uoce, uel scripto, proposito in mediũ themate. Tum enim mutuis inuentis adiuuabuntur singuli, et uelut ansa præbita, plura quisq; inueniet. Deinde totum
aliquod argumentum pluribus tractabimus modis. Qua quidem in re conueniet Milonis illius Croto-
niatæ solertiã imitari, ut principio bis, deinde ter, deinceps sæpius ac sæpius uertendo, ad eam facultatem proficiamus, ut iam sine negocio centies ac du centies uariare possimus. Ad hæc, uertendis Græcis
autoribus non mediocriter augebimus sermonis copiam, propterea quod hæc lingua rerũ uerborúmque ditissima est. Fuerit autem utilius interdum pa-
raphrasi quoque cum illis certare. Profuerit pluri-
mum carmina Poëtarum oratione prosa retexere, rursum orationem solutam numeris astringere, atq;
idem argumentum in aliud atq; aliud carminis genus transfundere. Magnopere iuuabit & illud, si
eum locum qui maximè uidebitur scatere copia, ex autore quopiam æmulemur, & eum nostro marte uel æquare, uel etiam superare contendamus. Præci-
puam autem utilitatem adferet, si bonos autores nocturna diurnáq; manu uersabimus, potissimum hos qui copia dicendi præcelluerunt: cuiusmodi sunt Cicero, Aulus Gellius, Apuleius: atque in his uigilantibus oculis figuras omneis obseruemus, obseruatas

memoria recondamus, reconditas imitemur, crebrâ que usurpatione consuescamus habere in promtu.

IN CAPVT IX.

VItima commendatio Copiæ a caussis efficientibus, & ab instrumentis quibus ea comparatur. Præscribit autem Erasmus hoc nono capite rationes quasdam & modos octo, quibus utraque copia præcipue acquiritur. Quales etiam Fabius in 10. cap. 5. indicat, quibus modis exerceatur scriptio atque stylus, unde maxima nascitur copia. Præceptis) Primus modus. Versemus) id est, uariemus, secundum synonymiam & formulas. Is porro) Secũdus modus, certare copia cum alijs studiosis. Conflictentur) id est, certent. Themate) scilicet uariando. Ansa) id est, occasione, materia quærendi. Deinde) Tertius modus, orationem iustam uariare, & idem argumentũ diuerse tractare. Milonis illius Crotoniatæ) scilicet robusti luctatoris, qui primum portauerat uitulum, deinde iuuencum, postea & bouem portare potuit per cõsuetudinem adiutus. Deinde uertendis) Quartus modus, uertere Græca aut uernacula in Latinũ. Propterea quod &c.) Quia in lingua nostra uernacula sumus alioqui promtiores, magisq; uerbosi. Profuerit igitur præscribere argumenta in nostrate lingua, & ea Latine uertere. Fuerit autem) Quintus modus, paraphrasi, id est, liberiori & copiosiori expositione ludere, præsertim in locis Poëticis, uel alioqui uberioribus. Profuerit plurimum)

mum) Sextus modus, resoluere uersus in prosam, & contra ligare prosam uersibus. Retexere) id est, resoluere, ita tamen ne figuras poëticas solutę orationi inseras imprudenter & licenter, quia phrasis utriusque orationis obseruari debet. Numeris) id est, uersibus. Magnopere) Septimus modus, certare copia cum autoribus alioqui copiosissimis. Scatere) id est, abundare. Metaphora est a fontibus sumta. Nostro marte) id est, ingenio & stylo. Præcipuam autem) Octauus modus, legere & imitari copiosiores autores. Atque hæc sunt quidem octo exercitamenta, quibus copiæ usus & praxis comparatur. Versabimus) scilicet & imitabimur. Cicero) in utraque copia. Aulus Gellius) In copia uerborum. Apuleius) scilicet in rerum copia, quia phrasis Apuleiana non est imitanda, sed mixta ex nouo est & antiquario genere dicendi. Figuras) scilicet uerborum orationis & rerum. Vsurpatione) id est, usu & consuetudine bene loquendi ac scribendi. In promtu) id est, ut ijs utamur quoties sit opus.

PRIMA PRAECEPTIO DE *copia*. Cap. X.

HAec quasi præfati, superest ut ad præceptionum traditionem accingamur, tametsi & ipsa quæ diximus, præcepta quædã uideri queunt. Videmur autem nõ absurde facturi, si præceptiones hinc auspicemur, ut præmoneamus, copiæ candidato in primis

primis esse curandum, ut apta, ut latina, ut elegans, ut pura sit oratio. Neq; quicquam existimet ad copiam pertinere, quod abhorreat à linguæ Romanæ castimonia. Elegantia partim sita est in uerbis receptis ab autoribus idoneis, partim in accommodando, partim in compositione. Exemplum primi fuerit, ut si quis pijssimum dicat. Quod uerbum (teste Cicerone) latinis auribus inauditum est: quanquam & hoc reperitur apud autores haudquaquam reijciendos. In huius igitur locũ substituere licet quoduis uerbum barbarũ aut solœcum. Veluti si quis dicat, auisare pro præmonere. Barbaries autem etiã uitiosa scriptura aut pronunciatione committitur. Vt si quis docere sonet prima acuta, aut Christum dicat Cristum, aut percam, parcã, aut lego priore producta. Secundi exemplum fuerit, si quis ita loquatur, dedit mihi licentiam abeundi, pro eo quod est, fecit mihi potestatem abeundi. Hic nulla est uox non latina, sed in abusu uitium est. Potestas enim genere nomen est ad omnem facultatem: licentia uergit in malum. Hic igitur peccatur in perperam accommodando uocem, ueluti si quis dicat compilare. pro colligere. Latina uox est cõpilare, sed in alium sensum: significat enim furto spoliare. Horat. Serui fugientes compilant dominos. Item, Ne me Chrysippi scrinia lippi cõpilasse putes. Tertium genus huic similimum est, quum uoces bonas malè connectimus: ueluti si quis eodem sensu dicat, iniuriam dedit, pro damnum dedit. Nam, dare damnum eleganter dici-

tur

tur: facere autem iniuriam dicitur qui lædit, non dare iniuriam. Dare malum latinè dicitur, dare iacturam, aut dolorem non rectè dicitur. Facere iacturam emendatè dicitur, qui damnum patitur: facere infamiam, qui infamia afficitur non recte. Facere iniuriam qui lædit, latinè dicitur: facere contumeliam M. Tull. latinis usitatum esse negat, quanquam hæc sermonis forma apud Plautum, Terentium, aliósq; probatos autores reperitur: et fieri potest, ut ætate Ciceronis abierit in desuetudinem. Accepit iniuriam probe dicitur, qui affectus est iniuria: accepit contumeliam, non ausim dicere. Facere æs alienum dicitur, qui contrahit debita, ut facere uorsuram, qui creditorem mutat. At non rectè ad eum sensum diceretur facere inuidiam, aut simultatem, qui eam conflat sibi. Aedes uitium fecerunt, quæ ex sese corruptæ sunt. Rimas fecerunt, non ausim dicere, cum rimas agere latinè dicatur. Sic facere stipendium recte dicitur, qui militat stipendio. Facere salariũ non item. Fecit sui copiam, recte dicitur: dedit sui copiam, non ausim dicere, cum tamen eleganter dixerit Virgil. Et coram data copia fandi. At fecit spem, ac dedit spem, utrunque latinè dicitur. Interdum uox non in loco posita uitiat orationem. Quod genus: Quid sibi uult hic homo, recte dicitur. Quid sibi uult hic mortalis, inepte diceretur. Sed ad rem: quod est uestis nostro corpori, id est, sententijs elocutio. Neque enim aliter quàm forma dignitásque corporis, cultu habitúque itidem & sententia uerbis uel com-

commendatur, uel deturpatur. Itaq; plurimum errant, qui nihil arbitrantur interesse, quibus uerbis quæ res efferatur, modo utcunque posit intelligi. Neque diuersa est commutandæ uestis & orationis uariandæ ratio. Sit igitur prima curarum, ne uestis aut sordida sit, aut parum apta corpori, aut perperam composita. Nam indignum fuerit, si forma per se bona, uestis sordibus obfuscata displiceat. Et ridiculum sit, si uir muliebri amictu prodeat in publicum. Et fœdum, si quis ueste præpostera atque inuersa conspiciatur. Quare si quis copiam affectare uelit, prius quàm linguæ Latinæ mundicie sibi comparárit, is meo quidem iudicio non minus ridicule fecerit, quàm si quis pauper, cui nec unica sit uestis, quã sine magno pudore posit induere, subinde mutato uestitu, alijs atque alijs pannis obsitus, in forum prodeat, ambitiose mendicitatem suam ostẽtans propopibus. Hic quò sæpius id fecerit, an non hoc uidebitur insanior? Videbitur opinor. Atqui nihilo minus absurdè faciunt isti quidam affectatores copiæ, qui cum ne semel quidem posint id quod sentiunt, mundis uerbis efferre, tamen perinde quasi pudeat eos parum balbos uideri, ita balbutiem suam alijs atque alijs modis reddunt balbiorem, quasiq; certamẽ ipsi secum sumserint, ut quàm posit barbarißimè dici, dicant. Volo ego multijugam esse domus opulentæ supellectilẽ, sed totam elegantem esse uolo, ne mihi salignis ficulnis ac Samijs uasculis omnia sint referta. Volo in splendido conuiuio diuersa ciborũ gene

ra

ra proponi. Sed quis ferat, si quis apponat edulio-rum formas, quorum nullum sit quod non nauseam moueat? Hæc non temere pluribus uerbis admonui, quod exploratam habeam plerorumq; mortalium præcipitem audaciam, qui præteritis fundamentis, statim & illotis (quod aiunt) pedibus, ad summa ma-lunt festinare. Neq; multò leuius peccant, qui sor-didâ miscentes elegantibus, purpurã pannis detur-pant, ac uitrea gemmis intertexunt, Atticisq; bella rijs iungũt alliata. Nunc uariãdi formulas propone mus, eas nimirũ, quæ ad uerborum pertinent copiã.

IN CAPVT X.

Hactenus quædam præfatus in laudem & ra-tionem copiæ utriusq;, iam hinc præcepta co-pię uerborum incipit tradere, quorum primum est, de uerborum delectu agendo: nam ea par-tim singula, partim in constructione coniuncta & complexa oportet expendere & dijudicare, an sint Latina, propria, perspicua, cõgrua, bene-figurata, ut infra capite proximo dicam: hunc delectum agere docet affatim Valla in libris Ele gantiarum, & Hadrianus Card. item dictionarij Latini ac probati, quales sunt Varro, Marcellus, Pompeius, & Perottus, atq; probati commenta rij, ut Seruius, Donatus, Et in summa hic admo net perdiscendam esse Grammaticam, Etymolo giam & Syntaxin, sine qua quicquid superstru-xeris prorsum corruet. Prefati) scilicet de utilita te copię utriusq;. Præceptionum) scilicet de uer borũ copia, Vtapta & latina) .i. ut habeat uerbo rum

rum ſingulorum & coniunctorum intellectum & delectum, quia non cognitis partibus impoſſibile eſt totum cognoſci. Caſtimonia) id eſt, latinitate. Elegantia) id eſt, latinitas. Receptis) id eſt, uſitatis. Idoneis) id eſt, commodis, bonis. In accommodando) id eſt, in proprietate & conſuetudine, ſcilicet ut uerba habeant propriam conſtructionem & uſitatam. In compoſitione) id eſt, in phraſi & idiomate. Primi) ſcilicet de latinitate. Secundi) ſcilicet de propria & uſitata conſtructione. Tertij) de phraſi. Cicerone) ſcilicet in ſecunda Philippica. Sed ad rem) expolitio præcepti primi a ſimili de ueſtitu & habitu corporis, quia res ueſtiuntur uerbis & oratione, ſicut corpus ueſte ornatur. Deturpatur) id eſt, deformatur. Quare) accommodatio ſimilitudinis. Linguæ munditiem) id eſt, artem Grammaticam & latinitatem. Hic) id eſt, mendicus. Mundis) id eſt, Grammaticis & latinis. Balbutiem) id eſt, barbariem. Volo ego) expolitio ab alijs ſimilibus & allegorijs. Fundamentis) id eſt, Grammaticis & latinitatis. Malunt) ſcilicet per ambitionem.

PRIMA VARIANDI RATIO PER *Synonymiam.* Cap. XI.

PRima igitur ac ſimpliciſſima uariandi ratio, in his uerbis ſita eſt, quæ diuerſa cum ſint, eandē omnino rem declarant, ita ut ad ſignificationem nihil referat, hoc an illo malis uti. Quæ quidem ſynonyma Grammaticis dicuntur contraria his quæ dicuntur homonyma: illa quidem audent dicere æquiuoca.

uoca, hæc uniuoca: licet hæc cognomina iuxta dialecticos magis cõgruant rebus ipsis, quàm uocabulis: nam uoces diuersas rem eandẽ significantes rectius dicemus ἰσοδυναμούσας: & his contrarias πολυσήμους, prioris generis sunt ensis gladius, domus ædes, codex liber, forma decor pulcritudo. Horum itaque maxima uis undecunq; è bonis autoribus contrahenda, uaria comparanda suppellex, & (ut Fabius ait) diuitiæ quædam extruendæ, quibus ubicunque desideratum erit, possit nobis constare uerborum copia. Neque sat erit huiusmodi uocum mundum copiosum ac penum diuitem parasse, nisi non solum in promtu, uerum etiam in conspectu habeas, ut protinus uel non quæsita sese ostendant oculis. Qua tamen in re illud in primis cauendum, ne, quod quidam faciunt, citra delectum uelut ex aceruo quicquid primũ occurrerit, quolibet loco dicamus, Primum enim uix usquam duo uerba reperies adeo ἰσοδυναμοῦντα, quin aliquo discrimine dißideãt. Nã quid tam idẽ significat, quàm homines & mortales? Et tamen qui paßim omneis mortales, pro omneis homines dixit, Græco isto notatus est prouerbio, ἐς φακῆν μύρον, id est, In lenticula unguentum. Et alicubi literæ & epistola rem eandem significant, alicubi diuersas. Tũ ut demus in significatu nihil omnino discriminis esse, tamen sunt alia alijs honestiora, sublimiora, nitidiora, iucundiora, uehemẽtiora, uocaliora, ad compositionem magis concinna. Proinde dicturo delectus adhibendus, ut ex omnibus opti-

ma sumat. In promendo iudicium requiritur, in condendo sedulitas. Vt iudices, præstabit diligenter obseruata sermonis elegantia, proprietásq; : ut quàm plurima recondas, omnis generis autorum aßidua lectio dabit. Siquidem alijs uerbis multa eloquuntur Poëtæ, alijs Oratores. Sunt & ætatib. ac seculis sua quædam peculiaria uocabula. Quin ijdem etiã scriptores rem eandem sæpenumero diuersis modis efferunt. Primũ igitur ex omni scriptorum genere, uerba quàm optima seligenda. Deinde qualiacunque erunt, tamen in congeriem addentur, neq; uox ulla reijcienda, quæ modo apud scriptorem, non omnino peßimum reperiatur. Nullum enim uerbũ est, quod non alicubi sit optimum. Proinde quantumuis erit humile, inusitatum, poëticum, priscum, nouum, obsoletum, durum, barbarum, ac peregrinum: tamen in suo ueluti grege nidoq́; reponatur, ut si quando uenerit usus, tum accersatur. Quod si uerebimur ne uerbi uetustas aut nouitas aures offendat, rectum erit Fabiano uti consilio, ut meminerimus περιπεπλείτειν. Id fiet ijs fermè rationibus, Cato librorũ helluo, si tamen eo uerbo fas est uti, in re tam præclara. Ipsißimus ut Plauti more loquar. Cur enim non utar Ennianis uerbis? Nam Horatiano uerbo libenter utimur. Sic enim isti Neoterici loquuntur, Agnoscis castrense uerbũ, ut poëtæ loquuntur, ut prisci loquebantur, ut dicam antiquè. Si sic loqui licet, si mihi permittis uulgato more loqui, dicã enim Græcè quo dicam melius. Idem faciendum in his uerbis

quæ

quæ uocantur κακέμφατα, hoc est, quæ uergunt ad obscœnæ rei significationem.

SORDIDA.

Sordida igitur sunt quæ humiliora uidebuntur quàm pro rei dignitate, ueluti si quis amicum ac familiarem, congerronem appellet: Literarum auidum, belluonem. Nam acetum, spongia, pulegium, demiror quur Senecæ uerba sordida uideantur. Mihi rectius sordida uidentur, quibus ipse usus est in quadam epistola, pilicrepi, botularij & crustularij. Huiusmodi ferè sunt, quæ à sordidis artibus ac opificijs sumuntur, uelut à balneis, à culinis, à coriarijs, à popinis. Quibus tamen necessario utimur, si de talibus argumentis sit disserendum. Siquidem chirurgi ac medici coguntur interdum uti uerbis aptis potius quàm splendidis. Et Plinius iocatur in uerba constrensia. Et Tiburcinandi uerbum, latronum sodalitia nobis dederunt. Quædam autem per se sordida sunt, alia ad argumentum, ad personas, aut alias circunstantias relata. Veluti stercus & stercorare non est sordidum uerbum, si apud agricolas de agricultura loquaris, secus si apud principem de Republica habeatur oratio.

INVSITATA.

Olim plurimum ius erat consuetudini publicæ, quemadmodũ testatur & Horatius: Multa renascentur, quæ nunc cecidere, cadentque, Quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus. Nunc quoniam loquendi ratio nõ à uulgo, sed ex erudito

rum monumentis petitur, non est eadem consuetudi nis autoritas. Inusitata tamen uideri possunt, quæ ra rius occurrunt apud eos autores qui frequentius te runtur ab eruditis. Et hodie danda est opera, ne mo leste loquamur, longeq; recedamus ab istorum stu= dio, qui recte loqui putant inusitate loqui, quod in L. Sisenna uiro alioqui docto notat M. Tullius: quiq; quod eleganter dictum est à Diomede, ita demum si bi uidentur ingenioſi, si ad intelligendos ipsos opus sit ingenio. Deniq; qui malunt scribere, quæ miran tur homines magis quàm intelligant. Nec uno tamen modo fit ut sermo sit inusitatus, quod ex his quæ se= quuntur fiet perspicuum. Si quis exemplum requi= ret: Inusitate loquetur, qui passos senes dicat, pro rugosis, interduatim & interatim, pro interdũ & interim. Titilliuitium pro re nihili. Vagorem, pro uagitum.

POETICA.

SVnt & apud Poëtas, quibus parcius est uten= dum, præsertim in oratione libera. Cuiusmodi sunt apud Horatiũ, eliminare, pro efferre foras ar= canum, quo tamen usus est M. Tullius pro eijcere: Iu uenari, pro iuueniliter lasciuire, quæ uox ad Græ= cam efficta est, νεανίζομαι & νεανιεύομαι. Furiare, pro in furorem agere. Clarare, pro illustrare. Aeterna= re, pro sempiternæ memoriæ tradere. Inimicare, pro inimicitias concitare. Pauperare, pro damno af ficere. Cinctutis pro cinctis, Inuideor, pro mihi in= uidetur. Et apud Virgiliũ, Agmen, pro actu seu du ctu: Leni fluit agmine Tybris. Indomitũ furit, pro

indo=

indomite. Acerba tuens, pro acerbe. Sperare, pro timere siue expectare, Hunc ego si tantum potui sperare dolorem, Et perferre soror potero. Similiter Terentius. Nam quod speras, propulsabo facile. A qua tamen sermonis forma nō abhorruit M. Tullius in epist. famil. Et mobili in me meos esse animo non sperabam. Græcis mira felicitas in componendis dictionibus, quam interdum imitantur Poëtæ, quum idē non perinde succedat oratoribus Latinis. Quod genus sunt: Vulnificus, tristificus, tabificus, fatidicus, laurigeri, caprigenum pecus, ueliuolum mare, uitisator, aliáque id genus innumera. Vitilitigatores ausus est Cato dicere. Alius officiperdam. Ad poëticam licentiam accedunt historici.

PRISCA.

PRisca gratiam addunt, si modice & apte uelut emblemata intertexantur. Quod genus sunt expectorare, pro eo quod est, expromere uerbis quod est in animo. Actutū, pro quamprimum. Antigero, pro ualde. Oppidò pro eodē. Creperum bellum, pro dubio. Hostire, pro pensare. Hostimentū, pro pensatione. Vitulantes, pro gaudentes. Iumentum, pro uehiculo. Perduellis & perduellio, pro hoste patriæ. Duellum, pro bello. Cluere, pro pugnare. Temetum, pro uino. Aemathia, pro Thessalia.

OBSOLETA.

INusitata sunt, quorum rarus est usus. Prisca, quæ ex scriptis ob antiquitatem relictis à posterioribus decerpta sunt, uelut é XII. tabulis, ex Ennio, &

Lucilio, Nævio & Pacuuio. Obsoleta sunt, quæ prorsus in desuetudinem & obliuionem abierunt. Cuiusmodi sunt bouinari, pro tergiuersari. Apludam edit, & floces bibit, pro furfure uescitur, & fecem bibit, quæ merito deridet Gellius. Hostem pro hospite ac peregrino dixit antiquitas. Nunc ridiculus sit, qui tentet ad eum loqui modum. Obsoletis nõ uideo quis sit locus nisi per iocum & ironiam: Veluti si quis ineptum antiquitatis affectatorem ita notet: Hic profecto dignus est, qui apludam edat & floces bibat. Hic non solũ habenda est ætatis ratio, uerumetiã studij & affectationis. Est enim antiquitas iam exoleta, ac rudis, qualis uideri potest ab ætate Liuij Andronici, quæ paulatim enituit, usque ad M. Tullij tempora, quibus sic expolita est Romana eloquentia, ut quo cresceret nõ haberet, sed ut sunt res humanæ, paulatim ab illo summo candore degeneraret: necesse enim fuit, ut posteriores cum aliter dicere conarentur, peius dicerent. Et tamen Salustius cum eadem ætate scripserit qua Cicero, Catoni Censorio quàm Ciceroni similior est. Ac Mecœnas cum idem fermè ætatis uixerit, tamen à seculi sui puritate longissimè abest. Itidem Valerius Maximus cum Tiberij Cæsaris ætate fuerit, qua nondum degenerarat Tulliani seculi candor, tamen suo potius quã ætatis suæ more scripsit. De Tacito, Suetonio, Plinijs, Aelio Lampridio, alijsq; posterioribus nihil dicam. Cæterum quemadmodum iure laudatur illorum institutum, qui sese ad illius felicissimi seculi imita-

imitationem componunt, ita non probarim quosdã, qui ceu barbarum horrent, quod in his posteriori-bus reperiunt: præsertim cum fieri possit, ut quod hic refugiunt, apud M. Tulliũ fuerit in libris, quos desideramus.

DVRA.

DVra sunt quæ parum commode transferun-tur. Notatus est qui Rempublicam dixit ca-stratam morte Camilli, cum sentiret ciuitatis robur, illius morte cõcidisse. Et Flaccus tecte notat Furium quendam qui scripserit: Iuppiter hybernas cana ni ue conspuit alpes. His adsimile fuerit illud: Campos pacis sustulit, belli montes excitauit. Mollius erat si à mari tranquillo ac turbato duxisset metaphoram.

PEREGRINA.

HAbent suam & peregrina gratiã, in loco ad-hibita. Veluti cum gazas dicimus pro diuitijs, quæ uox Persica est. Celebrata est autem eius gentis opulentia, & opulentiæ comes luxus. Acinaces pro gladio, Medicum uerbum est. Essedum pro rheda Britannicum. Vngulum Oscorum lingua annulus dicitur. Cascus pro uetulo Sabinorũ est. Vri pro bu bus feris gallica uox est: quemadmodum & merga, pro medulla siue adipe terræ, qui effoditur ad læti-ficandos agros. Et gessa pro teli genere: Parasan-ga pro spatio triginta stadiorũ, Persicum uerbum est. Quin & Camurum pro eo quod in se recurrit inter peregrinas uoces cẽsetur. Apud ueteres Chri stianos recepta sunt Nonnus & Nonna, pro sancto

& sancta, quæ uocabula sunt AEgyptiorum, quod olim illic monachorũ & monacharum examina sanctimoniæ nomine commendarentur. Quod si quando necessitas cogit, ut barbaris utamur, non sine honoris præfatione sunt adhibenda, quemadmodum ait Plinius. Sunt aliæ permultæ uoces, quæ à barbaris nationibus una cum ipsis reb. ad Græcos, à Græcis ad nos dimanarunt: quod genus sunt sinapi, piper, zinziber &c.

OBSCOENA.

OBscœnas uoces oportet ab omni Christianorũ sermone procul abesse. Nec audiendi sunt Cynici, qui nihil putant turpe dictu, quod turpe factu non sit. Rursus quod turpe non sit in occulto facere, id nec in publico turpiter fieri: ueluti reddere lotium, aut exonerare aluum. At è diuerso non statim turpe dictu est, quod factu turpe est. Parricidium & incestus uerecundè nominatur, cum utrunque factu sit turpissimum. Verum ut sunt quædam corporis mẽbra, quæ cum per se inhonesta non sint, tamen pudore quodam humano uelantur: ita sunt actiones quædam mediæ, quæ uerecundiæ gratia cælantur. At non statim quod indecorum est pro palã facere, turpe est suo nominare uocabulo. Parere uerecunde dicitur, quod tamen turpe fieret in propatulo. Meiere non uerbum est obscœnum, tametsi reddere lotium uerecundius est, palàm tamen meiere inuerecundum est. Contra cacare est uerbum obscœnum, cum actio sit æquè media. Venter publicè nomi-

nominatur, impudicè ostenditur. Vulua uerbum est honestum, cum cunnus sit obscœnum. Vnde igitur ducitur obscœnitatis ratio? Non aliunde quàm ab usu, non quorumlibet, sed eorum quorum est casta oratio. Nam Poëtæ præcipue Satyrici in his sibi nimium permiserunt. Interdum metaphora simplici uerbo est obscœnior. Quale est illud Horatij: Alienas permolere uxores, et patritiæ immeiere uuluæ. Et apud Catullum: Destruit patruum, & deglubere uiros. Quædam detorta sunt in obscœnum sensum, cum per se sint honesta. Vt dare fidem uerecunde dicimus, & tamen obscœnum est quod in Priapeijs: Simplicius multo est da latine dicere. Et Martialis: Vis dare, nec dare uis. Ab his igitur quæ manifestam habent obscœnitatem in totum est abstinendũ. Quæ media sunt, possunt ad uerecundum sensum accommodari, ueluti si quis dicat sese exosculari aut dissuauiari ingeniũ alicuius, pro ualde delectetur: aut philologiæ procũ, appellet eruditionis candidatũ.

NOVATA.

Nouata trifariam accipi possunt, uel quæ finguntur noua, uel quæ in alium usum deflectuntur, uel quæ compositione nouantur. Primi generis exemplum fuerit, quod Nero morari dixit prima producta, pro fatuum esse, à Græca uoce μωρός. Secundi quod Salustius ductare exercitum dixit, cum ductare apud Terentium, aliósque ueteres sensum habeat obscœnum: Vt meam ductes gratis. Item patrare bellum, pro gerere bellum, quum patrare pri-

us diceretur, qui daret operã creandis liberis. Ter tij generis sunt uitilitigator, à uitio litigandi, quòd antè retulimus. Bubsequa pro bubulco. Item illa Pacuuij: Nerei repandirostrum, incuruiceruicum pecus, quorum meminit Fabius. Ad hanc classem pertinent quæ deriuatione nouãtur: ut uituperones, amorabundus, nupturire, uerbigerari: cuiusmodi uocibus præcipue gaudet Apuleius, Martianus Capella, Sidonius Apollinaris: & qui ad horum exemplũ sese composuerunt. Habent & hæc gratiam, si modo in loco, modiceq; uelut aspergantur. Namut elegantèr est à Fabio dictum, in cibis interim acor ipse iucundus est. Porrò Græca Latinis in loco intermixta non mediocrem addunt gratiam. In loco adhibentur, uel cum Græca uox est significantior, ut λογομαχία, pro cõtentione siue rixa, uel cum est etiam breuior, ut φιλαύτου, pro eo qui sibi placet, uel cum est uehementior, ut γυναικομανὴς, pro mulieroso, uel cum est uenustior, ut si quis de rebus arduis sed inutilibus differentem, dicat eum μετεωρολεχῆν, aut eum qui sibi sapiens uideatur, cum sit stultus, appellat μορόσοφον. Nam Græcæ uocis gratiã nulla Latina posset assequi, uel cum ad locũ aut dictum autoris alicuius alludimus, ueluti quum notantes aliquem inconsideratius locutum, dicimus, πῖον ἔπος &c. quod est apud Homerum, aut indicantes aliquem nõ respondisse ad id, quod proponebatur, dicamus, ἅμας ἄπιτον quod si Latinè dicas, falces petebam, perit sermonis lepos. Allusionem

nem habet illud Horatianum: Ter uncti trans Ty-
berim nanto, Irriguumq; mero sub noctem corpus
habento. Facit enim Trebatiũ loquentem Iurecon-
sultum. Solent enim ijs uerbis duodecim tabularum
delectari. Quod & M. Tullius imitatur in libris de
legibus. Denique quum nolumus id quod dicimus, à
quibuslibet intelligi. Ac ne singula persequar, quo-
ties inuitat aliqua commoditas, rectè Græca Latinis
intertexentur, præsertim quum ad eruditos scribi-
mus. Cæterum cum nihil huc inuitat, uelut ex institu
to sermonem semilatinum & semigræcũ texere, for
tasis in adolescentibus semet ad utriusq; linguæ fa-
cultatem exercentib. ueniam mereatur: In uiris mea
sententia, parum decora fuerit hæc ostentatio, neq;
plus habeat grauitatis, quàm si quis alternis & è
prosa oratione & metris librum misceat, quod ta-
men ab eruditis quibusdã factum uidemus: ab Arbi
tro Petronio, sed nõ sine specie dementiæ, à Seneca
in ludicro Encomio Claudij. Et quod magis admi-
randum, à Boëtio in argumento serio, qui tamen in
carminibus adeò sui dissimilis est, ut docti uix cre-
dant ipsius marte fuisse conscripta. Boëtium imita-
tus est Ioannes Gersonensis scriptor haud conte-
mnendus, si in hoc seculum incidisset. Iam fit inter-
dum, ut aut longo circuitu cogamur efferre, quod
sentimus, aut à Græcis mutuo sumere, ut in πολυ-
πραγμοσύνη, φλαυτία, ἀφαμαρτοεπὴς, πολυ
φιλία, ὑσωπία, πδριοσολογία, ταυτολογία,
βαπολογία, atque id genus sex milibus, de quibus

for-

fortaſsis aliâs nonnihil dicemus. Sunt nõ paucæ Græcorum uoces, quas antiquitas Latinitate donauit. Iis perinde atq; Latinis uti licebit: ut Rhetor & Orator, hypotheca & pignus, helleborũ & ueratrum, fœniculum & marathrum, ſycophanta calumniator. Præbibo, quo uſus eſt Apuleius, et propino. maſtigia, uerbero. Quædam ita recepta, ut deſit uerbum Latinũ, ſicuti Philoſophus, Theologus, Grammatica, Dialectica, Epigramma. In quibus ipſis ineſt nonnihil uarietatis, ſi modo Græca, non Latina forma inflectantur, ut ſcorpius & ſcorpio, elephantus & elephas, delphinus & delphin, lampas lampada lampadæ, grammatica grammaticæ, grammatice grammatices.

IN CAPVT XI.

Secundum præceptum de copia uerborum quod diſcrimina latinorum uerborum ſunt diligenter obſeruanda: alioqui enim delectũ iſtum de quo dicitur in primo præcepto, cap. 10. commode non poſſe haberi. Verborum diſcrimen quinquefariam partimur, quaſi in quinque claſſes. Prima pleriſque uerbis ſemper tutiſsime utimur, qualia ſunt. 1. bene latina: 2. propria: 3. perſpicua: 4. ſignificantia: 5. uſitata: 6. ſonora: 7. apta: 8. elegantia. Secunda ſunt uerba quibus recte quidem utimur & tuto, ſed non tamen niſi in loco ſuo, & pro ratione, quam tibi uſus & auctoritas oſtendit, qualia ſunt: 9. primitiua: 10. deriuatiua: 11. ſimplicia: 12. compoſita: 13. metaphorica & translata: 14. figurata: 15. ſynonyma, de

qui-

quibus ſynonymis peculiariter hoc cap. 11. pręcipit. Tertia ſunt uerba quæ tuto quidem & cum gratia, ſed tamen rarius & caute uſurpamus, ut 16. mixta, id eſt, Græca, quæ Latinam formam induere, ubi Latinis alioqui caremus: 17. peregrina, id eſt, barbara, ea tamẽ quæ in Latinitatis formã & uſum abiere ut ſatrapa, gaza, carrus, ubi cauere oportet ne plura eſſingamus temere: 18. æquiuoca, quæ tamen obſcuritatem non pariant: 19. ficta, quæ uſus tamen probarit, ut ſibilare, grunnire, bombarda: 20. nouata, ſi probos habeant autores, ut apud Ciceronem, & interpretes bonos multa nouantur uocabula. Quarta ſunt quædam uerba quæ non admodum tuto, ideoq; & rariſsime cum bona uenia potius quam gratia uſurpamus, ſi ita res ferat, qualia ſunt uigeſimo primo impropria uel abuſiua: 22. obſcura: 23. poëtica, ſcilicet in proſa oratione: 24. ſordida uel humilia: 25. dura: 26. priſca. Huius claſsis uerba erunt excuſatione, & cum uenię petitione mollienda. Quinta ſunt innumera uerba quæ nuſquam tuto & impune, ſed magno cum dedecore & riſu uſurpamus, ut ſunt: 27. inuſitata: 28. abſurda & turpia: 29. obſoleta: 30. mere barbara, & ſi quę alia cum latinitate pugnant. Hæc autem eadem diſcrimina uerborum 30. orationi quoq; conueniunt. Tam enim diuerſa eſt oratio quam uerba ſunt uaria. Cæterum dijudicare hæc diſcrimina, & inde uerborum delectum agere docet Grammatica, quæ conſtat regulis, analogia, autoritate & conſuetudine, ut ſupra dixi de latinitate cap. 6. In ultimam uero

claſſem

classem refer & uitia elocutionis pleraque fere supra capit. 8. enumerata, ut barbarum, obscurum, inornatum, & horum species. Verum prio res quatuor classes uerborum & orationum referri debent ad uulgata genera & uirtutes orationis quatuor, scilicet ut uerba & oratio sint latina, perspicua, ornata, decora, de quibus Cicero in 3. de Oratore: & Fabius in 1. capit. 10. & sequentibus: & in 8. cap. 1. & inde usque in caput. 4. libri 9. & in 11. cap. 1. Hoc ergo cap. 11. Erasmus de uerborum & orationis discrimine obseruando & peculiariter de synonymia quoq; tractat, quę triplex scilicet, prima uerborum: 2. constructionum: 3. figurarum. De prima tantū hic loquitur. Et synonymia est forma uerborū aut orationum, qua diuersa uerba uel diuersæ orationes & figuræ, eundem plane sensum referūt. In qua tamen cauere oportet, ne inepte omissis propriis captemus impropria & inusitata.

CAPITA SVMMARIA.

CApita Copiæ uerborum breuiter sic possūt colligi, nam ea locupletatur, aut sine figura, scilicet per synonymiam uerborum aut orationis, & per Enallagen partis, aut accidentis: aut locupletatur cum figura, & hoc trifariam, scilicet metaplasmo, de quo in fine cap. 13. & tropo, qui est dictionis uel orationis: & schemate, quod est item dictionis uel orationis. In genere ergo sunt cap. 7. copiæ uerborum, ut supra dixi. Variandi) scilicet per copiam uerborum. In his uerbis) scilicet synonymis, uniuocis. Quę diuersa) sci-

ſa) ſcilicet uoce & caſu. Synonyma) ſcilicet uni uoca. Grammaticis) & a Dialecticis appellantur conuertibilia, ut eadem numero. Homonyma) id eſt, æquiuoca. Vis) id eſt, multitudo. Mundum) id eſt, ſuppellectilem. Penum) id eſt, theſaurum. Diſſideant) id eſt, differant. τὸ ἓν φακῇ μύρον) id eſt, in lenticula unguentū, id eſt, in tenui uocula captare facundiæ laudem. Tamen ſunt alia) uide Fab. in lib. 1. cap. 9. & in 10. cap. 1. & hic loquit̃ de diſcrimine uerborū & differentijs, de quibus ſupra. In promendo) ad uſum. In condendo) id eſt, in congerendo rapſodias. Vt iudices) ſcilicet & bene utaris. Obſeruata) ſcilicet per Grammaticā artem. Autorum) ſcilicet bonorum. Alijs oratores) & inter hos medij ſunt hiſtorici. Diuerſis modis) & tamen ſynonymis uerbis & orationib. idem ualentibus. In congeriem) id eſt, commentariū uel rapſodiam qualis infra ponitur a cap. 34. uſq; in finem primi libri. Peſsimum) id eſt, barbarū. Nouitas) aut inſolentia uel licentia. προεπιπλήττομεν) id eſt, præmollire, p̃mitigare. Helluo) id eſt, uorator, auidus lector. Quo melius) id eſt, ſignificantius.

SORDIDA.

Sordidum uerbum eſt quod rei ſignificatę dignitatem nō ſatis exprimit, utpote nimis humile. Enumerat autem hic aliquot diſcrimina uerborum, ſed non omnia tamen.

INVSITATA.

Inuſitatum uerbum eſt, a quo abſtinet bona loquendi conſuetudo, & hic nota Cæſaris dictum

ctum apud Gellium in primo cap. 10. Habe semper in memoria atq; in pectore, ut tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens uerbum.

POETICA.

Poëticum uerbum est, uel oratio Poëtica est, quæ recte quidem in uersu, sed non nisi licenter usurpatur in prosa. Veliuolum mare) in quo uela cum nauibus uolant. Id genus alia) scilicet licenter a Poëtis composita.

PRISCA.

Priscum uerbum est, quod in desuetudinem abijt, tametsi apud antiquos fuerit bene usitatum, qualia apud Plautum, Catonem, & in fragmentis ueterum Poëtarum inueniuntur. Sic etiam prisca oratio uocatur antiqua, sed nunc inusitata, qui archaismos dicitur, a quo Terentius alicubi non abstinet, ut ille ubi uidet me in tantum honorem esse, pro in tanto honore, est archaismos. Item astu uenit, pro in urbem uenit. Cæterum plurima uerba inusitata, Poëtica, Prisca & obsoleta quoque annotauit Marcellus, & Pompeius, & Perottus in suis dictionarijs. Expectorare) id est, ex animo abijcere. Vitulantes) id est, lasciuientes. Temetum) id est, quasi tenens mentem.

OBSOLETA.

Obsoletum est omnino abrogatum & obscurum uerbum. Tergiuersari) id est, detractare, *abschlahen, zurück treten.*

DVRA.

Durum

Durum uerbum est ineptius ascitum, aut affectatum longius, quod in remotis metaphoris sæpe accidit, & in duris constructionibus & coactis. Castrata) id est, uiribus priuata. Caperare) id est, crispare, contrahere & rugare a cornibus caprarum incuruis. Consuit) id est, dealbauit. Et tamen sordidis ac duris sæpe recte utimur contemtus caussa & extenuationis.

PEREGRINA.

Peregrinum uerbum est alioqui barbarum, & tamen usurpatum a bonis autoribus, quasi pro latino, ut missa, papa, patriarcha. Leuca) id est, miliare Gallicum. Rediens) id est, in se reflexum. Camurum) ut camura cornua.

NOVATA.

Nouatum uerbum est ab aliquo probo & recepto autore nuper inuentum, qualia boni interpretes sæpe fingere coguntur, & hic obserua nobis neutiquam licere aut uerba aut orationes fingere nouas, quia talem autoritatem non habemus, qualem probati autores merentur. Ductare) id est, ducere. Patrare) id est, perficere. Vitilitigator) id est, rixosus, q nectit rixas. Amorabundus) id est, plenus amore. Nupturire) non etiam licet nouare aut fingere uocabula & constructiones, quamuis Grammatica analogia permittit, nisi sint a probatis usurpata, ut infra eodem cap. 20. dicetur, quia bona consuetudo loquendi refragatur. Verbigerari) id est, uerba gerere. Nugari) *wort treiben.* Hæc) scilicet nouata. Porro Græca) Græcum uel mixtum uerbum est

quod in Latina lingua usurpatur, aut in Græca aut in Latina forma, & in huiusmodi quoq; est modus seruandus. Necessitate) scilicet, quia Latinis alioqui caremus. πολυπραγμοσύνη) id est, curiositas, præsertim in rebus alienis. Latinitate) id est, forma Latina. Verbero) id est, uerberi bus dignus. Quædam) mixta uel Græca. Forma) declinatione, inflexione.

AETATVM PROPRIA VOcabula. Cap. XII.

DIligenter itaq; conueniet obseruare, quid in usurpandis uocibus ætas uariarit. Beatitudinem & beatitatem, mulierosum & mulierositatem, Cicero primus ausus est dicere. Declamare pro exerceri ad eloquentiam illius ætate nouum erat. Aetate Varronis ædituus pro æditimo nouũ erat. Sic enim ab æde dicebatur æditimus, quemadmodum à lege legitimus. Interim pro interdum, obiter pro interea, & uelut aliud agẽdo, subinde pro identidẽ, Quintiliani seculo nata sunt. Reatum Messala primus dixit: munerarium Augustus. Fauor & Vrbanus seculo Ciceronis uoces erant nouæ. Obsequium primus dixit Terentius, ut existimat Tullius. Cerui cem numero singulari primus dixisse fertur Hortensius. Piraticam, musicam, fabricam, pro artibus, uix dum à suis præceptoribus recepta fuisse testis est Fabius. Huiusmodi uocum idem pollentium congeries, quam Græci συναθροισμὸν uocant, conducet non tantum ad hoc, ut si quando res eadem crebrius erit

repeten-

repetenda, uitemus ὁμοιολογίαν, id est, similem ubiq; sermonis colorem, uerumetiã ad δεινοσιν, id est, uehementiam faciet. Abijt, erupit, excessit, euasit. Parentem necasti, patrem occidisti, progenitorem trucidasti. Quod genus Rhetores inter orationis decora referunt, uocantq; interpretationem, ego magis arbitror ad exercitationem adhibendum esse quàm ad orationem. Difficillimum enim uariandi genus est, si manẽte sermonis habitu, sensum eundem sæpius alijs atq; alijs uerbis idem pollentibus efferre consueseas. Vt adire periculũ, subire discrimen, suscipere periculum, aggredi discrimen. Aedificat domum, extruit ædes. Emit librum, mercatus est codicem. Ablegauit puerum, amandauit ministrũ. Hic tibi ab illo habitus est honos, hæc tibi ab illo relata est gratia. Hoc præmij recepi, hoc fructus tuli. Cõdonauit culpam, remisit noxam, ignouit admissum. Quoties eius diei recolo, quoties recordor, quoties reminiscor. Nihil est humanis auribus fastidiosius, ac recte præcipit Horatius: Vt currat sententia, neu se Impediat uerbis lassas onerantibus aures. Secus est, cum & affectui seruit iteratio, & uarietas aliqua leuat repetitionis tædium. Quod genus est illud Maronis: Superéstne, & uescitur aura Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris? Huic similis est illa M. Tullij copia pro Q. Ligario: O clementiam admirabilem atq; omnium laude, prædicatione, literis, monimentísque decorandam &c. Similia dixit, non eadem. Laudatur etiam, idq; me-

rito ex eadem oratione locus, rem eandem alijs uerbis inculcans. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius &c. Hæc eò diligentius admoneo, quòd celebris alioqui nominis concionatores præsertim apud Italos senserim, hoc ceu præclarum affectare, ut huiusmodi synonymis tempus eximant, ueluti si quis interpretans illud Psalmi: Cor mundum crea in me Deus, ita loquatur, Crea in me cor mundum, cor purum, cor nitidum, cor immaculatum, cor expers sordium, cor nullis uitijs inquinatum, cor purgatum, cor lotum, cor niueum: atque idem faciat in cæteris uerbis. Atque hæc copia non multum abest à battologia.

IN CAPVT XII.

De consuetudine præcipit hoc capite ut ne alijs uocabulis aut orationibus utamur, nisi quæ probarit recepta bene loquentium cõsuetudo, & quæ inolcuerint ætatum usu probato. Vide autem de hoc Hadrianum Cardinalem in præfatione de lingua Latina, ubi latinitatis sęcula quatuor enumerat. Possumus autem numerare quatuor ætates Latini sermonis, nam est prima antiqua ætas ante Plautum & Terentium, cuius nihil extat præter Catonis opus de re rustica, & fragmenta quædam ueterum Poëtarum apud Marcellum, Gellium & Macrobium & Ciceronem. Secunda est perfecta ætas, scilicet, Ciceroniana, cuius optimi autores sunt, Plautus in plerisque, habet enim alioqui multos archaismos, & Terentius, item Lucretius, & deinde Cicero,

Catul-

Catullus, Cæsar, Probus, Virgilius, Ouidius, Tibullus, Propertius, & Fabius, Liuius, Saluſtius. Tertia ætas media eſt, in qua paululum deflexit a recto, & declinauit latinitas a candore Ciceroniano, cuius optimi autores ſunt Plinius uterque, Cornelius Tacitus, Iuſtinus, Florus, Suetonius, Martialis, Statius, Lucanus, Flaccus, Lactātius, diuus Hieronymus, & ſimiles. Quarta ætas eſt noua, cuius autores ſunt Theologi Aphri, item Claudianus & Auſonius, Prudentius, Proſper, & ſcriptores Cęſarum, Boëtius. Reliqui autem huius ætatis uix ſunt tolerabiles, ut Apuleius, Sidonius, Symachus. De recentioribus autem nihil dico, quorū alij ſe accommodare uoluerunt ad Ciceronis ſeculum, ut Valla, Longolius, Bembus, Pontanus. Alij ad mediam ætatem, alij ad nouam quoq;, ut Pius, Beroaldus. Verum illa demum optima eſt dictio, quæ Ciceronianæ ætati proxima conuenit. Ætas) ſcilicet Latini ſermonis. Mulieroſum) id eſt, mulieribus deditum. Reatum) id eſt, crimen. Munerarium) id eſt, quod datur loco muneris. Huiuſmodi uocum) hic præcipit de ſynonymis uocibus & orationibus, quæ diligenter obſeruandę, preſertim a iuuenibus: nam ſynonymia eſt fons & origo copiæ. Idem pollentium) id eſt, ſynonymarum. Συναθροισμὸν) id eſt, coaceruationem. Interpretationem) ſcilicet ſpeciem expolitionis, de qua in lib. 2. Ad exercitationem) ſcilicet copiæ. Orationem) ſeriam. Difficillimum) utiliſſimū. Manente) id eſt, non figurato. Vt adire) Huiuſmodi for-

di formę quidem synonymæ in uerbis & oratio nibus studiose sunt pueris colligendæ ex Cicerone, Terentio, Liuio, Virgilio, & alijs copiosis, præsertim autoribus bonis.

RATIO VARIANDI PER ENALlagen, siue ἑτέρωσιν. Cap. XIIII.

PRoxima uariandi ratio est, cum eadē uoce modice deflexa, uarietatis nonnihil conciliatur, ut Edax edo, bibax bibulus, biboſus bibo, loquax loquutuleius, nugator nugo, blaterator blatero, fallax falſus, uoluptuoſus uoluptuarius. Huius generis est, cum substantiuū nomē adiectiuo cōmutatur, aut contra. Vt iuxta sententiam Homeri, iuxta sententiam Homericam, Vir mirè facundus, uir mira facundia. Insignite impudens, insignita impudentia. Cum uerbum actiuum mutatur in paßiuum, aut contrà. Plurimam habeo gratiam, plurima tibi à me habetur gratia. Magna me tenet admiratio, magna teneor admiratione. Non sic amat filium mater, non sic amatur à matre filius. Et ut rem infinite uariam summatim dicam, duobus potißimum modis constat hæc mutatio. Vel cum pars ipsa mutatur, uel cum eadem orationis parte manente, qualitas nouatur. Ea totidem rationibus cōmutari poterit, quot sunt res quæ uoci cuipiam accidunt. Prioris exemplum erit: Non confido facturum me, non est fiducia, Non dubito quin poßit, non est mihi dubium quin adsit illi facultas. Iudicent alij, aliorum esto iudicium, quid huc rediſti? quid huc reditio est? desine nugari, desine

sine nugas. Id mihi anus indicium fecit, pro indicauit. Est illi mira sitis auri, mire sitit aurum: non est apud illum discrimen amici & inimici, id est, non discernit amicũ ab inimico. Nostrum istud uiuere triste. Infinitum uerbum pro nomine. Virtus est uitiũ fugere, id est, uirtus est fuga uitiorum. In his orationibus uerbum nomine permutatur. Amantem redama. Promerenti benefac. Redama eũ qui te amat. Benefac ei qui promeretur. Tui desiderantißimus est, te maxime desiderat. Nemo tui uidendi cupientior, nemo est qui te magis uidere cupiat. Hic uerbũ participio commutatur. Veniſti ereptum, uenit eripere, uenit crepturus, uenit ut eripiat. Hic uerbum supino aut participio mutatur. Ad congerendas pecunias inhiat, ad congerendum pecunias inhiat. Hic Gerundiuum, ut uocant, gerundio commutatũ est. Hoc dictum oportuit, hoc dicere oportuit. Si quid rectè curatum uelis, si quid rectè curari uelis. Hic infinitum uerbum participio commutatur. Magnũ dat ferre talentum, ferre pro ferendum. Sthelenus sciens pugnæ, id est, sciẽs pugnandi. Cupidus litiũ, cupidus litigandi. Hic nomen positum pro gerundio. Libitum est, pro libuit. Misertũ est, pro misertus sum. Pertæsum est, pro tæduit. Placitum est, pro placuit. Puduit, puditum est. Hic supinum pro uerbo. Meliuscula est, meliuscule est. Plurimum est in foro, plurimus est in foro. Rarus est conuiua, raro est conuiua. Multus est apud mulierem, multum apud mulierem uersatur. Frequens est in aula, assi-

duus in literis. Hic nomine commutatur aduerbium frequenter & aßidue. Verum aliâs fortaßis ut commodius, ita & copioßius de his dicemus. Nunc de qualitatis uariatione docendi cauſſa pauca ponamus, quaſi digito fontes ipſos indicantes.

NVMERVS.

VSurpatur numerus pro numero. Romanus prælio uictor, pro Romani uictores. Haud ſecus ac patrijs acer Romanus in armis. Vterúmque armato milite complent, armatis militibus. Omnem pecuniam abſumſit, omnes pecunias. Populo impoſuimus, id eſt, impoſui. Et oratores uiſi ſumus, cum de uno loquatur Cicero. Virgilius:

Sed nos immenſum ſpacijs confecimus æquor.

Hominis uultus, pro uultu, datur ora tueri, pro datur uideri faciem. Animos pro animo. Nam in prima perſona pro ſingulari pluratiuum numerum ponere frequentißimum eſt, aliquoties modeſtiæ cauſſa. In ſecunda nunquã, niſi genus ipſum ſignificamus, quæ ueſtra libido eſt, id eſt, uirorum. In tertia inuidiæ cauſſa mutauit Terentius. Cum ad uxores uentum eſt, tum fiunt ſenes, cum de uno Chremete diceretur. Inexplicatóſque Platonas Martialis, cum de uno Platone dicat. In genere mollior ac frequẽtior eſt numeri mutatio, in nominibus quæ Grammatici collectiua uocant, Cuiuſmodi ſunt, uulgus, populus, grex, ordo, pars in fruſta ſecant. Item in his quæ non unum aliquod indiuiduum, ſed genus aut ſpeciem declarant. Nihil enim refert utrum dicas, elephantus

phantus decimo demum anno parit, aut elephanti decimo anno pariunt.

PERSONA.

VAriatur & persona pluribus modis, uel cum certa pro quauis ponitur. Quid facias? ut homo est, ita morem geras. Videas & flumina sicca, id est, uideri poterant. Item fit per primam personam itidem ut per secundam.

Ne mihi tum molleis sub diuo corpore somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbam,
Néue tibi ad solem uergant uineta cadentem.

Nonnunquam pro prima, aut etiam secunda persona, tertiam usurpamus. Vt ait Clodius, negat Cicero, id est, tu ais, ego nego. Virgil. Nec me meminisse pigebit Elyssæ, id est, tui. Idem: Et tandem Turnum experiatur in armis. Turnum dixit pro me. Item: Manibus hoc referes telo cecidisse Camillæ, id est, meo. Huc pertinet quæ uocatur Apostrophe, cum orationẽ ad aliquam personam, aut ad rem tanquã ad personam uertimus: ut Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar. Polydorum obtruncat, & auro Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Virgil. Parenthesim cum Apostrophe coniunxit in illo: (gæ

Haud procul inde citæ Metiũ in diuersa quadri
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; uiri mendacis uiscera Tullus.

Ad hanc formam pertinet, quoties uerbum personale impersonali commutatur, ut non te hæc pudent?

Non te horum pudet? Apud barbaros aſſidue bella tur, Barbari continenter bellant. Dicitur paſſim Pontificem aduentare, Plerique dicunt Pontificem aduentare. Dici non poteſt, quàm te amem. Nemo dixerit facile quàm te amem.

GENVS.

EST nonnihil uarietatis & in generis commutatione: ut, Lachrymat pro lachrymatur. Luxuriat pro luxuriatur. Fluctuatur pro fluctuat. Præuertere p præuerti. Præcipitat pro præcipitatur. Auertit pro auertitur. Reuerto reuertor. Impertio impertior. Aſſentio aſſentior. Solebat fieri, ſolitum eſt fieri. Non quiuit compeſci, non quita eſt compeſci. Deſijt haberi in pretio, deſita eſt haberi in pretio. Cauſſa cœpit agi, cœpta eſt agi. Aſſentior, & aſſentio tibi. Conſpicor, et conſpicio. In quorum poſtremo mutatur et συζυγία. Nam illa quæ refert Diomedes, fruſtro, patio, moro, demolio, auxilio, populo, digno, atq; id genus alia, priſcis arbitror relinquenda, niſi in carmine inciderint. Nam tum excuſatius adhibebuntur. Conſimiliter in nominibus. Pileum & pileus, hæc ficus & hic ficus, hæc barbatus, hic barbitus, hoc barbiton, hic helleborus, hoc helleborum, hoc naſum dixit Plautus.

CASVS.

CAſus etiam mutatur, Eius rei mihi uenit in mentem, ea res: Non ſum id neſcius, non ſum eius rei neſcius. Quædã etiam citra Tropum duplicem habent conſtructionem. Vtor hanc rem & hac re.

Egeo

Egeo tui, egeo te. Dines pecore, dines pecoris. Dono te libro, dono tibi librum. Impertior heram hoc malo. Impertior heræ hoc malum.

SPECIES.

Species uariatur, cum deductitijs utimur pro primogenijs, Vt magnis negocijs prohibitus, magnitudine negociorũ prohibitus. Cum diminutiuis, loco simplicium, ut loquaculus pro loquax, nasutulus pro nasuto, paucula pro pauca, pauxillum pro paulum, Cum frequentatiuis uerbis pro primitiuis. Dictito pro dico, uolito pro uolo, iactito ꝑ iacto, Cum substantiuo pro adiectiuo, ut si quis pro pestilente pestẽ appellet, pro scelerato scelus dicat. Cui finitimum est, quum Italas artes dicimus pro Italicis, Batauas aures pro Batauicis, Hispanos mores pro Hispanicis. Cum comparatiuum aut superlatiuum absoluti loco ponimus. Vt:

Tristior & lachrymis oculos suffusa nitentes.

Et facundissimus, pro uehementer facundo. De quibus suo loco dicemus. Cum patronymicum loco primogenij ponitur, ut Scipiadas pro Scipionibus. Verum hoc in carmine fortasse liceat, in oratione prosa nemo tulerit.

FIGVRA.

Figuræ mutatio copiam adiuuat, quoties simplici dictione pro composita utimur aut contrà, siue id Tropo fiat, siue citra Tropum, ut temnere pro contemnere. Ruere pro eruere. Ponere pro deponere. Mittere pro omittere. Rursum conscribere pro

re pro ſcribere. Comedere pro edere, demirari pro mirari. Inaudire pro audire. Incognoſcere pro cognoſcere. Conſipere pro ſapere. Coplacare pro placare. Dependere pro pendere. Deridiculus pro ridiculus. Quandoquidem pro quando. Fit & hoc modo. Non poteſt pudeſcere, non poteſt pudefieri. Tempus eſt ut expergiſcaris, ut expergefias. Caleſcere & calefieri. Ad hanc formam fortaſſe referendum eſt illud, quoties compoſitam dictionem ſimplicibus circumloquimur. Magnanimus uir, uir magno animo. Relege, denuo lege. Magnopere te rogabat, magno te rogabat opere. Non animaduertit, non aduertit animum. Non ſatis facit, non facit mihi ſatis. Interdum uariatur compoſitionis ratio, ut exprobrare, & opprobrare, perſoluere, diſſoluere, exoluere, reſoluere æs alienum.

TEMPVS.

TEmpus quoq; non raro commutatur. Memini legere, et memini legiſſe. Prædiceres pro prædixiſſes, uel prædicere debuiſſes. Laurus erat, pro laurus eſſet. Vicimus pro uincemus. Salutato pro ſaluta. Imus, uenimus, uidemus, præſens, p præterito.

MODVS.

HVic finitima eſt modi uariatio, ut uicero pro uincam. Salutabis pro ſalutato. Ne crede, ne credas. Si uoles, ſi uolueris. Vbi uoles, ubi uolueris. Cum uacabit, cum uacauerit. Quia bene natus eſt, quia bene natus ſit. Venari, pro uenabatur.

Decli-

DECLINATIO.

IN nonnullis licebit et declinationem uariare. Vt hilarus & hilaris, uiolens & uiolentus, imbecillus imbecillis, contagium contagio, iuger et iugerũ, capo & capus, pauo & pauus, scorpio scorpius, senectus senecta, iuuentus & iuuenta.

CONIVGATIO.

IN aliquot coniugationem, ut lauere pro lauare, feruere & feruêre, accersere et accersire. Variatur eadem dictio his quoq; modis: Prosthesi, ut tetuli pro tuli, gnatus pro nato. Epenthesi, Mauortis pro Martis. Proparalepsi, ut admittier, accingier, dicier, pro admitti, accingi, dici. Paragoge, potestur pro potest. Aphæresi. Ruit omnia late, pro eruit. Linquere castra, pro relinquere. Syncope extinxti, dixti, pro extinxisti, dixisti. Apocope, Mage pro magis, uin pro uis ne. Quæ quidem species sunt Metaplasmi, propterea quod dictionem quasi transformẽt. Reliquas species prudẽs omitto, quod non admodum ad copiam facere uidentur. Et nobis propositum est, ea duntaxat persequi, quæ proprie pertineant ad id quod instituimus.

IN CAPVT XIII.

Secundum caput Copiæ uerborum est Enallage, id est, permutatio. Figura qua uel pars orationis alia parte, uel accidens partis alio accidente mutat, & est duplex, scilicet antimeria, quum pars parte mutatur, & heterosis, id est, alteratio, cum accidens partis accidente mutatur. De prio

re spe-

re ſpecie Linacer in 2. libro de poſteriore idem in 2. & in 6. libro præcipit abunde ſatis, eſtq; hæc Enallage prorſum ſpecies ſynonymiæ facillima intellectu & utiliſsima. Proxima) ſcilicet ſynonymiæ affinis ſpecies. Modice) ſcilicet in aliam partem uel accidẽs partis. Huius generis) id eſt, Enallage eſt. Edax edo) prima per Enallagen ſpeciei deriuatiuæ, cum unum deriuatiuum pro altero ſumitur. Huius generis) ſecunda. Cum uerbum) tertia ſpecies. Mutatio) id eſt, Enallage. Pars) ſcilicet orationis. Mutatur) ſcilicet per antimeriam. Qualitas) id eſt, accidens partis per Heteroſin mutatur. Voci) id eſt, parti orationis. Accidunt) ut ſpecies, comparatio, genus, numerus, figura, caſus, ut forma, modus, tempus perſona, coniugatio atq; alia accidẽtia apud Grammaticos. Non confido) Quarta ſpecies, nomen pro uerbo ponitur. Infinitum) quinta, & hoc ualde uſitatum eſt. In his) ſcilicet ſequentibus. Hic uerbum parti) 6. Participio uel participali nomine. Hic uerbum) 7. Hic gerundiuum) 8. Hic infinitum) 9. Hic nomen) 10. Hic ſupinum) 11. De quali) id eſt, de heteroſi accidentium, Numerus ſcilicet pro numero. Certa) id eſt, ſecunda uel prima perſona quæ ſunt finita pronomina. Tibi) id eſt, cuilibet. Mihi) id eſt, cuique. Ait Clodius) ſcilicet tu. Negat) ſcilic. ego. Apoſtrophe) id eſt, auerſio ad ſecundã perſonam abſentem. Parentheſin) id eſt, interpoſitionem quæ abeſſe poterat, integro tamen ſenſu. At tu) ſcilicet Meti, quia loquitur de Metio Suffetio prodi tore. Tullus) id eſt, rex. Viri) id eſt, Metij. Dicitur

tur passim) dicitur passim pontifex aduentare, quæ est personalis constructio, quia nominatiuus pontifex regitur a uerbo dicitur. Genus) scilicet pro genere in nominibus aut uerbis. συζυγία) id est, coniugatio. Priscis) scilicet non nobis. In nominibus) scilicet genus genere mutatur. Barbitus) id est, musicum instrumentum. Et alia uide in heteroclitis nominibus. Casu) scilicet pro casu. Vtor hanc rem) Priscum, sic in describēdis formis utimur genitiuo uel ablatiuo, uel etiam accusatiuo Poëtice. Puella pulcra facie, & puella pulcræ faciei, & puella pulcra faciem. Huc & antiptosis pertinet, ut literas quas misisti fuerunt iucundissimæ, id est, literæ. Huc item refer alias constructiones uarias, cum nomen aut uerbum diuersos regit casus. Species) scilicet pro specie. Deductitijs) id est, deriuatiuis. Primogenijs) id est, primitiuis. Prosa) id est, quæ abstinet a patronymicis. Figura) pro figura simplex & cōposita. Tempus) tempore. Modus) pro modo. Venari) pro uenabatur, & hic tropus mire usitatus est Historicis, ut infinitiuo uerbo utantur pro indicatiuo, adiuncto quoq; Nominatiuo, ut Catilina inter primos agere milites, adhortari, id est, Catilina inter primos milites adhortabatur. Declinatio) uide heteroclita in Grammaticis. Variatur eadem dictio) Tertium caput Copiæ uerborum est Metaplasmus, figura dictionis, qua non temere licet uti in soluta oratione, ubi habet pro barbarismo, sed tantum in iusto carmine usurpatur. Et Metaplasmus

plasmus est figura mutans Orthographiam aut Prosodiam dictionis, caussa metri aut decoris. Cuius species 14. Diomedes in secundo libro, & Mosellanus in tabulis suis, alijq; numerant, qui de syllabarum quantitate & uersibus scribendis præcepta tradunt. Vide tabulas Mosellani. Prosthesi) id est, appositione literæ aut syllabæ ad initium dictionis. Variatur) scilicet in orthographia aut prosodia. His modis) scilicet per Metaplasmi species. Epenthesi) id est appositione literæ aut syllabæ in medio dictionis, ut induperator pro imperator. Paragoge) eadem est cum proparalepsi, id est, appositione literæ aut syllabæ ad finem dictionis. Aphæresi) id est, ablatione literæ aut syllabæ ab initio dictionis, ut Temnere pro cõtemnere. Apud Plautum, quid spicis, pro conspicis. Syncope) id est, ablatione literæ aut syllabæ e medio dictionis. Apocope) id est, abiectione literæ aut syllabę a fine dictionis, ut mage pro magis. Quæ quidem) scilicet σ. Transforment) id est, in Orthographia uel Prosodia. Reliquas species) scilicet 8. quæ ad syllabas ac prosodiam fere pertinent.

VARIANDI RATIO PER ANtonomasiam. Cap. XIIII.

PRoxima uariandi sermonis ratio constat Antonomasia, id est, nominis permutatiõe, ut si quis pro Achille Peliden, aut Aeacidẽ dicat. Pro Romanis Romulidas. Pro Troianis, Priamidas aut Dardanidas. Pro Hercule, Tyrinthium. Pro Venere Cytheream aut Cypridem. Pro Diana Cynthiam. Pro

Ioue

Ioue Saturnium. Pro Mercurio Cillenium. Nonnunquam epitheton pro nomine ipso subijcere licebit. Virgil. Thalamo quæ fixa reliquit Impius: impium pro Aenea dixit. Liuius Pœnum pro Hannibale. In Terentio sæpe senex pro persona heri. Eiusdem generis est, si quis Poëtam dicat, Homerum sentiens. Philosophum, Aristotelem significans. Quemadmodum Græci Persarum regem βασιλέα nominant. Neq; ab hoc genere abhorret, si quis pro fure Verrem dicat, pro molli Sardanapalum, pro diuite Crœsum, pro crudeli Phalariden. Quæ suo loco referemus.

IN CAPVT XIIII.

Quartum caput Copię uerborum, est tropus dictionis, qui tropus est figura transferens dictionem a propria & uulgata significatiõe eius, ad non propriam significationem caussa decoris, aut necessitatis aut significantiæ. Huius species numerantur diuerso quidem modo, sed ab Erasmo hic undecim describuntur, scilicet Antonomasia in cap. 14. Periphrasis cap. 15. Metaphora cap. 16. & 17. Catachresis cap. 19. Onomatopœia cap. 20. Synecdoche capite 23. Auxesis capite 27. Hyperbole capite 28. Meiosis cap. 29. Tametsi reuera tantum octo uideantur esse dictionis tropi, quia Auxesis, Hyperbole, & Meiosis aliorsum pertinent. Sed parum refert, quia & Fabius capite 6. & Diomedes in 2. plures numerant, uide etiam tabulas Mosellani. Horũ uero troporum genus est quasi metaphora, & cæteri

omnes huius ſpecies uidentur eſſe. Ratio) id eſt, per tropum dictionis. Antonomaſia) eſt pronominatio, cum utimur appellatiuo nomine loco proprij per excellentiã, ut cum Apoſtolum pro Paulo, Saluatorem pro Chriſto, Imperatorem pro Carolo dicimus. Permutatione) ſcilicet a communi ſignificato in nomen proprium. Pro Achille Peliden. Sic in alijs quoq; patronymicis committitur hæc figura, ſcilicet tantum in uerſu, & non item in proſa. Pro Diana) ſic in patrijs nominibus ſæpe committitur hæc figura. Epitheton) id eſt, adiectiuum. Pro nomine) ſcilicet proprio. Heri) ut Simonis. Eiuſdem generis) ſcilicet per excellentiam alicubi tribui nomen appellatiuum. Neque ab hoc genere) ſcilicet cum econtra nomine proprio utimur pro appellatiuo, ut ſi Catonem dicas pro ſapiente, Thraſonem pro glorioſo, & ſimilia, quæ ſuo loco referemus, ut infra capite 46.

VARIANDI RATIO PER PERIPHRASIM. Cap. XV.

ID ſi pluribus uerbis fiat, Periphraſis erit, quam quidam Circuitionem nominant, ut ſi quis euerſorem Carthaginis & Numantiæ pro Scipione dicat, ut Troiani belli ſcriptorem dixit Horatius pro Homero. Item ſi Mantuanus uates ponatur pro Virgilio. Venuſinus poëta pro Horatio. Peripateticæ ſcolæ princeps, pro Ariſtotele. Stoicæ familiæ pater, pro Zenone. Voluptatis aſſertor ꝓ Epicuro. Hæc autem

autem ratio plurimis constat modis: Etymologia, Notatione, Finitione.

ETYMOLOGIA.

ETymologia cum nominis rationem explicamus, ut si quis hæredipetam dicat, qui hæreditates alienas appetat captetq;. Aut pro parasito hominem cibo uentriq; deditum. Aut pro philosopho hominem sapientiæ studiosum. Pro Grammatico, qui literas doceat. Pro assiduo, qui det æra. Pro locuplete, qui plurima loca possideat. Pro pecunioso, qui magnam pecorum copiam possideat.

NOTATIONE.

NOtatione constabit, cum notis quibusdam accidentium rem quampiã describimus, ut si quis iram intelligens, animi aut bilis efferuescentiam dicat, quæ pallorem uultu, ardorem oculis, tremorem membris inducat. Eiusdem generis est & illud: Qui digito scalpunt uno caput, quo molles & parum uiri significantur. Aut si dicas: Cubito se emungit, salsamentarium indicans.

FINITIONE.

FInitione constabit. Vt si quis artem bene dicendi pro Rhetorica dicat. Peculatorẽ, uirum qui ciuitatis ærarium compilasset. Hominem tyrannũ, qui ui leges ac ciuium libertatem oppressisset.

IN CAPVT XV.

Periphrasis est circuitio uerborum, cum pro uno uocabulo utimur pluribus uerbis, uel decoris, uel necessitatis caussa, ut in turpibus aut sordidis

dídis díssimulandís, opus est periphrasi. Item in interpretando & transferendo, præsertim Græca. Huius autem immodicus usus speciem habet Asiatismi. Id) id est, uerbum mutare. Periphrasis) id est, circumloquutio. Ratio) scilicet circumloquendi. Etymologia) quæ est definitio Grammatica, uocabuli expositio, ut Imperator est, qui summum tenet imperiũ. Locuples) quasi locorum & possessionum plenus. Rationem) significationem. Parasito) pro sectatore cibi. Notatio) est definitio. Rhetorica) id est, de scriptio subiecti per accidentia, ut omnium oratorum princeps est Cicero. Salsamentarium) id est, qui conficit salsamenta. Notis) id est, signis. Qui digito) a signo. Finitione) finitio est Dialectica definitio plane, q̃ est quadruplex, scilicet Essentialis, per genus & differentiam data. Causalis, per genus & causas. Partialis, per genus & partes. Officialis, per genus & officia, uel effectus proprios, uide Dialecticam. Compilasset) id est, exhausisset.

VARIANDI RATIO PER METAPHORAM. Cap. XVI.

Metaphora

ALia uerò uarietatis ratio ex metaphora nascitur, quæ Latinè translatio dicitur, propterea quod uocem à gemina ac propria significatione ad non propriã transfert. Ea multis modis tractatur.

DEFLEXIO.

PRimũ deflexione, quoties uox è propinquo ad rem proximam deflectitur, ut uideo pro intelligo. Au-

go. Audire pro obtemperare, aut credere. Sentire pro intelligere. Perſpicere pro cognitum habere. Odorari, olfacere, pro ſuſpicari ac deprehendere. Concoquere pro ferre. Deuorare pro uincere ac perferre. Complecti, exoſculari pro amare. Suſpicere pro admirari. Deſpicere pro contemnere. Ita, ſtupet animus, ſtupent oculi, ſtupent dentes. Siquidem in his, quod eſt corporis, ad animum transfertur. Quo metaphoræ genere nihil uſitatius. Huc fortaſſis pertinent & illa quoties cano pro dico, canto pro ſcribo dicimus. Præconium pro laude. Buccinari pro celebrare.

AB IRRATIONALI AD rationale.

PRoxima ſpecies eſt, quoties à bruto animante ad animal ratione præditum fit translatio, aut contrà: ut ſi hominem odioſæ atque inſulſæ loquacitatis rudere dicas aut blaterare, aut grunnire, aut gãnire. Si oblatrare pro obtrectare, allatrare pro conuiciari dicas. Contrà, ſi olorem canorum, muſicam luſciniam, perfidum uulpem, ambitioſum leonem, aſſentatorem canem, parcam formicam, operoſam apem dicamus. Cuiuſmodi multa Virgilius tribuit apibus, dum quicquid agitur in hominum Republ. id traducit ad hoc animal.

AB ANIMALI AD NON ANImal, aut contrà.

LOngius erit petita Translatio, ſi ab animali ad inanimũ traducatur, aut contrà. Virgil. ſi tan-

tum pectore robur Concipis: hic robur à ligno ad hominem transtulit. At procul excelso miratus uertice montis. Animale ad inanimatum transtulit, cum uerticem pro cacumine dixit. Item, Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos. Et ridet ager. Contra, ambo florentes ætatibus. Et uiridis ætas, & uernat ætas. Iratum mare, indignatus Araxis, auidum mare, mirantur Gargara. Quod genus & plura sunt exempla, & frequentius obuia, quàm ut hîc debeant referri. Interdum translatio fit,

AB ANIMALI AD ANIMAL.

VT si quis coruum Sui inequitantem dicat, & pascentes apes.

AB INANIMATO AD inanimatum.

SVmetur Metaphora, si quis siluam scatere dicat, quod est fontium. Aut odium suppullulascere, quod est fruticum. Aut si quis pilos fruticare dicat, aut barbam siluescere, quod est arborũ. Si quis orationem fluere dicat: Aut fluctus, & undas negotiorũ. Eiusdem generis est, si quis collem uerrucam dicat, quemadmodum Cato.

IN CAPVT XVI.

Metaphora est tropus dictionis utilissimus, transferens uocabula propter similitudinem alí quam a propria significatione ad impropriam, estq; hæc genus aliorum troporum, & adfert lumina quædam illustria orationi, ut quasi stellis

lis quibusdam interluceat, teste Cicerone in tertio de Oratore. Est autem duplex Metaphora, scilicet propinqua, quæ sumitur a simili propiore, ut quum dico, Cato solitus est allatrare *Scipionem*, item, Præsidium & dulce decus meum: & remota Metaphora, quæ a remotiore simili durius etiam quandoque sumitur, ut cum aliquem uoco caudicem, stipitem, corticem, truncum, qui sit ingenio nō ita docili. In uniuersum uero omnis metaphora est breuis similitudo. Et propinquæ Metaphoræ, ut magnam adferunt gratiam, & lucem, sic etiam sunt magis utendę. Remotæ autem non fere nisi grandi orationis generi conueniunt, quales sunt crebræ in orationibus Ciceronis, apud Liuium, in Tragœdijs & Satyris. Cætera a Cicerone in tertio de Oratore, & a Fabio in octauo, capite sexto require. Deflexio) id est, metaphora ex propinqua similitudine & ualde affini sumta. E propinquo) id est, ex ualde simili. Proximam) id est, adsimilē. Video) pro intelligo. Hæc a potentia sensitiua ad potentiam intellectiuam sunt translata, quæ tamen non licet uertere, ut intelligere pro oculis uidere non dicitur. Ab irrationali) secundus modus. Contra) Hoc si contra fiat, ut ab homine ad animal brutum transferas uocabulum, remotam habet Metaphorā & quasi speciem Prosopopœiæ, qua affingimus actum uel affectum hominis alicui bestiæ. Ab animali ad nō animal) Tertius modus. Longius erit) & hæc sæpe habet speciem prosopopœiæ. Verticē) scilicet qui est capitis animalis suprema & media pars. Ob-

uia) ſcilicet apud Poëtas præſertim, ſed non ita in ſoluta oratione, niſi cogat neceſsitas, ut apud Plinium, & reí ruſticæ ſcriptores, plurima morborum & qualitatum in animalibus uocabula transferuntur ad arbores, ad fruges, ad plantas, & ſimilia inanimata. Ab inanimato) Quartus modus.

METAPHORA RECIPROCA. Cap. XVII.

QVædã translatiões reciprocæ ſunt, ſiue communes, quas Græci uocant ἀκολούθας. Nam ut pro gubernatore aurigam, ita pro auriga gubernatorem recte dixeris. Quædam unius duntaxat partis, quas ἀνακολούθας appellant. Siquidem ut uerticem recte transfers ab homine ad montem, ita non recte cacumen ad hominẽ traduxeris. Facit autem Metaphora non ſolum ad copiã orationis, dum præſtat, ut ait Fabius, ne ulli rei nomen deeſſe uidea tur, uerum & ad ornatũ, ad grauitatem, ad euidentiam, ad ſublimitatem, ad feſtiuitatem. Nonnunquam et neceſſaria eſt, quemadmodum ruſtici gemmam dicunt in uitibus, gemmare uites, ſitire agros, fructus laborare, luxuriare ſegetes. Nos durum hominem, aſperum, neque enim aliud habemus uerbum. Sed quot modis adhibeatur translatio, & quatenus differat à finitimis tropis, non eſt huius propoſiti ſcrupuloſius perſequi. Illud admonuiſſe profuerit, ut q uolet in dicendo copioſus eſſe, ex optimis autoribus maximam inſignium translationum uim adnotatam com-

comparet, & ad eandem rem complures adhibeat similitudines. Sunt autem apud M. Tullium optimæ, apud Quintilianum plurimæ. Sed in his uix alius felicior quàm Plutarchus. Ex adagijs item non pauca colligi poterunt, propterea quòd pleraque aut allegoriam habẽt, aut aliquam Metaphoræ speciem. In his colligendis nos elaborauimus, haud scio quàm feliciter, magnis certe uigilijs. Nihil uerò prohibet, quo minus ipsi uel ex lectis, uel anima duersis rerum omnium naturis undecunq; Metaphoras fingamus, modo ne sit dura translatio, ne sordida, ne maior quàm oportet, ne dissimilis, ne nimium crebra, præsertim in eadem specie. Illud item non abs re fuerit admonere, Metaphoram interdum in simplici nomine sitam esse. Vt si quis hominem uentri addictum, pecudem appellet. Nonnunquam in epitheto. Vt quum saxeum hominem, aut ferreum scriptorem dicimus, aut uitreas undas, floridã ætatem. Interim in uerbo simplici: Vt auolat ætas, labuntur anni. Interdum additur quiddam, quod Metaphoram explicet: Inflammauit hominem cupiditate gloriæ, Incendit ira.

IN CAPVT XVII.

De usu Metaphoræ hoc caput perspicue docet & modo. Recíprocæ) id est, conuersim dícuntur de se inuícem. Ακολούθως) id est, consequentes. Quædam unius) id est, non sunt reciprocæ, & non dícuntur conuersim de se inuícem. Atque hoc díscrímen tibí hominís captus

indicat, & obseruatio lectionis probatæ. Ἀνακολούθως) id est, nō sequentes. Euidentiam) id est, perspicuitatem. Necessaria) scilicet, quum caremus uerbis propriis. Quatenus) scilicet, non ita multum quum hæc sit aliorum Troporum genus. Vim) id est, copiam, multitudinem. Metaphoræ speciem) ut homo bulla est, item sentina malorum, manipulus furum, & similia. Laborauimus) scilicet in opere adagiorum. Rerum) scilicet & artificiorum, ut ex arte militari, rustica, nautica, uenatoria, & similibus. Dura) id est, remota nimis. Dissimilis) id est, remota nimis. Crebra) quia modus est seruandus in Metaphoris. Simplici) id est, uno uocabulo substantiuo. Epitheto) id est nomine adiectiuo. Vitreas) uirides. Ferrum) id est, durum.

VARIANDI RATIO PER Allegoriam. Cap. XVIII.

IDem efficit Allegoria quod Metaphora. Neque enim aliud est Allegoria, quàm Metaphora perpetua: ut pedem conferre, pro eo quod est, concertare argumentis. Iugulum petere, pro eo quod est, caput caussæ aggredi. Et tragulam imjcere, pro eo quod est, fallaciam intendere. Vt etiam nauem perforet, in qua ipse nauiget, id est, ciuitatem euertat, qua subuersa sibi quoque sit pereundum. Huius usus frequētior est in sententijs prouerbialibus ac prouerbijs. Vt flamma fumo est proxima, quo significatur tempestiuiter cauendum esse periculum. Et uino uendibili suspensa hædera nihil est opus, cum significamus

ficamus rei per se laudabili nihil opus esse commendatione aliena. Et cretizandum aduersus Cretensem, id est, mendacijs ac dolis agendũ cum subdolo ac uano. In huiusmodi parœmijs Allegoria nonnunquam exit in ænigma. Neque id erit uitiosum, si doctis uel loquaris, uel scribas. Imò ne tum quidem si uulgo. Neque enim ita scribendum, ut omnes omnia intelligant, sed ut quædam etiam uestigare ac discere cogantur.

IN CAPVT XVIII.

Quintum caput Copię uerborum est Tropus orationis, quo nõ unum uerbum solummodo, sed tota cõstructio uel oratio aliud uerbis, aliud sensu præ se fert, per similitudinem uel contrarium. Cuius species sunt octo apud rhetores: scilicet, Allegoria, Antiphrasis, ex contrario, χαριζωμὸς, Asiatismos, σαρκασμὸς, παροιμία, αἴνιγμα, de quibus Fabius in 8. cap. σ. & Diomedes in 2. alijq; Rhetores & Grammatici. Inseritur autem hic de Allegoria caput post Metaphoram, quia Allegoria nihil est aliud, quam perpetua Metaphora, constans pluribus uerbis. Perpetua) id est, longior. Tragulam) id est, telum. Huius usus) scilicet quia Allegoria est quasi genus aliorum septem troporum orationis. Ænigma) est plane obscura sententia, ut dimidium plus toto. Item mater me genuit, quæ eadem mox gignitur ex me, qualia sunt apud Prophetas & in Apocalypsi, qualia sunt etiam oracula Deorum & Sybillarum, id est, ænigma. Vel scribas) ut Cicero

cero ad Atticum pluribus utitur ænigmatis.

VARIANDI RATIO PER CATACHRESIM. Cap. XIX.

EAndem uim obtinet Catachresis, quã Latini dicunt abusionẽ, atq; hac nota secernitur à translatione, q. abusio, ubi nomen omnino defuit. Translatio ubi aliud fuit. Veluti cum parricidam dicimus, qui fratrem occiderit, quia fratricida non dicitur. Et piscinã in qua lauamus, nec pisces insunt. Vires hominis breues, longũ cõsilium, minutum animum, pro paruo. Illud orationis genus maxime probat Quintilianus, in quo triũ permixta est gratia, Similitudinis, Allegoriæ & translationis. Vt apud Ciceronem: quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantus tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorũ. Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat aura rumoris. Similitudo est explicata, & ad rem accommodata. Metaphora, quam Cicero uocat collationẽ. Totus excanduit ira, Metaphora est. Non aliter quàm ferrum igni incandescit, ita ille per iracundiam toto uultu inflammatus est, collatio est. Itaque quod æstus Euripi comparat inconstantiæ comitiorum, similitudo est. Quod ait quantos æstus habet Allegoria est, aura rumoris Metaphora est. Quanquam hi tropi pertinent etiam ad copiam sententiarum, de qua secundo libro nobis dicetur.

In

IN CAPVT XIX.

Catachresis est Tropus dictionis, quo ,ppter necessitatem abutimur uocabulo in significatu improprio. Hæc abusio est crebra in artibus & professionibus quibus sua uocabula etiam abusiua sunt permittenda, ut in Theologia, fides, iustitia, iustificatio, lex, caro, spiritus, gratia &c. ut in iuris scientia, adoptio, arrogatio, seruitus, prædiꝝ præscriptio, prescribere. Sic in medicina, sic in artibus. Nomen) id est, proprium. Aliud) scilicet proprium. Parricidam) quia fratricida non dicitur, tametsi Cicero fingat. Illud genus) scilicet allegoricum & metaphoricum. Trium) scilicet, figurarum. Similitudinis) ex re. Allegoriæ) ex uerbis. Translationis) ex utroq;.

VARIATIO PER ONOMATOpœiam. Cap. XX.

Nonnihil accedit uarietatis & ex Onomatopœia, quæ fictio nominis dici potest. Quod genus sunt taratantara, pro cantu tubæ, Sibilus, murmur, mugitus. Ad eandem formam pertinet Paragoge, id est, deductio ac deriuatio nouorũ uerborum, ex Analogia sumta, quæ cur nobis etiam sit fugienda, non uideo, si quando sententia postulabit. Syllaturire, pro eo quod est Syllæ mores imitari uelle. Et quemadmodum dicimus Cacaturire, micturire, esurire, quid uetat quo minus iuxta Analogiam dicamus, Dormiturire, Scripturire, Proscripturire, Dicturire, Bellaturire, Nupturire? Et quemadmodum dicimus Græcari, Cur nõ itidem dicamus iuuenari, Poẽtari,

tari, cornicari, rhetoricari, philosophari, theologari? uulpinari pro ἀλωπεκίζειν ausus est dicere Plautus. Vt laureati, nummati, scutati, cur non itidem pileati, laruati, personati, & si qua sunt similia? cur nõ succesſere, sicut arescere? Et in his quidẽ fictionib. Græci longé sunt Latinis feliciores. Quorum sunt illa, Cretissare, Platonissare, aliáq; innumera. Nobis tamen nonnihil audendum censeo, præsertim in carmine, et in uertendis Græcis autoribus. Certé quæ reperiuntur apud idoneos autores, ea sunt audacter usurpanda. Neq; enim ullum uerbum nobis uideri debet durum aut obsoletũ, q; apud scriptorem probatũ reperiatur. Qua quidem in re longe lateq; dissentio ab his qui uocem omnem ceu barbaram horrent, quam apud M. Ciceronem non legerint. Quin illud etiam obseruandum, eiusdem dictionis interdum uariam esse Paragogen, quemadmodum superius attigimus. Voluptuosus & uoluptuarius, edax & edo, homunculus homulus homuntio, pauxillum & paucula. Harum igitur omniũ rerum obseruatio, copiam orationis non mediocriter adiuuabit, propterea quòd in his factitijs nominibus magna pars opum linguæ Latinæ sita est.

IN CAPVT XX.

Hic tropus finitimum habet eum qui uocatur Paragoge, id est, deductio & nouatio uerbi secundum analogiam grammaticam, ut sicut a patre patrisare, ita & a matre matrisare, a fratre fratrisare dicas, & similia. In qua tamen dictione nobis

nobis non temere permittere debemus aut indulgere, nisi quatenus doctorum consuetudo & autoritas patitur. Nominis) id est, uocabuli. Mugitus) & similia uocum uerba uide in Philomela Ouidij. Ex analogia) id est, similitudine & proportione regularum, quæ sine autoritate & usu probato nihil tamen ualet. Vetat) id est, prohibet. Cornicari) id est, imitari cornicem. Idoneos) id est, latinos, non barbaros. Paragogen) id est, deriuationem, deductionē. Superius) id est, cap. 13. de enallage. Factitijs) .i. deriuatitijs.

VARIANDI RATIO PER METALEPSIM. Cap. XXI.

ABusioni confinis est Metalepsis, quæ transsumtio Latinis dicitur. Ea erit, ubi gradatim itur ad id quod ostendimus, ut speluncis abdidit atris. Nam nigræ intelliguntur, ex nigris obscuræ, & per hoc demum in præceps profundæ. Sic Græci uocāt acutum quod uelox intelligi uolunt. Verum huius figuræ usus magis incidet in carmine, quàm in oratione soluta. Et Synecdoches species uideri potest, quemadmodum & ea quæ sequitur.

IN CAPVT XXI.

Metalepsis est translatio uerbi a caussa uel affectu sumta: ut, Post aliquot mea regna uidens mirabor aristas: nam per aristas intelligit messes, per messes æstates, per æstates intelligit annos. Sic tristis ægestas dicitur per metalepsim, quia tristes facit. Equidem sequentes tres tropi nomi-

nomine magis quam re ipsa a se inuicē differūt. Vbi gradatim itur) scilicet ab effectu ad causam.

VARIANDI RATIO PER METONYMIAM. Cap. XXII.

NEq; mediocriter ad copiā orationis facit tropus, q uocatur Metonymia, quæ dicitur nominis transmutatio. Ea fit cōpluribus modis. Vel cum inuentorē pro re subiecta ponimus, ut apud Maronem: Cererem corruptam undis. Apud Terentium: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Apud Horatium: Receptis terra Neptunus, classes aquilonibus arcet. Vulcano dicare. Vario Marte pugnare. Venus cōfert oculis & uoci. Hic inuentor, aut qui præsidet, pro re subiecta ponitur. Quod si uertas, erit durius. Vt, uinum precemur, nam hic Deus præsens adest: hic uinum pro Baccho positum est. Vel cum id quod continet pro eo quod continetur usurpatur, ut epotos cados, Cœlo gratißimus amnis, id est cœlitibus. Seculū felix. Aut contrà, id quòd durius & uiolentius fit. Virgil. Iam proximus ardet Vcalegon, hominem pro domo posuit. Terentius: Eamus ad nos, id est, ad ædes nostras: & cum dicimus hominem deuorari, cuius patrimoniū consumitur. Hunc tibi comedendum propino. Horat. De sene gustarit, id est, de pecunia senis. Vbi dominus rei pro re ipsa ponitur. Vel cum ex efficiente, effectum significamus: hic melior remis, significat enim uelocitatē, sed quæ per remos fit. Vel cōtrà, ut frigus pigrum. Mœstumq; timorem mittite. Pallida mors, Audax

iuuenta.

iuuenta. Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus. Præceps ira, hilaris adolescentia, inconsultus amor, inuerecunda uox, audax uinum. Vel cum ducem ponimus pro his qui subsunt. Vt cum ab Hannibale cæsa apud Cannas sexaginta milia dicimus. Aut cum autorem pro opere ponimus: ut cum dicimus, Virgilium uendi, Plinium semper in manibus habendum. Simile est huic cum sacrilegium deprehensum dicimus, non sacrilegum, & armorum scientiam habere, non artis. Ad hanc classem arbitror referenda, quæ pariter & ad personam, & ad rem referuntur. Vt facundus homo, facunda oratio, audax homo, audax facinus. Cõfutasti hominem, confutasti hominis argumenta. Sed quoniam hæc passim obuia sunt, desino persequi.

IN CAPVT XXII.

Metonymia est uulgaris tropus in soluta quoque oratione, utens uicino uocabulo pro uicino, ut signum pro signato, ut fasces pro imperio consulari, sceptrum pro regno, gladius pro magistratu, stadium pro cursu. Sic: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Item cum ponitur circumstantia pro eo quod descriptum est per circunstantiã. Huius nouem modos hic enumerat Erasmus. Metonymia) id est, transnominatio. Cum inuentorem) Primus modus. Neptunus) .i. mare, cui præest Neptunus. Vulcano tradere) id est, igni addicere. Marte) id est, bello, cui præest Mars. Venus) id est, libido. Hic) id est, in præcedentibus exemplis. Quod si) Se-

cundus modus. Vel cum) Tertius modus, continens pro contento. Epotos cados) id est, uinum ebibitum. Cœlo) id est, cœlitibus, uel cœlestibus Dijs. Aut contra) Quartus modus, quando contentum sumitur pro continẽte. Vcalegon) id est, domus Vcalegonis. Hunc comedendum) Huius bona deuoranda. Vbi) id est, in hoc quarto modo. Vel quum ex) Quintus modus. Vel contra) Sextus modus, cum effectus pro caussa ponitur, quem alij dicunt pertinere ad Metalepsim. Mœstũ) id est, qui facit mœstos. Vel cum ducem) Septimus modus. Aut cum) Octauus modus. Simile huic) Nonus modus, cum opus uel actum ponimus pro autore, ut in nominibus uirtutum, uitiorum, artium plerunque. Furtum est) id est, fur est deprehensus. Artis) scilicet militaris.

VARIANDI RATIO PER *Synecdochen*. Cap. XXIII.

Stnecdoche

VEhementer adiuuabit copiã & Synecdoche, quam quidã intellectionem uocant, quoniam aliud ex alio intelligimus, ut cũ ex uno plures intelligimus. Vt quod suprà retulimus, Romanus prælio uictor: Et Pœnus fugatus, pro Pœni. Ex parte totum, ut mucronem pro gladio, tectum pro domo. Retroq́, ut ingens à uertice pontus. Et fontemq́; ignemq́; ferebant. Pontum dixit pro procella, fontem pro parte aquæ. Ita Maro. Ex specie genus. Horatius: Iracũdior Adria, pro quouis mari. Acheloia pocula, pro quouis fluuio, Maro. Quod non ita commode

mode uertitur. Ex materia rem confectã, ut ferrum pro gladio, abies aut pinus pro naui. Ex præcedentibus sequentia, ut uirgineam soluit zonam, id est, deuirginauit. Subdidit equo calcaria, id est, cucurrit. Item cum lautum & unctum dicimus, quod nitidum ac splendidum uolumus intelligi. Breuiter cum quocunq; modo aliud ex alio intelligitur. Vixerũt, pro mortui sunt, Nos quoq; floruimus. Et, fuimus Troës. Et iam summa procul uillarum culmina fumant, noctem imminentem intelligimus, cum longe aliud dictum. Porrò hîc ex signo rem signatam colligimus.

IN CAPVT XXIII.

Synecdoche est tropus dictionis q̃ pars pro toto, uel totum, p parte sumitur, usitata in uersu, nõ item in prosa, quare etiam raritate differt a Metonymia, huius sex modos enumerat hic Erasmus. Synecdoche) id est, comprehensio. Quoties) Primus modus, cum singularem numerum pro plurali ponimus figurate. Romanus) id est, Romani. Ex parte) Secũdus modus. Parte) scilicet integrali, non prędicamentali. Retroq;) Tertius modus, cum totum pro parte ponimus, ut cœlum rubet, id est, pars cœli. Pontus) id est, fluctus, pars ponti. Fontẽ) id est, partem fontis. Ignem) id est, partem ignis. Ex specie) Quartus modus, cum nomen speciei pro genere ponitur, ut hybleis apibus florem depasta, &c. Acheloia pocula) id est, quilibet fluuius. Quod non ita) quia genus pro specie rarius &

obscurius sumitur in figura. Ex materia) Quintus modus. Ex præcedentibus) Sextus modus. Breuiter) Septimus modus. Vixerunt) apud Sallustium pro obierunt. Floruimus) id est, felices fuimus. Troës) id est, felices fuimus. Et iam summa) hoc exemplū magis ad metonymiam pertinet. Colligimus) scilicet, per Metonymiam, ut supra dixi.

VARIANDI RATIO PER AEQVIpollentiam. Cap. XXIIII.

PRæcipua uariandi ratio sumitur per ἰσοδύναμίαν, id est, per æquipollentiam. Ea constat negationis additione, detractione, geminatiõe, & uerbis contrarijs. Vt, Primas obtinet, non est in postremis. Vir egregie doctus, uir minime indoctus. Omnia fecit, nihil nõ fecit: nonnihil fallaciæ intendendū in hominem, id est, aliquid fallaciæ. Assumto autem uerbo diuerso, & appositā aut ademtā negatiõe, statim nouam orationis faciem constitueris. Placet, nõ displicet. Accipio conditionem, non recuso conditionem. Verum de his reliquisq; æquipollentijs exactius suo loco tractabimus. Eorum uerò quæ inter se pugnant uaria est ratio. Quædā contraria sunt, ut amor, odium, Iratus, propitius, Formosus, deformis. Quædam priuatiue dißident, ut cæcus & uidens, mortuus & uiuus, surdus & audiens, mutus & loquens. In his quod remouet, nõ prædicatur nisi de his, quorum natura capax est oppositi. Neq; enim lapis dicitur mortuus aut cæcus. Quædam contradi

ctorie

ctorie dissident, ut uolo, nolo, doctus, non doctus, probat, nõ probat. Est puella deformis, Est minime formosa. Est minime deformis, Est egregie formosa. Est homo minime surdus, Est egregie auritus. Est parum auritus, Est surdaster. Non possum non probare. De relatiuis mox dicemus. Ad hanc formam pertinent quæ actionem & passionem declarant. Ab illo graue uulnus accepit. Inflixit illi graue uulnus. In Cicerone quædam desiderantur à doctis. In Cicerone docti quædam desiderant. De his alibi dictum est.

IN CAPVT XXIIII.

Hæc tria sequentia capita, non pertinent ad Tropos, sed ad caput synonymiæ, de qua supra in 11. & 12. & uocatur hæc synonymia constructionis, quæ est quadruplex. Prima per æquipollentiam signorum. Secunda per commutationem contrariorũ. Tertia per commutationem relatiuorum. Quarta per uariationem constructionis infra cap. 31. Negationis) id est, negatiui signi, de qua uide Dialecticos. Et infra eodẽ cap. 98. usq; in caput 52. Contrarijs) scilicet inuicem commutatis per signa negatiua. Diuerso) id est, contrario. Negatione) id est, signo negatiuo. Tractabimus) scilicet cap. 98. & sequentibus.

VARIANDI RATIO PER COMparatiua. Cap. XXV.

IN nonnullis comparatiuis dictionib. fit hæc commutatio citra negationem, translatis duntaxat

partibus. Vt anteponit famam pecuniæ. Posthabet pecuniã famæ. Minoris facit famam quàm pecuniã. Pluris facit pecuniam quàm famam. Prius habet lucrum quàm honestum. Posterius habet honestum quàm lucrum. Atq; hæc quidem copia nascitur ex contrarijs. Cuiusmodi sunt, Suspicit, dispicit, curat, negligit, appetit, fastidit, atq; id genus innumera.

IN CAPVT XXV.

De commutatione contrariorum siue signorum. Innumera) scilicet contraria.

VARIANDI RATIO PER RELATIVORUM COMMUTATIONEM.

Cap. XXVI.

FAcilis est item uariandi ratio per dictiones relatiuas, quæ & ipsa ad contrariorum genus pertinent. Vxor illius esse non uult, non uult illum maritum. Recusat illius esse socer. Recusat illum generum. Pudet me huius nurus. Pudet me huius socrum uideri. Non alium mihi patrem optem. Nullius malim esse filius. O me tali felicem præceptore. Felicẽ me qui tuus sim discipulus. Caue isti locaueris agrũ. Ne committas, ut hic agrum conducat tuum. Iamdudum expectat, ut uiro nubat. Expectat ut se uir aliquis ducat. Nolim tibi debere. Nolim te mihi creditorẽ. Hoc me docuisti, hoc ex te didici. Hoc mihi retulit Paulus. Hoc ex Paulo audiui. Cautes te genuit, E Caute natus es. Plurimum ex ea re capies emolumenti. Ea res plurimum tibi adferet emolumenti. Literæ non parum ornamenti tibi conciliabunt. Ex literis

teris non parum ornamenti tibi accedet. Pater filio reconciliatus est. Filius cum patre redijt in gratiã.

IN CAPVT XXVI.

De commutatione relatiuorum. Sunt autem relatiua binæ res, quarum neutra sine altera potest esse uel intelligi, & conuersim de se inuicem in genitiuo alioue casu dicuntur. Vide prædicamentum relationis. Nurus) est uxor filij. Socrus) est uxoris uel mariti mater.

VARIANDI RATIO PER AMplificationem. Cap. XXVII.

EX *Auxesi, hoc est, amplificatione uariatur oratio: cum amplificandæ rei gratia uerbum atrocius subijcimus loco proprij, ut quum occisum dicimus, qui sit cæsus. Latronem, qui sit improbus. Occidisse, cui res acerbior acciderit. Exanimatum, dolore affectum. Enectum, cruciatũ. Mutum qui nihil responderit. Reuixisse, qui spem receperit. Oblitũ iniuriæ, qui ignouit. Huc pertinent & appellationes illæ exaggerantes, de quib. antè nonnihil memini, quum carnificem appellamus hominem immitem. Sacrilegum, sceleratum. Veneficam, malam. Præterea illa, Scelus, monstrum, Pestis, labes. Postremo et hæ, Atreus pro crudeli. Sardanapalus, pro effœminato. De quibus suo loco copiosius.*

IN CAPVT XXVII.

Sequentes tres figuræ nõ sunt Tropi reuera, sed tamẽ faciem habent Troporum, quia in his tribus uocabulum aut plus aut minus solito significat. Amplificatione) amplificatio est du-

plex, ſcilicet uerbi, de qua hic loquitur, & rerũ de qua infra in ſecundo, capite nono. Examinatum) id eſt, dolore affectum. Memini) ſupra capite 15. Suo loco) ſcilicet infra capite quadrageſimo ſexto.

VARIANDI RATIO PER Hyperbolen. Cap. XXVIII.

VAriat & Hyperbole, quam quidam ſuperlationẽ nominauit. Hac mendacio, ut inquit Seneca, peruenimus ad uerum. Plus enim dicit Hyperbole quàm res habet, attamen quod uerum eſt ex falſo intelligitur. Vt hic uel ſaxa ſua loquacitate poßit rumpere. Cœlum digito attingere. Ocyor Euro. Et fulminis ocyor alis. Sublimi feriã uertice ſydera.

IN CAPVT XXVIII.

Hyperbole) id eſt, ſuperlatio: hyperbole eſt ſupra fidẽ amplificatio uel extenuatio facti, ut ſublimi feriam ſydera uertice: &, leuior pluma. Indoctiſsimo indoctior, eſtq; poëtis familiarior hæc figura.

VARIANDI RATIO PER μείωσιν, id eſt, per diminutionem. Cap. XXIX.

DIuerſus uariãdi modus per μείωσιν, hoc eſt, per diminutionem. Veluti quoties attigiſſe dicimus eum qui pulſauit, læſiſſe qui uulnerauit. Interdum diminutio ſapit Hyperbolẽ, ut, uix oßibus hærent, Breuior Pygmæo. Minus habet quàm nihil. Verũ de his quoq; nonnulla ſuo loco diſſeremus.

IN CAPVT XXIX.

Diminutio item eſt duplex, ſcilicet uerbi, de qua

qua hic loquitur, & rerum, de qua infra libro secundo capite nono. Atq; contemtus, aut uerecundiæ gratia utimur hac figura. Diuersus) id est, contrarius. Diminutionem) scilicet uerbi. Hyperbolen) extenuationem incredibilem. De his) ut infra capite 46. in comparationibus Hyperbolicis.

VARIANDI RATIO PER COMpositionem. Cap. XXX.

VAriatur oratio nonnihil et ex Compositione: Ea sita est in his fermè figuris: Asyndeto, Polysyndeto. Veni, uidi, uici. Maro: Tectumq;, laremque, Armaq;, Amyclæumq; canem, Cressamq; pharetram. Syzeugmeno: Id fit quoties ad unum uerbum plures sententiæ respondent. Fit autem trifariam, aut cum præponitur, aut cum sequitur, aut cum interponitur, ut defloresçit forma, uel morbo, uel ætate. Hic præponitur. Vel morbo uel ætate forma defloresçit. Hic subijcitur. Aut ætate forma defloresçit aut morbo. Hic in medio intercedit. Itẽ M. Tullius, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Contrà. Neq; enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit. Nonnunquam & per iterationem repetitur nõ coniunctio, sed nomen aut uerbum, quam Epanalepsim uocant. Nihil ne te nocturnum præsidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic magnificentißimus senatus habendi

locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt? Simile huic fuerit. Vicit pudorem libido, uicit timorem audacia, uicit rationem amẽtia, aut per συνονυμίαν. Vicit timorem audacia, rationẽ superauit amentia, libido pudorem expugnauit. Experiamur igitur quot rationib. eadem sententia poßit per has figuras uariari. Contemnit deos, contemnit homines. Deos contemnit, homines contemnit, contemnit & Deos & homines. Et deos & homines contemnit. Deos contemnit atq; homines. Ad hunc locum pertinent & illa. Inediæ q̃ frigoris patientior. Lucri quã gloriæ cupientior. Cupientior lucri, quàm gloriæ. Lucri cupientior quàm gloriæ. Chariorem habeo neminẽ, & neminem habeo chariorem. Quanquam hæc non ita multum adferunt momenti, adiuuant tamen. Et, quib. de caußis. Ob eam rem. Eam ob rem. Ob cauſſam tam paruulam. Tam paruulam ob cauſſam. Veniam ad te quando ita uult pater. Quando ita uult pater ueniam. Eiuſdem rationis eſt cum ex oratione ſimplici duplicem facimus, aut contrà, ut, Omnia tua mihi debes. Quicquid habes, id omne mihi debes.

IN CAPVT XXX.

Sextum caput Copiæ uerborum eſt Schema dictionis Rhetoricorum primi ordinis, quo nõ quidem ſignificatio uocabuli, ſed ordo ſitusq; uerborum figuratur & mutatur, atq; nonnihil uariat a uulgata cõſtructione Grammatica. Huius ſunt 12, ſpecies, ſcilicet, repetitiõ, copulatio,

tio, traductio, asyndeton, polysyndeton, similiter cadens, similiter desinens, hypallage, agnominatio, antanaclasis, eclipsis, reticentia. His duodecim adduntur adhuc quinque figurę constructionis, κολῶμ, κόμμα, περίοδον, περιεολή, ὑπερβατόν: Et has quidem species decem & septem schematis in dictione, Erasmus hoc caput 30. ualde tenuiter attingit, remittens nos ad præcepta Rhetorum, ubi harum & definitiones & exempla quærere oportet. Ex compositione) id est, ex schemate primi ordinis quod dictionis uocatur, ubi neq; significatio nec affectus, sed tantummodo situs & ordo uerborum consuetus mutatur. Figuris) id est, schematibus primi ordinis. Asyndeto) id est, dissoluto, ubi desunt coniunctiones uehementiæ caussa. Polysyndeto) id est, coniuncto, ubi sunt coniunctiones superuacuæ. Syzeugmeno) id est, coniuncto per disiunctiuam coniunctionem, & est plane species polysyndeti. Contra) id est, Polysyndeton. Epanalepsin) id est, ingeminationem. Per has figuras) id est, per repetitiones. Adiuuant tamen) præsertim exercitationem scribendi uersus. Eiusdem rationis est. Paucis hic uerbis de oratione simplici & duplici, Erasmus rem maximi momenti & utilissimam perstringit ad serium aut exercitatorium stylí usum. Est ergo oratio uel constructio orationis secundum Erasmum hoc loco, alia simplex, alia duplex & cōposita. Simplicem orationem uocat eam quæ crebrioribus commatibus & membris constat, non ita longis

De oratione duplici

qualis

qualis est Ouidij in Elegiacis, Terentij, Ciceronis in breuioríb. epistol. Salustij, Iustini, Probi, Flori, Virgilij in Bucol. Oratio duplex & composita est, q̃ membris longioribus aut crebris Periodis, aut flexibus constat, qualis est periodica Ciceron. in Exordijs & Perorationibus, qualis est Historica Liuij & Cæsaris aliquando. Item Virgil. in Æneid. Admonet ergo hoc loco breuissime de oratione simplici connectenda & illiganda in Periodicam & flexuosam, & contra de oratione composita resoluẽda in simplicem. id est, de Periodis & flexibus resoluendis in commata uel membra. Verum ad hanc rem scire oportet, quod sint quinq; formæ constructionis secundum Græcos, ut apud Arist. in 3. Rhet. & Latinos, ut apud Ciceronem in 3. de Orator. & in Oratore perfecto, & apud Fabium, in 9. scilicet. Primo κόμμα, incisum uel artículus. Secundo κῶλον, membrum. Tertio περίοδος, comprehẽsio. Quarto περίολος, circuitus aut flexus. Quinto ὑπερβατὸν, transgressio. Primum ergo κόμμα est breuis compositio uerborum, non semper plenum, sed semiplenum plerunq; referens sensum: ut, Vos istæc intro auferte, abite. Sosia adesdum, paucis te uolo. Dictum puta. & reliqua, & similes orationes concisæ in quotidiano sermone & familiari, qui modo breuia, modo longiuscula habet κόμματα, tanquã artículos orationis. Hæc concisa forma usitatissima est in sacris literis, item in colloquijs familiaribus, & nõ quod ex meris commatibus aliqua

oratio

oratio sit consuta, sed quod habeat crebriora, ideo uocatur commatica & articulata. Secũdo κῶλον membrum, est compositio uerborum & commatum, referens plerunque plenum sensum, & constat κῶλον duobus ut minimum commatis: ut, Nam id arbitror apprime in uita esse utile, ut ne quid nimis. Item, Nanq; hoc tempore obsequium amicos, ueritas odium parit. Plerunque tamen tria, quatuor, aut plura commata sunt in κώλῳ, tanquam articuli plures in mẽbro uno corporis, ut crebro apud Terentium, Salustium, quandoq; apud Cæsarem, & Ciceronem, Virgilium, & Ouidium in Metamor. qui tamẽ in Elegiacis habet breuiora membra sępius, quia bini uersus in Elegia fere sententiam coguntur plenam absoluere. Sed plurimũ apud Ciceronem, Liuium, & item Cæsarem, & Plautum sæpissime inuenies membra composĩta pluribus articulis, prope ad iustã periodi formam aut flexus, ut in Epist. familiarib. in narrationibus, in dialogis uidere licet diligentius obseruanti. Tertio περίοδος comprehensio, est densa & continua frequentatio uerborum cum absolutione sententiarum. Velut Aristoteles definit, Periodus est oratio habens principium & finem secundum se, id est, naturam suam, id est, Periodus est continuatio commatum & membrorum ita inter se rotunde connexorũ, ut plenam sententiam & consequentiam, uel conclusionem referant, atq; adeo Periodus est oratio quæ complectitur antecedens & consequens se

cundum

cundum naturam suam. Constat autem teste Aristotele, Periodus quandoque unico membro, rotundiore tamen & prolixiore, ut Salustius, Quæ homines arant, nauigant, ædificant, uirtuti omnia parent. Item Cicero: Sed hoc fieri melius quàm dici aut scribi uolunt. Huiusmodi Periodus dicitur μονοκῶλον, id est, uno membro constans, quam Græcus quidem sermo sæpius Latino admittit. δικῶλον autem, id est, bimembris, Periodus est quæ constat duobus membris, ut, Facile omnes cum ualemus, recta consilia ægrotis damus, Tu si hic sis, aliter sentias. τρικῶλον, id est, trimembris, Periodus est qui constat tribus membris: ut,

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret,
Non equidē omnino capta aut deserta uiderer.

τετρακῶλον, id est, quadrimembris, Periodus est quæ constat quatuor membris: ut, Sed trahit inuitam noua uis, aliud cupido, Mens aliud suadet, uideo meliora proboq́, Deteriora sequor. Item, Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit, Quin res, usus, ætas semper aliud apportet noui, Aliquid admoneat, ut illa quæ te scire credas, nescias. Et quæ tibi putaris prima in experiundo, repudias. Et quamuis Cicero in Oratore perfecto dicat, uix plura quam quatuor membra in unum Periodum connecti, tamen constat ex ipso Cicerone & usu Periodum sæpius componi ex pluribus quam

quam quatuor membris, ut apud Terentium quoq; in 1. scena Heauton. act. 1. Quanquam hæc inter nos &c. quæ Periodus habet sex membra satis prolixa. Atque infinita sunt exempla longiorum Periodorum apud alios quoq; autores quam Ciceronem, adeo ut quaternarius numerus membrorum sit quasi medius modus Periodi, nam & paucioribus & pluribus ea fere constat, ut manifeste apparet in exordijs, in locis communibus, in digressionibus, in amplificationibus, in perorationib. apud Ciceronem. Atq; hæc de forma orationis periodicæ diximus. Quod uero ad materiam periodi attinet, nõ putes quamlibet constructionem prolixam esse statim periodum, ut infra dicam de περιόδῳ. Nam hęc demum est periodus, in qua sententia in una commatum & membrorum circunductione & connexione, continet causſam uel effectum, uel antecedens & cõsequens, uel duo pluraue similia, aut diuersa, aut oppolita. Etenim in summa, Periodus non tam uerborum & orationis quam rerũ est connexio in unam sententiam adeo continua & apta, ut instar conclusionis & præmissarum cohærcat, atq; speciem hypotheticæ propositionis, uel etiam iustæ argumentationis plerunque habeat, id quod facilime studiosus obseruator in Cicerone & alijs autoribus deprehendet. Sunt autem peculiariter quædam uerba & particulę ad faciendas periodos aptę, & in hunc usum institutæ, ut nomina relatiua aut comparatiua, & pronomina, ut con-

coniunctiones pleræque & præsertim aduersati uæ, caussales & rationales, ut participia, & aduerbia temporis, loci, similitudinis, & ablatiui absoluti, significantes consequentiã, ut gerundia & gerundiua nomina, quorũ exempla propter prolixitatem huc nequeo congerere. Sunt ergo quærenda apud autores, ut apud Ciceronem & Virgilium. Quarto περίοδος, id est, circuitus aut flexus, est oratio sinuosa & plixior, constans fere pluribus membris quam uulgata periodus, & hic flexus proprius est Historicorũ, in quo plura membra & cõmata sua serie ita se æqualiter consequuntur, ut tamen perspicua sit continuata & longior constructio, a quali statim orditur Virgil. Arma uirumq; cano &c. usque ad inuocationẽ. Ab huiusmodi flexu mox incipit Liuius quoq;. Iam primum omnium satis constat &c. Huic aliam constructionis speciem subnectunt Græci, quam ipsi εἱμὸν, Aristoteles καμπὴν, Latini tractum uel nexum uocãt. Sed re uera est περίοδος, longior paulo, quam superior flexus aut circuitus, nisi quod pluribus membris & periodis quoq; constat, cuius exemplum proponunt ex libro 6. Æneid. Principio cœlum & terras camposq; liquentes, cum decem uersibus qui sequuntur. Item ex Sileno. Namq; canebat uti, cum uersibus item decem qui sequuntur. Differt autem περίοδος, a periodo non ita multum, nisi quod in periodo tam rerum quam orationis consequentia & cohærentia requiritur bene coagmentata. Sed περίοδος,

est

est historica & longior constructio orationis non ita nexis inter se antecedentibus & consequentibus, quin facilime possit in sua membra resolui, ut uidere licet & ex priori in Liuio, in Sallustio, in Cæsare. Cauere tamen oportet, ne illa sit iusto prolixior, & obscuritatem uel tædiū pareat. Summatim ergo, periodus est circuitus orationis oratoriæ, περίοδος est circuitus orationis historicæ. Quinto ὑπέρβατον, ut supra dixi, est impeditior & obscurior constructio, ut in exordio Georgicon: Vos o pulcerrima mundi Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum. Liber & alma Ceres, cum uersibus qui sequuntur. Item in 12. Interea Reges ingenti mole Latinus, cum sequenti parenthesi longiore. Et tamen Liuius ac Virgilius alijq; bene docti sæpe non abstinent ab hyperbato, quos autoritas tuetur, & excusat operis magnitudo. Iam ergo ad finem huius cap. 30. breuissime admonet & Erasmus, orationem commatibus & membris solutam & non ita cohærentem, sed liberam (qualis solet esse oratio epistolica aut familiaris) innectere & illigare periodis aut flexibus, ut si quis fere Epitomas Flori dissolutam quasi habentes orationem ex membris & commatibus crebrioribus illiget periodis aut flexibus: & contra admonet orationem periodicā aut flexuosam resoluere in commata & membra, ut si quis exordium aliquod Ciceronis, aut locum Liuianum resoluat tanquam nodum & explicet, quod tamen si puerile & friuolum uidetur, tantaq; maie

ſtate indignum, tamẽ exercitationis cauſſa uſurpatum, multum adiuuabit diſcentem, ut melius iudicet de orationibus ita diſsimilibus. Valet enim hæc, & prior exercitatio mirabiliter ad comparandam orationis perſpicuitatẽ, id quod non niſi experti poſſunt credere. Et in hexametro elegiacoq; uerſu permutando inuicem hæc ratio exercetur rectiſsime, quod elegia non admittit prolixiores circuitus aut flexus, quales ſæpiſsime recipit hexametrum carmen, non ita aptum commatis & membris continuis. Confer ergo conſtructionem Flori, aut Iuſtini, aut Probi cum Cęſariana, & hanc cum Liuiana. Confer diuerſa Terentiana cum Ciceronis in dialogis. Confer hexametra cum elegiacis. Confer hiſtoriam Lucretiæ deſcriptam ab Ouidio in fine ſecundi Faſtorum cum narratione Liuiana in fine 1. libri. Atq; hæc in præſens de hac materia ſatis dicta ſint, quibus priuatam exercitationem & uſum oportet accedere. Simplici) id eſt, commatica & membroſa. Duplícem) id eſt, periodicam aut flexuoſam. Aut contra) ſcilicet cum ex oratione duplici, id eſt, periodica aut flexuoſa facimus, reſoluendo orationem commaticam aut membroſam.

VARIANDI RATIO PER σύνταξιν, id eſt, conſtructionem. Cap. XXXI.

EX ordine ſiue conſtructione item nonnulla ſermonis uarietas exiſtit, id quod ſuperius attigimus. Nam pleræque dictiones ſunt quæ non reſpuunt diuerſam conſtructionem, ut multum pudorẽ,

&

& multum pudoris. Scripsit mihi, et scripsit ad me. Diuersum seu alienum huic, & diuersum seu alienum ab hoc. Idem huic & idem cum hoc. Iactat maiores suos, iactat se de suis maioribus. De te somniaui, te somniaui. De te ridet, te ridet. Tota nocte potauit, totam noctem potauit. Romanorum summus, summus inter Romanos. Seruitus morte durior, seruitus durior quàm mors. Damnatus est de repetundis, damnatus est repetundarum. Natus gloriæ, natus ad gloriam. Tuæ partes sunt, tuarũ est partiũ.

IN CAPVT XXXI.

Hoc caput pertinet ad Synonymiam constructionis, nã præcipit hic de uarietate syntaxeos, quum eadem dictio uarie alias regit dictiones, uel ab alijs uarie regitur, ut bona indole iuuenis diligenter literis incumbit, & iuuenis bonæ indolis diligenter incumbit in literas. Plurima exempla uariæ constructionis uide apud Linacrũ in quarto & quinto libro. Huc pertinent etiam figuræ constructionis in Syntaxi, quæ sunt sex uel plures, ut Synrhesis, Syllepsis, Prolepsis, Zeugma, Antiptosis, Appositio, & Euocatio. Et fortasis plures similes quære. Existit) id est, apparet uel emergit.

VARIANDI RATIO PER MVTAtionem figuræ uarijs modis. Cap. XXXII.

VAriatur oratio quoties alio atq; alio affectu, ac uelut habitu profertur, quam interim figuræ mutationem licebit appellare, ut nõ est miserum mori, & usq; adeò ne mori miserum est? nihil est te

uanius, an quicquam te uanius? Hic per interrogationem uariata est figura. Nõ magnam laudem assecutus es, Egregiam uerò laudem es assecutus. Non ista curat populus, Id populus curat scilicet. Hic per Ironiam commutata est sermonis facies. Vehementer amat pecuniam. Dij boni, quàm amat pecuniam, per admirationem uersus est orationis color. Tum deos cõtemnit, tum homines. Haud scio magis ne deos contemnat, an homines. Hic per dubitationem commutata est orationis forma. Nihil mihi charius aut antiquius fama. Dispeream, si quid mihi charius fama. Hic per adiurationẽ uariatus est sermo. Ista nunquam cogitaui. Dij meliora quàm ut ista cogitarim. Hic per abominationem commutatus est color. Est uir insigni uanitate. O singularem hominis uanitatem. Hic per exclamationem. Non modo uirgines aliquot constuprauit, uerumetiã uestalem incestu polluit. V irgines complures stuprauit, ut interim de uestali incestu polluta sileã. Hic per occupationem uariatus est sermo. Quum & genere sis obscurißimo, & re nulla, nullis literis, nulla forma, nullo ingenio, quid est cur te adeo iactes? Quid habes, cur tam sis insolens? Natalium splendorem? Atqui genere es obscurißimo. Opes? at uel Iro ipso pauperior es. Eruditionem? sed bonas literas nec attigisti unquã. Formam? at ipso Thersite deformior es. Ingenium? at istud profectò nactus es stupidißimum. Quid igitur ista tua iactantia est, nisi mera insania? Hic per subiectionẽ uariatus est orationis habitus.

Neq;

Neque uerò ſolum per omnes figuras, uerumetiam per locos propè omnes uariari poteſt oratio. Cæterum quoniam hæc magis uidentur ad rerum copiam pertinere, ſecundo commentario de his diligentius diſſeremus. Hactenus formas fermè omneis paucis indicauimus, quibus manente ſententia commutatur oratio.

IN CAPVT XXXII.

Septimum caput Copiæ uerborum eſt ſchema orationis Rhetoricum ſecũdi ordinis, quo non ſignificatio uerborum a propria in impropriam mutatur, neque uulgaris ordo & ſitus uerborum transfertur admodum, neq; orationis corpus augetur, ſed tantum figuratur & uariatur habitus & ueſtitus quaſi, adeoq; adfectus orationis, cuius ſpecies paucas hic perſtringit Eraſmus, reliquas prætermittens Rhetoricis, a quibus quum uarie numerentur, tamẽ nouem ſunt primariæ, ſcilicet, interrogatio, ſubiectio, exclamatio, dubitatio, ἀναφώνημα, uel admiratio, communicatio, præteritio, auerſio & licentia. Quanquam Græci & Latini Rhetores illos ſecuti longe plures numerent, ſed inutile eſt prorſum augere immodice numerum ſchematum, quem præſtat eſſe modicum & certum. Atque hæc duo ultima capita referuntur ad ſynonymiam figurarum, quia in uniuerſum Copia uerborum omnis oritur & fluit ex ſynonymia tanquam ex proprio fonte, & inde deriuatur uarie. Nam ut ſæpe iam dixi, ſynonymia eſt triplex, ſcilicet, uerborum, conſtructionis, & ſy

nonymia figurarum. Hæc autem figurata constat metaplasmis, tropis & schematibus primi secundiq; ordinis, qua diuerso modo figuratæ orationes duæ pluresue tam eundem sensum referant. Affectu) id est, schemate orationis. Mutationem figuræ) id est, schema Rhetoricum secundi ordinis. Non est) interrogatio. Non magnam) Ironia quæ tamen ad tropum orationis pertinet supra cap. 18. Facies) id est, uultus. Vehementer) admiratio. Tum Deos) dubitatio. Nihil mihi) obtestatio. Adiurationem) id est, obtestationem. Ista nunc) abominatio. Est uir) exclamatio. Non modo) occupatio uel præteritio. Occupationem) id est, præteritionem. Cum & genere) subiectio qua nobis ipsis respondemus, sicut occupatione respondemus alijs quippiam nobis obiecturis. Subiectionem) id est, responsionem. Per locos) id est, per quælibet schemata rerum quoque, quæ nascuntur ex locis Topicis in Dialect. Quanquam affinitatem habent non modicã inter se schemata secundi & tertij ordinis, de quibus mox infra in libro 2. uidebis, quia tertij ordinis schemata rerum sunt figuræ. Formas) id est, septem capita, uel genera uerborum & horum species. Primum enim caput synonymia habet duas formas, scilicet synonymiam uerborum, & synonymiam constructionis. Secundum, Enallage, item duas, scilicet Antimeriam partium, & Heterosin accidentium. Tertium, Metaplasmus, habet 14. species. Supra eodem in fine capite 13. Quartum, Tropus dictionis,

ctionis habet 11. ſpecies. Quintum, Tropus oratiõis, habet 8. ſpecies. Sextum, ſchema primi ordinis, habet 12. ſpecies. Septimum, ſchema ſecundi ordinis, habet 9. ſpecies. In ſumma ergo ſeptem ſunt generalia capita, & horũ circiter 50. ſpecies. His ergo conſtat omnis copia, quib. uariatur & locupletatur oratio, licet argumẽtum uel materia eius non augetur, quia manet eadem ſententia in ſermone quamlibet commutato uarie, ut hic ad finem huius capitis aperte dicit. Quæ uero inde a capite tricesimo tertio ad finem uſque primi libri Copiæ ſequuntur, cum ſint meræ experientiæ & exempla Copiæ uerborum & Synonymię uerborũ conſtructionumq́, ideo non opus eſt in his exponendis tempus & operam terere, quæ ſtudioſus ſua induſtria mediocriter rei Grammaticę peritus aſſequetur. Et utiliſsimum fuerit ſimiles pluresq́ formas ſynonymiarum ex Cicerone, Terentio, Plauto, Cæſare, Liuio, Virgilio, Ouidio, aliiſq́ bonis & copioſis præſertim autoribus etiam recentioribus ad has Eraſmi formas addere. Et præterea quiſq́ priuatim exercere debet uerborum copiam illis pluribusq́ modis quales ſupra eodẽ cap. 9. Eraſmus, & Fab. in 10. cap. 5. diligẽter perſcripſerunt, quia ſine exercitatione & labore bene ſcribendi nunquã comparabitur orationis copia, ſed perpetua ariditas & inopia durabit.

EXPERIENTIAE. Cap. XXXIII.

NVnc quo res ſit dilucidior, experiundi gratia ſententiam unam atq; alteram proponamus,

conemurq; quoad fieri poterit eandem, ueluti Proteum, in omnem ſpeciem uertere. Non quòd omnis uariandi ratio in unam quampiã orationem poſsit incidere, ſed quot incident, tot utemur.

Sumaturq; illud exempli loco.

Tuæ literæ me magnopere delectarunt.

Tuæ non admittit ſynonymam. Tuæ amplitudinis, tuæ celſitudinis, tuæ maieſtatis, periphraſis eſt. Si nomen propriũ ponas, puta Fauſti, heteroſis eſt & partis et perſonæ. Fauſti literæ. Si Fauſtinæ literæ, heteroſis ſubſtantiui in epitheton.

Literæ.

Epiſtola, literæ, tabellæ, ſynonymia eſt, Literulæ, epiſtolium, tabellulæ, heteroſis. Schedæ, ſcripta, ſynecdoche. Quod ad me ſcripſiſti, periphraſis eſt.

Me.

Animum meum, pectus meum, meos oculos, uel periphraſis, uel ſynecdoche. Nos pro me, enallage numeri. Eraſmum, heteroſis eſt perſonæ.

Magnopere.

Valde, uehementer, nimium, mirè, mirificè, magnificè &c. ſynonymia eſt. Magnopere, ſummopere, ſupra modum, præter modũ, unice, ὑπέρβασις eſt. Haud mediocriter, non parum, non uulgariter, per contraria & negationem. Dici non poteſt quantopere, incredibile dictu, uerbis conſequi nequeam, atque id genus alia per hyperbolen ſapiunt.

Delectarunt.

Oblectarunt, recrearunt, exhilararunt, ſynonymia

mia est. Nisi quòd in exhilararunt metaphora uidetur esse. Voluptatem attulerunt, uoluptati fuerunt, iucundæ fuerunt, & similia, periphrasim habent. Voluptate perfuderũt, mellitißimæ fuerunt, & consimilia, translatitia sunt. Non iniucundæ fuerunt, non insuaues, à contrariorum permutatione. Reliqua citra connexum commode ostendi non possunt. Nunc igitur experiamur. Tuæ me literæ magnopere delectarunt. Delectarunt mirum in modum tuæ me literæ. Maiorẽ in modum me tuæ delectarunt literæ. Hactenus præter compositionem nihil fermè mutatũ est. Tuis literis sum magnopere delectatus. Delectatus sum maiorem in modum tuis literis. Hic genus uerbi duntaxat est commutatum. Epistola tua me uehementer exhilarauit. Tua quidem epistola sum uehementer exhilaratus. Tuæ literulæ non mediocriter animum meũ refecerunt. Humanitatis tuæ scriptis sum non mediocriter animo refectus. Ex amantißimis literis tuis incredibilem cœpi uoluptatem. Hyperbole & relatio. Amantißimæ tuæ literæ incredibilem mihi uoluptatem attulerunt. Nouam quandam lætitiã tuæ schedæ mihi pepererunt. Tuis ex schedis mirificam lætitiã concepi. Summum gaudium tua scripta mihi apportarunt. Tuis è scriptis summum mihi gaudium allatum est. Ex excellentiæ tuæ literis magnam hausimus uoluptatem. Et hic relatio est. Cætera sibi quisque facilè annotabit. Ex Fausti mei literis plurimum hausi uoluptatis. Tuis è scriptis haud uulgaris mihi uoluptas accessit. Epistola

la tua sum unicè delectatus. Ex Faustinis literis mirificum quoddam oblectamentum percepi. Tuæ lire sanè quàm delectarunt animum meum. Ineffabili gaudio tuæ me schedulæ perfuderunt. Hic metapho ra est. Tuis ex literis noua quadã delectatione sum perfusus. Incredibili lætitia tua me scripta delibutum reddiderunt. Et hic metaphora. Haud parum delectamenti tua mihi cõciliauit epistola. Legendis tuis literis oppidò quàm sum delectatus. Lectio tuarum literarum singulari uoluptate deliniuit mentẽ meam. Admodum delectabilis mihi tua fuit epistola. Eximia quadã lætitia tuæ me literæ affecerũt. Tuis ex literis singulari sum affectus lætitia. Maximæ uoluptati mihi tua fuit epistola. Summo oblectamento mihi tua scripta fuerunt. Incredibili gaudio mihi tua fuit epistola. Nimis quàm iucunda nobis tua fuit epistola. Vix credas quantopere in tuis scriptis acquiescam: Ita M. Tul. frequenter utitur acquiescere pro oblectari. Summæ iucunditati nobis tua fuit epistola. Suauissimæ mihi tuæ fuerunt literæ. Tuis ex literis singularis mihi profecta est lætitia. Tuæ literæ fecerunt ut prorsus exilirem gaudio. Tuis acceptis literis, lætitia gestiebam. Vbi mihi tuæ sunt redditæ literæ, lætitia sum expletus. Lectis tuis amantissimis literis, noua quadã lætitia correptus sum. Acceptis literis tuis, incredibilis uoluptas cepit animum meũ. Inusitata lætitia me tua demulsit epistola. Quod ad me scripseris, id mihi tam iucundum fuit, quã quod iucundissimum. Quod ad me tuas dederis literas, id

uehe-

uehementer fuit gratum. Quod me tuis dignatus es literis, eo nihil mihi potuit accidere gratius. Tuæ me literulæ oppidò gaudibundũ effecerunt. Tuis literis oppidò quã lætabundus sum effectus. Quod me tuis literis certiorem reddidisti, fuit id mihi non gratum modo, uerumetiam iucundum. Cum tua ad me perferretur epistola, uidisses me gaudij magnitudine gestientem. Quod me saltem epistola salutaris, id pfectò uolupe fuit. Literis tuis nihil adferri potuit optatius. Epistola tua ad nos uenit uehementer expectata. Literis tuis nihil adferri potuit desideratius. In his tribus metalepsis est, aut certe synecdoche. Nam iucunda solent accidere, quæ magnopere desideramus. Non possunt non esse iucundißimæ Erasmo Faustinæ literæ. Non iniucunda mihi tua fuit epistola. Neutiquam insuaues mihi tuæ uenerũt literæ. Haudquaquam ingrata mihi tua scripta acciderunt. Tam mihi dulcis tua fuit epistola, quàm ea quæ sunt dulcißima. Literas tuas multa cum uoluptate perlegi. Epistolam tuam non sine summa uoluptate recepi. Qui mihi tuas reddidit literas, is mihi gaudiorũ cumulum detulit. Dictu mirum, quàm me tua recepe rit epistola. Schedæ quas abste missas accepi, noua quadam gaudiorum luce pectus meum serenarunt. Literæ tuæ quicquid in animo mœroris erat, id omne protinus excusserunt. Miram animo persensi uoluptatẽ, cum tua nobis redderetur epistola. Tuis ex literis uoluptas insolita animo inceßit meo. Tuæ literæ fuerunt in causſa ut affatim gauderem. Tuis

literis

literis effectum est, ut totus exultarim gaudio. Dici uix queat quantum mihi lætitiæ tuis ex literis obortum sit. Vix poßim sermone consequi, quantũ gaudiorum ex tua mihi natum sit epistola. Dictu mirum est, quantum uoluptatum nobis ex tuis affulserit literis. Deum immortalẽ quàm ingens gaudium nobis è tua prouenit epistola? Papæ quantas lætitiæ causßas nobis tuæ literæ suppeditarunt? Dij boni quantam uim gaudiorũ tua mihi scripta subministrarũt? Maiorem lætitiam tuæ mihi tabellæ attulerũt, quàm ut explicare poßim. Plurimũ uoluptatis nobis tuus tabellarius apportauit. Vix credas quantum aceruũ lætitiæ literæ tuæ in animum inuexerint meum. Verbis eloqui nequeam quantis gaudijs me tua onerauit epistola. Cur autem sic uerear loqui, cum Terentius dixerit multis commoditatib. oneratum diem? Tuæ me literæ gaudijs onußtum reddidere. Tuis literis ualde sum gauisus. Tuis literis unice sum lætatus. Tua scripta nobis uberrimam lætitiæ copiam offuderunt. Lætißima mihi tua fuit epistola. Tuis literis factum est, ut prorsus frõtem exporrexerim. Visis tuis literis protinus animi mei frontem explicui. Inter legendum ea, quæ ad me scripsisti, mira quædam uoluptas animo obrepsit meo. Simul atque tuas inspexissem literas, noua quædam gaudiorum uis mentem occupauit meam. Inspectis tuis literis, incredibilis quidam æstus lætitiæ pectus subijt meum. Acceptis humanißimis literis tuis, immensa quædam lætitia me totum obsedit. Emoriar si quicquam unquam

accidit

accidit iucundius tuis literis. Dispeream si quid in uita suauius obtigit tuis literis. Ita me Musæ bene amant, ut nihil antehac accidit tuis literis gratius. Caue credas rem ullam obijci à fortuna posse iucundiorem quàm tuæ sunt literæ. Quàm ipse charus es animo meo, tam me iuuant tuæ literæ. Papæ quantum gaudiorum tua mihi excitauit epistola. Quantum risus, quantum plausus, quantum tripudiorum tuæ nobis attulerunt literæ? Elegantissimas tuas literas legens, insolita quadam lætitia tangebar. Calamus tuus me gaudijs exaturauit. Multam uoluptatem mihi tua præbuit epistola. Totum me gaudijs imbuit tua tam elegans epistola. Omneis pectoris mei sinus uoluptate refersit tua tam amabilis epistola. Rara quadam uoluptate me tuæ respersérunt literæ. Tua quidem epistola nouam quandam animo meo uoluptatẽ asperſit. Tuis literis nulla res unquam accidit mihi festiuior. Nihil unquam uidi tuis literis lubentius. Haud est quicquam quod gaudentiore acceperim animo, q̃ proximas Fausti mei literas. Quo me credis affluxisse gaudio, cum tuum animum tuis in literis agnoscerem? Cum tabellarius tuam mihi traderet epistolam, statim animus mihi lætitia ineffabili prurire cœpit. Quid ego tibi nunc referam, quæ uoluptas acceptis tuis literis, animum Erasmi tui titillarit? Animus gaudio uelut exundabat, cum tua mihi redderetur epistola. Vt lubens tuam accepi epistolam? Posteaquã epistolium tuum ad me delatum est, animus nimirum mihi gaudio efferbuit. Vix eram a-

pud

pud me præ gaudio, cum tuas acciperem literas. Literarum tuarum lepos, præcipua quadã uoluptate remoratus est animum meum. Nõ possum non uehemẽter gaudere, quoties tua scripta ad nos aduolãt. Mel merum mihi tuæ fuerunt literæ. Quicquid literarum abs te proficiscitur, id mihi saccaro ac melle fluere uidetur. Opiparis literarum tuarum epulis sum lautißime refectus. Tua scripta sunt mihi quauis ambrosia suauiora. Schedulæ mei Fausti mihi fuere uel mensis Siculis lautiores. Nulla uoluptas, nullæ sunt delitiæ, quas cũ tuis literis cõferre uelim. Nausea sunt omnia præ tuis literis. Inter legendũ amantißimas literas tuas Erasmi pectus gaudio subsultabat. Chartæ digitis tuis exaratæ, me quantus eram gaudijs explerunt. Meræ delitiæ cordi meo sunt, quicquid scriptorum abs te redditur. Nil nisi gaudium tua spirat epistola. Festum diem attulit is, qui tuas attulit literas. Triumphum adduxit, qui tuum adduxit epistolium. Nullum ego nectar tuis scriptis anteposuerim. An ego ullum mel Atticum cum tuis amantißimis literis contulerim? Saccarum non est saccarum, si cum literis tuis componatur. Nulli mortalium tam sapit lotus quàm mihi literæ tuæ sapiũt. Quod sitienti uinũ, hoc mihi tuæ sunt literæ. Quod apibus cytysum, quod salignæ frõdes capellis, quod urso mel, hoc mihi tuæ sunt literæ. Epistola tuæ celsitudinis mihi fuit quouis melle mellitior. Vbi recepissem tantopere expectatas tuas literas, dixisses Erasmum planè gaudijs ebrium. Vt redditæ sunt

abs

abs te literæ, statim uidisses nos nimia quadam lætitia quasi temulentos. Quàm unice te diligo, tam unice tuis epistolis delector. Nihil nisi merum delitium tua mihi scripta uidentur. Non tam palato blandiuntur ullæ cupediæ, quàm animum meum tuæ literæ deliniunt. Nullæ lautitiæ suauius titillant palatũ, quã tua scripta mentem titillant. ἀμάξας ἡδονῶν attulit, qui tuas reddidit literas. Voluptatũ ἅθρον adportauit tabellio tuus, tuis ad me redditis literis. Gaudiorum ἅλασσαν aduexit is, qui schedas pertulit tuas. Mihi planè tuæ literæ fuerunt quod Persis διὸς ἐγκέφαλος, quemadmodũ aiunt Græci. In his porrò si qua uidebuntur eiusmodi, ut in oratione soluta uix tolerãda putentur, meminerit hanc exercitationem ad carminis quoq; compositionem accommodari. Age iam ad eundem modum in altera quapiã sententia uariandi facultatem experiamur: Eaq; deligatur, natura non admodum fœcunda, neque ad uarietatẽ idonea, quò magis appareat quantum posit hæc commutandi ratio, si usu atq; exercitatione confirmetur. Hanc igitur sententiam sumamus. Semper dum uiuam, tui meminero.

PRincipio, Aduerbio semper nullum respondet idem pollens, neq; in aliam uocem deflecti potest. Deinde uiuam nullum item habet simile, & uerbum est unicæ uocis, id est, neutralis, nec ullũ ex se propagat nomen præter uitam. Deinde meminero non solum unicæ uocis est uerbum, uerumetiam mancum & mutilum, peneq; sterile, utpote à quo nulla

sobo-

ſoboles proficiſcatur, præter memor & memoria. Porrò duo uerba quæ his apponuntur, mori & obliuiſci uidelicet, & ipſa ſunt tum manca, tum ſterilia. Tamen aggrediemur. Cæterum uariandi rationes ex ſuperioribus per ſe lector agnoſcet. Semper dum uiuam, tui meminero. Nunquam dum uiuam, tui non meminero. Nunquam quoad uicturus ſum me tui capiet obliuio. Haud unquã dum uixero, tu animo excideris meo. Nunquam donec uiuam, mihi uenies in obliuionem. Nunquam quoad in uiuis ero, tui nobis ueniet obliuio. Non prius tui meminiſſe deſinam, quàm uiuere. Non me antè tui memoria quàm uita ipſa reliquerit. Vſq; dum ſpirabo, tui memor fuero. Donec hac luce fruar, tu animo hærebis meo. E uiuorum contubernio citius emigrauerim, quã tui memoria noſtro è pectore demigrarit. Ipſe prius è uiuis exceſſero, quàm Morus è noſtra exceſſerit memoria. Lux hæc me prius deficiet, quàm tui immemor eſſe cœpero. Vita me nõ ſerius deſtituet, quàm tam chari capitis recordatio. Idem dies mihi tui memoriam eripiet, qui uitam. Eadem lux obliuia tui nobis eſt adductura quæ mortem. Idem noſtræ tui memoriæ uitæq; finis erit. Dum memor ipſe mei fuero, tui meminiſſe neutiquam pigebit. Non alius noſtræ tui memoriæ, quàm lucis erit interitus. Is ſolus dies tui memoriam extinxerit qui uitam. Antè mei ipſius, quàm tui obliuiſci incipiam. Noſtro è pectore non prius elabetur Mori memoria, quàm hæc anima. Præter unam mortem nullus omnino te mihi ca-

ſus

ſus expectorabit. Egóne tam iucundi conuictoris un quam uiuus queam obliuiſci? Tum demum Mori ſui obliuiſci poterit Eraſmus, quum ipſe ſui deſinet me mor eſſe. Dum mihi ſenſus ullus mei reliquus erit, tu ſemper animo noſtro obuerſaberis. Cordi meo cha rior es, quàm ut uiuo quidem in obliuionem uenire poßis. Intimè noſtris in præcordijs repoſtus eſt Mo rus, ſic ut præter unam mortem, nulla res illum illinc queat eruere. Orco tradar ipſe prius, quàm te man dem obliuioni. Dum ſpiritus his oculis, his manibus imperabit, tu pectori inſidebis meo. Dum ſpiritus hos reget artus, tui meminero. Quàm diu ſupererit in nobis halitus, non quiuero tui nõ meminiſſe. Dum in uiuis agam, uſque uiuet in me tui memoria. Is mihi dies uitæ finis erit, qui tui obliuionis erit initium. Idem caſus hanc animam tèque è meo reuellet ani mo. Donec ſuperſtitem eſſe ſinent ſuperi, tui perpe tuo recordabor. Dum quicquam uitalis caloris in hoc pectore palpitabit, tui memoria non euaneſcet. Non mihi diuturnior uita futura eſt, quàm tuorũ in me meritorum memoria. Non mihi breuior fuerit tui memoria, quàm ipſa uita. Non minus durabilis erit tui capitis recordatio, quàm hæc ipſa uita. Me mihi eripiet is dies, qui tui memoriam adimet. Ipſe mihi ſubducar, prius quàm te in memoria habere deſitte ro. Haud longior erit mihi lucis huius functio, quàm tuæ benignitatis memoria. Non mihi poſterius ſub petet uiuere, quàm tui meminiſſe. Extra me fuero ci tius quàm Morus intra hoc pectus eſſe deſinet. Vita

hæc tuique memoria pari ſtudio ad metam decurrent. Prorſus non erit Eraſmus, cum Mori immemor erit. Non extabit hoc caput, ubi tam ſingularis amici quiuero obliuiſci. Donec ſuper terram acturus ſum, non committam ut obſoleſcat apud me tuæ comitatis memoria. Donec communem hunc aërem hauriam, tu crebro animo occurſabis meo. Nunquam ſerius futurum eſt Eraſmo uitam, quàm tui memoriam obtinere. Nõ ante de te cogitandi finẽ fecero, quàm Atropos fatale filum ſecuerit. Si qua dies unquam tui paritura eſt obliuiſcentiam, ea certe nunquam anteceſſerit ei, quæ me luce orbabit ipſa. Sol hic qui uidet omnia nunquam me uidebit non memorem tui. Mors una tui recordationem his è præcordijs emouebit. Donec ulla uitæ portio his in artibus reſidebit, Morus ab Eraſmi cogitatione nunquam aberit. Quamdiu ſanguinis ulla pars hoc in corpuſculo calebit, nunquam apud me refrixerit Mori memoria, Mihi quidem dum uita aderit, tu à mente mea nunquam es abfuturus. Quouſque manebit huius animæ corpuſculique copula, tu à mea memoria nullo tempore ſeiungeris. Prius animus corpori quàm tu animo meo præſens eſſe deſines. Spiritus ipſe citius ex huius corpuſculi domicilio demigrabit, quàm animo impreſſa meo imago tui deleatur. Aeque diuturna fuerit apud me tui memoria ac uitæ curſus. Eadem erit & uiuendi, & de te cogitandi meta. Non arctioribus pomerijs tui recordatio claudetur, quàm ipſa uita. Quoad ulla uena mihi uitali tempore ſaliet, dulce fue-

ce fuerit usque tui meminisse. Quantum mea Lachesis fatale stamen extenderit, tantundem extendetur & mea tui memoria. Eadem mihi & uidendi, & de te cogitandi mensura fuerit. Quoad corporis molem flatus uiuificus sustinebit, animum maximè tui memorem geram. Dum lucis usum cœlitum indulgentia concedet, te semper animo feram. Dum uitam permittent superi, non committemus, ut tam fidi congerronis unquam nobis obrepat obliuio. Donec me non deficiet anima, animum hunc & memorem & gratum nunquam posuero. Quoadusque sole uolubili frui fas erit, hunc hominem habebis tui memorem. Viuum non uidebit Erasmum, qui uidebit oblitum tui. Quanto tempore uita mihi duratura est, mens quidem hæc manebit tui recordantißima. Quandiu supero hoc Ioue continget frui, non mihi contigerit obliuisci tui. Donec uita perseuerabit, tu cordis obtutibus semper es obuersaturus. Nominis antè mei quàm tam cari amici mihi uentura est obliuiscentia. Ipse mihi prius excidero, quàm tui uultus imago. Viuenti quidem Erasmo haud unquam excidet Morus. Nulla diuturnitas æui tui apud me memoriã oblitterabit. Non nisi mecum tui extinguetur memoria. Ante fatalem diem é nostra memoria non eliminaberis. Ante obitum non desistam tui meminisse. Ante suprema funera non cessabo tui memor esse. Non ante exacta uitæ stamina, tui queam obliuisci. Viuo quidem Erasmo, Morica memoria haud unquam effluet. Tui apud me memoriam nulla unquam ætas

antiquabit. Ante ſummum diem non abrogabitur in me memoria tui. Nulla neque locorum neque temporum iniuria efficiet, quo minus tui quàm maximè meminerim in uita. Per omnẽ uitam tui meminero. Hæc uita quàm longa continget, cum tui memoria ſemper erit coniuncta. Ad ipſum uſque rogum me tui memoria proſequetur. Mei ſenſu carebo, priuſquã coniunctiſſimi hominis carituras ſim recordatione. A meis ipſe membris diſtrahar, antequàm tu ab animo meo diuellare. Mors mihi citius acciderit, quàm obliuio tam dilecti capitis. Certum eſt mortem oppetere potius, quàm tui memoriam non iugiter obtinere. Non niſi me ſepulto, tui recordatio ſepelietur in me. Tui quidem aut mecum, aut nunquam eſt interitura memoria. Donec expirem ipſe, ſpirabit in me Mori mei memoria. Donec apud ſuperos agitabimus, nũquam mihi inceſſet tuæ benignitatis obliuio. Ante obitum nunquã animo meo tui incurret obliuio, ſic enim loquitur Seneca. Nihil tam arduum hæc uita mihi gignere queat, ut tui memoriam ex his præcordijs poſſit extundere. Nulla res tam atrox mihi poſſit in hac exoriri uita, quæ tui conciliet obliuionem. Viuo nihil poſſit exiſtere, quod mihi tuæ erga me humanitatis conflet obliuiſcentiam. Sic in me radices egit memoria tui, ut nullis omnino caſibus, qui quidem uiuis ſoleant accidere, ſit unquam ceſſura. His nimirum monumentis animo meo conſecratus es, ut ea nullum æui ſpatium ualeat demoliri, ni forte mors, cui nihil rerum mortalium non cedit. Niſi ipſe

mor-

mortalis essem, non dubitarem, hanc de te memoriam immortalem fore, polliceri. Si immortalis esset Erasmus, immortalis itidem foret tui apud illũ memoria. Eiusmodi statuam in animi mei penetralibus tua merita erexerunt, ut ea quoad me tellus sustinebit, nullo casu sit diruenda. His titulis Morus inscriptus est cordi meo, ut eos nulla temporis iniuria poßit unquam exedere. Non nisi unà cum ætate tui recordatio in me cõsenescet. Ipse mihi prius excutiar, quàm Mori nomen ex adytis cordis exigatur. Id unum tibi & confirmo & præstabo, donec in mortalium numero futurus sum, tu é scrinio memoriæ nostræ nunquã dimouebere. Vt omnia tẽpus poßit, certe hoc unum illi non licebit unquam, ut uiuo mihi tui pariat obliuionem. Semper hic animus tui cum primis meminerit, neque id me dies quamlibet longa dedocebit. Donec me tellus alet, unum illud nunquam quibo dediscere, uidelicet tam chari sodalis meminisse. Donec futurus sum ἐπιχθόνιος, ut Homerico dicam uerbo, Mori memoriam continenter obtinebo. Quoad mihi continget inter σῖτον ἔδοντας, ut Homericè loquar, annumerari, nunquam hoc de pectore Mori uultus habetur. ὄφρ' ἂν ἔγωγε ζῶσι μετέω καὶ μοι φίλα γούνατα ὀρῶρα, quemadmodum inquit Homerus, tu mihi nunquam es obliuiscendus. ἐμεῦ ζῶντος ἐπὶ χθονὶ θερκομένοιο, ut est apud Homerum, nunquam te auferet obliuio. Tui memoriam perpetuo pariter cum ipso uitæ progressu producam. Superstiti Erasmo sublimitatis tuæ memoriam

nullus unquã dies expunxerit. Corpore quidem abs te distrahi potero, uerũ animo te semper intuebor, quoad uitam numina largientur. Donec aura uitalis hos artus moderabitur, tu à nostris cogitationibus nullo momento es abfuturus. Vsque adeo penitus his præcordijs tui impressa est memoria, ut nullo unquam pacto uideatur eradenda. Vt omnia tempore marcescant, tui certe memoria ad occasum usque uitæ apud me uigebit. Arctius Morum meum animo complexus sum, quàm ut uiuo posset elabi. Eadem me lux exanimem uidebit, quæ tui conspiciet immemorem. Adeo uiuam quandam imaginem tui pectori insculpsisti meo, ut uix etiam mors ipsa sit abolitura. Non erit Erasmus tui memoria uiuacior. Tam uiuax erit tui apud me memoria, ut ipse non sim futurus uiuacior. Nunquam intercidet apud me Morica memoria, donec ipse non intercidero. Semper hunc hominem experieris tui recordantem, donec uitæ particeps erit. Expers huius uitæ fuero priusquam à tui memoria alienus. Adeo uiuax est in me tui memoria, ut ipse non sim illi futurus superstes. Altius meæ memoriæ insedisti, quàm ut ulla te res inde queat emoliri. Tenacius inhæres cordi meo, quàm ut præter mortis casum quicquam aliud inde te queat eijcere. Penitius hoc in pectore conditus es, quàm ut hinc ulla ratione sis excludendus, donec mihi uitam fata non inuidebunt. Interius insitus es animo nostro, quàm ut inde incolumi quidem queas extirpari. Fixius impressum est cordi meo simulacrum tui, quàm

ut

ut superstiti possit unquam detrahi. Sic effigies tui cogitationi meæ penitus impressa est, ut eam nulla sit ætas abrogatura. Dum uita suppeditabit, nihil extiterit quod fixam animo meo Mori statuam uale-at labefactare. Fieri nunquam poterit, ut uel uiuam parum tui memor. Donec apud superos commora-bor, ne tota quidem Lethes aqua tui memoriam pote rit abolere. Donec aura uescar ætherea, subinde tui reminiscar. Vitam modo Deus impertiat, ego tibi mentem perpetuo tui memorem polliceor. Si quis mi hi uita functo sensus erit, tam dulcis amiculi recorda-bor, tantum abest ut uiuus sim obliturus. Omnia mi-hi citius acciderint in uita, quàm obliuio tui. Tum sursum uersus recurrẽt amnes, ut Græcis est in pro-uerbio, cum Erasmus Mori sui poterit non memi-nisse. Non alius me uisurus est oblitum tui, quàm qui uisurus est arduis pronos relabi riuos montibus, & Tyberim reuerti, ut ait Flaccus. Antè leues alto pa-scentur in æthere cerui, quàm uiuum Erasmum Mo-ri capiat obliuio. His coloribus in tabula pectoris mei depicta est imago tui, ut eam nulla annorum se-ries possit elucere. Supremus uitæ dies me tui memo rem deprehendet. Sospite uita non me fugiet memo-ria tui. Salua uita hac non demorietur apud me tui memoria. Quoad hæc mihi uita comes erit, comitabi-tur & tui recordatio. Hæc me uita tui memorem re-linquet. Non auolabit à nobis tui memoria, nisi auo-lante uita. Ad supremum usque uiuendi limitem, tui nobis memoria perseuerabit. In obtinenda tui memo

ria non fuero mihi dißimilis, niſi uiuus eſſe deſiero. Donec hoc uitæ munus diuina benignitas mihi ſaluum eſſe uolet, non intermorietur apud me tuæ beni gnitatis memoria, Vita defungar prius quàm tui re= colere ceſſabo, Diem obiero citius quàm te uentis & auræ mandem. Clauis adamantis noſtræ memoriæ infixus eſt Morus, quos non niſi una mors ualeat ab= rumpere. Ad ipſos uſque cineres pergam tui memi= niſſe. Ad extremam uſque ſenectam tui me comitatu= ra eſt memoria. Per uniuerſum uitæ ſpatium Mori meminerit Eraſmus. Ad extremum uſque rogum tuo rum erga me beneficiorum memoria prorogabitur. Fatallis ille dies denique me tui memorem eſt reper= turus. Dabo operam. ut tuæ humanitatis recordatio ad libitinam uſque proferatur. Nunquam mihi quic= quam obtigerit in uita, neque tam lætum, neque tam acerbum, quod tui nominis recordationem è ſinu pe ctoris mei queat expellere, Quoad hic animus in hoc corpuſculo tenebitur alligatus, non exulabit mea memoria Morus. Citius futurum eſt, ut alterum in orbem tui memoriam mecum deferam, quàm ut hîc abijciam. Animam egero prius, quàm te memoria te nere deſiero. Si quando corpus umbram ſuam pote= rit effugere, hic animus tui quibit obliuiſci. Non an= tequam diem uitæ nouißimum clauſero, deſiturus ſum tuam in me beneficentiam animo circunferre. Quàm longa dabitur uita, tam erit longa tui memo= ria. Par nobis erit memoriæ uitæque modus. Tui me= minero quo ad auras carpſero uitales. Abſit ut mihi

breuior

breuior fuerit tui memoria quàm uita. Quàm diu superabit Erasmus, tam diu tui meminisse non grauabitur. Vita orbabor antequam tui me relinquet memoria. Supero priuabor lumine, ut priscorum more loquar, citius quàm Morus ex animo deleatur meo. Ocyus hoc mihi corpusculũ morte refrixerit, quàm tui memoria frigescat apud me. Inextinctam tui memoriam semper tenebo. Quantum temporis anima fruar, sic enim loquitur Salustius, tantundem tui meminero. Perpetim tui recordatus fuero. Sine fine tui meminero. Nulla res mihi tui obliuionem inuexerit, nisi quæ me ex hac luce euexerit. Orbem hunc uerterim citius, quàm animum hunc tui memorem uertero. Vita me exuerit is casus, qui tui importabit obliuionem. Crudelibus umbris occubuero, quemadmodum loquuntur Poëtæ, citius atque tui recolere desiturus sim. Efferar ipse citius, quàm tui memoria è corde efferatur meo. Ad ipsum usque bustum tui memoria prosequetur. Ne defunctus quidem tui possim obliuisci, ne dum uiuus. Viuenti mihi nunquam obolescet hominis tam bene meriti recordatio. Quando futurum est, ut apud Erasmum euanescat Mori memoria? nempe dum uitâ destituetur. Vsque eò tui memor ero, dum in uiuis agam. Vsque dum spirabo, te corde gestabo. Quam diu dabitur anima frui, ut Salustiano more loquar, non desinam tui memoria frui. Sed iam sit modus. Neque enim id agitur, ut ostentemus quousque nos in commutando progredi possimus, sed ut studiosis adolescentibus exemplo demon

ſtremus, quantam orationis ubertatem paritura ſit hæc exercitatio. Sententiam enim non admodum feli cem, neque magnopere ad commutandum fœcundã firmé ducenties, ut opinor, commutauimus, neque ta men minutulas illas uariandi rationes ſumus anxié perſecuti. Nunc quod reliquum eſſe uidetur, uarias quaſdam orationum formulas proponemus, non id agentes ut omnes perſequamur, nam hoc utiliſsimum quidem, uerum prorſus infiniti fuerit operis, ſed ut oſtenſis aliquod uelut exemplis, uel ſibi quiſque ſimi lia fingat, uel alius aliquis, cui plus ocij ſuppetet quàm nobis, huiuſmodi dicendi figuras ex omnibus autoribus petitas, copioſius atque accuratius impẽ tiat copiæ candidatis.

QVIBVS MODIS TRIBVIMVS plura ex æquo. Cap. XXXIIII.

ESt uir tum eruditus, tum probus. Eſt iuuenis & formoſus, & bene ingeniatus. Atque, repeti= tum, Poëtarum eſt. Virgilius: Atque deos atque a= ſtra uocat crudelia mater. Eſt uir doctus pariter ac probus. Eſt uir doctus ſimul & integer. Eſt uir tam doctus quàm bonus. Vir eſt doctus iuxtà ac bonus. Vir eſt non minus probus quàm literatus. Vir eſt non inferior literis quàm moribus. Vir eſt ex æquo probus atque doctus. Vir eſt æquè literatus atque incorruptus. Vir doctus æquè ac probus. Vir perin de doctus ac probus. Exquiſitè doctus eſt, itidem & facundus. Vir eſt non minore morũ probitate, quàm doctrina præditus. Vir eſt quemadmodum doctus,

ita

ita & integer. Vir est doctúsque bonúsque, in carmine. Vir simul eruditus, simul integer. Vir est doctúsque & integer, in carmine. Vir est haud secius eruditus ac probus. Vir est ut doctus, ita & probus. Vir est doctus, & idem probus. Vir est optimus, idémque doctíssimus. Vir est pari uel doctrina uel probitate præditus. Vir est non tantum eruditus, sed & integer. Vir est non modo doctus, uerum etiam probus, Vir optimus quoque est, non modo doctíssimus. Non tantum ferunt, sed impellunt. Hæc sermonis forma peculiaris est Senecæ, ut omittatur Etiam. Vir est præter summam eruditionem etiam optimus. Vir præterquam quod doctus est, etiam optimus. Vir est de quo dubites, doctior ne sit an melior. Vir est in quo cum literis probitas morũ ex æquo certet. Vir est qui literas æquarit cum uitæ sanctimonia. Vir est cuius eruditioni respondet morum integritas. Vir est qui parem uitæ castimoniam cum eruditione copularit. Vir summa quidem doctrina, uerum morum integritate neutiquam inferior sese. Interdum idem pollet Vel: Literis tuis maiorem in modum sum delectatus, uel quòd essent elegantíssimæ, uel quòd humanitatis plenæ. Vir est in literis egregius, neque sui díssimilis in moribus. Vir est clarus imaginibus, neque non illustris egregijs in Rempublicam meritis. Officium beneficio cumulasti. Corporis formam animi dotibus æquiparas. Cum dijs ex pari uiuit. Oratione tua grauiter offensus est, partim quod esset incondita, partim quod arrogans. In hoc probitas

æquat

æquat eruditionem. In hoc fortuna cum probitate facit paria. Ita Seneca. Vir est egregie doctus, atque item probus. Vir est similiter doctus ac facundus. Vir est haud dissimiliter eloquens ac doctus. Vir pari doctrina ac probitate. Vir est perinde facundus ut doctus. Ciues, hostes iuxta metuit, dixit Salustius, pro eo quod est, ciues æquè atque hostes. Fortunæ corporis animique bonis iuxta diues. Ita Salustius: plebi patribúsque iuxta charus. Idem: Hyemem atque ætatem iuxta pati. Plinius: Iuxta diebus noctibúsque tacitus labitur mundus. Idem: In Italia partibus quibusdam iuxta hyeme & æstate fulgurat. Ad hanc formam pertinent & illa. Plautus: iuxta mecum rem tenes, id est, æque atque ego. Idem in Persa: Iuxta tecum si tu nescis, nescio. Salustius in Catilinario: Quo in loco res sitæ sunt, iuxta mecum omnes intelligitis. Huc pertinent & illa minus quidem usitata, sed tamen apud probatissimos autores reperta. Terentius: Quo iure quáque iniuria me in pistrinum dabit, id est, siue iure, siue iniuria. Cicero ad Atticum. At quàm honesta, quàm expedita tua consilia, quàm euigilata, tuis cogitationibus, quà itineris, quà nauigationis, quà congressus sermonísque cum Cæsare. Idem ad eundem: Quum uideo te distentissimũ esse, quà de Butrotijs, quà de Bruto. Quà posuit pro tũ.

QVAE COMMODIVS COPVlent contraria. Cap. XXXV.

VIr est doctrina quidem egregia, uerum moribus illaudatis. Est ille quidẽ uir bonus, uerum parum

parum eruditus. Vir est ut lingua blandissima, ita ingenij amarulenti. Vir est ut optimis prognatus maioribus, ita pessimis præditus moribus. Vir est tam deformis animo, quàm corpore formosus. Petrus quemadmodum est tacitus conuiua, ita est loquacissimus susurro. Hic salutator quidem est comis, sed uirulentus obtrectator. Blandus est uultu, cæterum animo truculento. Ferox est in timidos, at in feroces timidus. Aestate friget, contrà hyeme calet. Plautus sic usurpauit. Idem: Venit hoc mihi in mentem Megadore, te esse hominem diuitem factiosum, me item esse hominem pauperum pauperrimum. Item dixit pro contrà. Inimicis supplex, in amicos contumelioſus. Hîc nullum additur aduerbium. Voluptas parit dolorem, contrà dolor uoluptatem.

QVIBVS MODIS AEQVALIter remouemus. Cap. XXXVI.

VIr est neque doctus, neque probus, Nec literis, nec moribus probatus. Vir est non indoctus modo, uerumetiam improbus. Vir est ut indoctus, ita & improbus. Non minus improbus, quàm illiteratus. Vir est tum indoctus tũ improbus. Aeque indoctus atque improbus. Quintilianus: Nescias præstare uelint minus an possint, id est, tam non possunt præstare, quàm nolunt. Pariter & indoctus, & improbus. Vir pessimus est, & nihilo doctior. Seneca: Flamma deprimi non potest, non magis quàm quiescere. Vir cui nihil sit omnino bonarum literarum,

bono-

bonorum quoque morum tantundem. Breuiter fermè ijsdem rationibus remouemus, quibus tribuimus.

QVIBVS MODIS TRIBVIMVS inæqualiter. Cap. XXXVII.

VIr est cum doctus tum probus. Iuuenis cum elegãti fórma, tum uerò moribus optimis. Non pecuniam modo, uerumetiam uitam tibi paratus sum impendere. Vitam tibi etiam impenderim, non modo pecuniam. Verum hæc uerba non solum, & similia, communia sunt tum ad æqualitatem, tum ad inæqualitatem. Non sat erat impulisse, nisi & prodesset. Non sufficiebat spoliasse, nisi & iugularet. Parum erat deformem esse, ni mores fórma dignos addidisset. Nihil erat deformi esse uultu, nisi moribus etiam esset deterrimis. In hac sermonis fórma eleganter interdum altera pars subauditur, eáque fere potior: ut, Chrysostomus non ore tantum aureus: subauditur, uerumetiam pectore. Et Corneliæ Gracchorum matris epistolæ seruatæ sunt, non tantum in sexus honorem: subauditur, sed etiam ob admirationem eloquentiæ. Vidisti hominem non corpore tantum distortum: subauditur, uerumetiam animo.

INÆQVALITER REMOVEMVS his modis. Cap. XXXVIII.

NOn modo non intelligit, uerum ne legit quidem. Non solum parum intelligit, sed nec legit. Non tantum nihil intelligit, imò nec legit. Ne legere quidem nouit, nedum intelligat. Non nouit uel legere, tantum abest ut intelligat. Tantum abest ab intel-

intelligendo, ut ne legere quidem norit. Adeo non intelligit, ut nec legat. Vsque adeo non intelligit, ut nesciat uel legere. Hic in Græcis literis nihil, quid dicam intelligere, imò nec legere potest. Hic nihil in bonis literis non dicam intelligit, imò nec legit quidem. Ingenium quoque senectus deterit, nedum corporis uigor perpetuo duret. Horatius: Nedum sermonis stet honos & gratia uiuax. Nedum noue possuit pro eo quod est tantum abest, ut, Ne pecuniam quidem impenderet amico, nedum uitam. Eam figuram Quintilianus nouauit ad hunc modum: Nec enim de omnibus causis dicere quisquam potest, saltem de præteritis, ut taceam de futuris, id est, nec de præteritis, tantum abest ut de futuris.

QVO PACTO TRIBVAMVS AVT remoueamus ordine. Cap. XXXIX

VT quisque est gloria dignissimus, ita gloriæ est negligentissimus. Vt quisque gloria est maxime dignus, ita gloriæ minime est auidus. Optima quæq; uitæ pars quàm ocyssime præteruolat. Catullus: Tanto pessimus omnium Poëta, Quanto tu optimus omnium patronus. Quàm uos facilimè agitis, tam uos maxime æquum est æqua facere.

PER COMPARATIVVM EADEM effertur sententia. Cap. XL.

QVo quisque dignior est qui laudetur, hoc minus laudari gaudet. Quanto quisq; fama dignior, tanto minus affectat famam. Quo quisque magis promeretur honorẽ, eo minus honorẽ appetit.

Verti

Verti possunt.

Hoc minus ducitur laudis cupidine, quo quisque laude sit dignior. Tanto quisque minus optat pecuniam, quanto minus possidet pecuniæ.

FORMVLAE AVGENDI POSITIVVM. Cap. XLI.

Positiua augentur compositione harum dictionum, per, perquam, præ, perdifficile, perquam difficile, prælongus, præualidus, præpotens. Quod idem contingit in uerbis, peruelim, perquam uelim, percupio. In quibus idem interdum efficit hæc præpositio de, deamo, demiror. Eandem uim uidetur obtinere ad, adprobe, adfabre, adprime, adamo. Adiungunt Iureconsulti præpositionem in, tanquam idem pollentem. Sed errant mea sententia. Quod enim illi legunt, indifficile est, pro ualde difficile: legendum est, in difficili est, pro difficile est: quemadmodum dicimus, in procliui est, pro eo quod erat, procliue est: & in promtu est, pro, promtum est. In tuto est, in caussa est, in uitio est. Augetur positiuum & citra compositionem quàm, sed figuratè. Quàm temere amat filium, quàm nihil pudet. Vt eandem uim obtinet. Vt gaudet? ut est seuerus? Immane quantum distat, papæ, quàm is sibi placet, ad hanc rationem pertinent. Præterea his aduerbijs intenditur, oppido quàm, sanequàm, nimis quàm, antigerio, quod priscum est, atque hæc, ut dixi, non repudiantur & à uerbis, per quàm uelim, percupio, sanè quàm cupit. Neq; diuersam uim habere uidetur næ. Næ ego

infe-

infelix homo sum. Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant. Item aduerbia illa omnia epitasim significantia, Admodum, ualde, egregie insigniter, insignite, magnopere, maximopere, summopere, In primis, adprime, cum primis, in paucis, pro egredie, apud Q. Curt. tantopere & quantopere figurate. Adeo pro ualde. Fratrem adeo nobilem. Maiorem in modum, mirum in modum, supra modum, præter modum, singulariter, unice, eximie, impendio, impense, effuse, abunde, affatim, atque alia innumerabilia. Vel, utrunque efficit, auget, Cicero: ut uel perire maluerit. Seneca: uel umbra satis est. Amico non uel teruntium impartiat. Saluſt. Quibus rebus supra bonum & honestum perculsus, id est, magis quàm decuit. Plusquam, item magnam uim augendi obtinet. Homo plus quàm insanus. Senex plus quàm delirus, Plus æque sæuit, Cui finitimum est non tantum, non ut respondeat illi Græco μόνον οὐχί, sed ut idem ualeat quòd plusquam, uelut: Homo non tantum uino temulentus. Vir non tantum imaginibus nobilis, de quo paulò antè meminimus. Térque quatérque beati, Græcanicum est, Latinis tamen usurpatum, in carmine potißimum. Sunt & aliæ formæ longius petitæ. Incredibile dictu quàm elegans. Saluſt. Immane dictu. Dici non potest. Sermone consequi nequeam. Et rara quadam modestia. Præcipuum honorem. Primariam laudem. Incredibili sapientia. Haud uulgari doctrina. Et Deum immortalem, qua doctrina uirum, id est, egregia. Plus satis animosus

Plus nimio tristis. Plus quàm par est. Atque id genus alia, non absurde fortassis ijs adiungantur. Nam uulgata est illa amplificandi ratio, quoties superlatiuus pro positiuo ponitur. Plurima pro multis admodũ. Maxima pro uehementer magnis. Dicere tibi promptissimum est. Mihi facere facilimum.

De uariando positiuo.

VTimur uulgo comparatiuis pro absolutis, uel ipso Quintiliano autore. Vt si quis dixerit infirmiorem, id est, meticulosum.

RATIONES MINVENDI POSITIVVM, Cap. XLII.

MInuitur é regione positiuus adpositis præpositionibus: Subtristis, subrusticus, subobscurus, subasper, subinuidus, subinanis, subfuscus. Quod idem accidit in uerbis: Supbudet, subirascitur, subolet, subridet, subodoratur, subtimet. Minuitur & aduerbijs appositis. Non nimis molestum est. Vtcunque iucundum fuit. Aliquantulum mordax. Quæ uerbis etiam adiunguntur: Vtcunque sapit, paululum delirat. Præterea deformatione in uocem diminutiuam, quæ uaria fingitur: Argutulus, acutulus, minutulus, rancidulus, putidulus, diutile, sæpicule, ebriolus, sciolus, tenellus, nigellus, integellus, philosophaster Tullius. Comparatiuus positiui loco diminuit, ut tristior, id est, subtristis. Sed fermè in uitium accipitur, addito aduerbio paulò, & κατ' ἔλλειψιν. Vir integer quidem, sed seuerior, id est, paulò seuerior, quàm conuenit. Facundus homo, sed paulò loquacior.

tior. His igitur modis uitium ferè significamus cum extenuatione. Diminuuntur & uerba & uocis deflectione, ut uellico, cantillo, cantito, uolito, dormito. uictito. Parum & non admodum, idem efficiunt. Ne parum multa scire uiderentur. Vir non admodum senex. Non admodum adolescens. Non perinde sapiens ut diues. Non satis mihi liquet. Parum mihi liquet, Minus compertum habeo. Idem efficiunt, Vix semis. Vix & uiuus, semiuiuus, uix bene græca, parum bene græca, cum semiuiro comitatu, id est, parum uirili. Ad idem ualent, saltem & at. Cato: Si non eodem die, at postridie. M. Tull. Si non propinquitatis, at ætatis suæ. Si non hominis, at humanitatis rationem haberet. Si non primus, certe non postremus.

QVIBVS RATIONIBVS AVGEtur Comparatiuus. Cap. XLIII.

COmparatiuus peculiariter his aduerbijs amplificatur, Longe, multo, nimio. Tum his, multis partibus, in immensum, in infinitum, infinitis partibus. Longe uenustior. Multo grauior. Nimio seuerior. Horatius: Ne doleas plus nimio memor immitis Glyceræ. Multis partibus præstantior. In infinitum utilior, infinitis partibus diuina humanis sunt potiora. Tanto & quanto figurate idem efficiunt. Tanto corpore præstantior est animus, id est, multo. Idem efficit, quò & eò, cum subijciuntur. Est prædiues, quo magis admiror hominis sordes. Eò magis admiror. Papè quanto satius est amicis q̃ pecunijs abundare.

Quibus modis imminuitur Comparatiuus.

Minuitur aduerbijs positiuis. Paulò uenustior est Gellius quàm Macrobius, aliquanto breuior est hic quàm ille. Nihilo ditior. Ne tantillo quidem melior eris si dives fueris. Minimo fuerit honoratior, si titulus accesserit. Quantulo figurate, pro quàm paulò. Papæ, quantulo hic homo sapientior est, id est, pene nihilo. Minuuntur & deflectione uocis. Grandiusculus, id est, paulò grandior. Meliusculus. Clariuscule.

QVIBVS RATIONIBVS AVGEmus Superlatiuum. Cap. XLIIII.

Svperlatiuus augetur eisdem aduerbijs, quibus comparatiuus, longe, multo. Accedit autem facile. Cicero longe facundißimus, & idem uir multo omnium optimus, eius ciuitatis longe princeps, aut facile princeps, aut primus. Idem efficitur per tanto & quanto figurate posita, ut, Deũ immortalem quanto Socrates philosophorũ omniũ optimus? Quàm in cõpositione nonnihil addit augmenti, Quàm plurimos uidi: ut quàm optime res cadat, tibi nihil commodi fuerit. Per Hyperbolen augetur hoc modo: Mulier plusquam peßima, & peßima peior. Homo non loquacißimus, sed ipsa loquacitas. Et ipsa loquacitate loquacior. Ipsa Venere uenustior. Nam in Sallustiano illo: quàm quisque peßimè fecit, tam maximè tutus est: æqualitas est non augmentum. Superlatiuus non recipit diminutionem, nisi fortè per quidem,

dem, aut similem coniunctionem. Est ille quidem doctissimus, uerum moribus non perinde probatis.

PERIPHRASIS COMPARATIVI

Caput XLV.

Comparatiuum circuitione reddimus per aduerbia comparandi magis & minus, Auidior uoluptatum, quàm pecuniæ. Magis auidus uoluptatum quàm pecuniæ. Huic finitimum est potius. Volo ptatum auidus potius quam pecuniæ. Item: Non tam uoluptatum appetens quàm pecuniæ. Minus auidus pecuniæ, quam uoluptatum. Non perinde literarum admirans, quàm pecuniæ. Breuiter, modis illis omnibus quibus diximus inæqualitatem significari. Obtinent & uerba quædam uim comparatiui: præstat lucrum pudori, id est, potius est lucrum pudore. Cicero Platone facundior, Plato Cicerone doctior. Cicero Platonem superat eloquentia. Plato Ciceronem antecellit eruditione. Hieronymus Augustinum uincit rerum scientia. Augustinus Hieronymum anteit ingenij subtilitate. Plautus: Pol mœrores mihi anteuerterunt gaudijs. Terentius: Quanto herum anteeo sapientia. Plautus: Præuerti hoc certum est alijs rebus omnibus, id est, præferre rebus omnibus. Liuius: Conati noui consules omnibus eam rem præuerti. Cicero: Si uacas animo, neque habes aliquid quod huic sermoni præteruertendum putes. Plautus dixit anteuenire pro præcellere. Salustius: Homines qui per uirtutem soliti erant nobilitatẽ anteuenire. Huc pertinent & illa: Anteponere, præferre, posthabere,

re, præcellere. Noue dixit Saluſtius. Inuidia atque ſuperbia poſtfuere. Idem: Facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuiſſe, id eſt, præcelluiſſe. cedere, ſecundum eſſe, præripere laudem, & ſi qua ſunt ſimilia. Nam his fermè modis orationẽ comparatiuam uariamus: Magis amat pecuniam quàm famam. Pecuniæ Socrates amans eſt magis quàm famæ. Pecuniarum amantior eſt quàm famæ. Famam pecuniæ poſthabet. Famæ pecuniam anteponit. Minus famæ cupiditate ducitur quàm pecuniæ. Impenſius amat pecuniam quàm famam. Huic potior eſt pecunia quàm fama. Huic prius eſt lucrum quàm honeſta fama. Huic antiquius eſt laudari quàm admoneri. Huic uilior eſt uita quàm pecunia. Similem uim obtinet Præ. Cicero: Omnium minas atque omnia pericula præ ſalute ſua læuia duxerunt. Idẽ: Non tu quidem uacuus moleſtijs, ſed præ nobis beatus, id eſt, nobis beatior. Terentius: Ludum iocúmque alterum dices illum, præ ut huius rabies quæ dabit. Plautus: Nihil Hercule hoc quidem, præ ut alia dicam. Idem dixit, præ quàm, pro, præ ut.

QVIBVS MODIS SVPERLATIuum uariamus. Cap. XLVI.

SVperlatiuus uariatur primum aduerbijs quæ apponuntur, uel uerbis uel nominibus poſitiuis. Amat te maxime. Amantiſsimus eſt tui. Effuſiſsimè te diligit. Vir indoctiſsimus, uir minime doctus. Minime multos, id eſt, quã pauciſsimos. Variatur et per comparatiuum, idque affirmatiuè, ſed inuſitatius. Negatiuè

gatiuè frequentius. Cicero reliquis omnibus eloquentior. Cicero quo nō alius eloquentior. Quo non præstantior alter, id est, omnium præstantißimus. Nihil minus amat quàm assentationem. Nulla re minus capitur quàm gloria. Nihil hunc æquè delectat atque Musica. Nihil prius habent, quàm adesse conuiuijs. Nihil pulchrius ducit, quàm diuitem uocari. Nihil minus faciam, nihil minus sentiebam, quàm quod tu suspicabare. Homo quiduis potius quàm doctus. Efficiam ut intelligas omnia mihi defuisse potius, quàm fidem ac diligentiam. Omnia potius quàm illud agnoscet. Quiduis potius quàm uanitatem fatebitur. Nullo inferior, id est, sumus. Nullo non inferior, id est, omnium infimus. Nemine non deformior, id est, omnium deformißimus. Per uerba nonnunquā idem efficitur. Cicero superat omnes dicendi copia. Vincit omnes candore. Nemini cedit candore. In dicendo principatum obtinet. Primas tenet. Arcem tenet. Adde huc & illa: Vir præter cæteros spectatæ fidei. Præter omnes te diligit. Supra cunctos tuæ gloriæ fauet. Ante omnia rei studendum. Vnicus & solus, primus, & similia natura superlatiuam significationem habent, ut & singularis. Vnice te amat. Solus est homo homini amicus. Singulari beneuolentia te prosequitur. Primam laudem obtinet. Tullius eloquentiæ princeps. Penulatorum alpha, dixit Martialis, Eodem pertinent: Tam facundus, ut cum hoc nemo sit conferendus. Tam eruditus, ut ei nemo sit æquandus. Tam prudens, ut parem non inuenias.

Horatius: Sic ut mihi nunquam in uita fuerit melius. Adeò placet, ut magis non posſit. Item & illa: Quis hoc uno facundior? Quid inuenias pecunia uilius? An quicquã est patria dulcius? Erras si credis mihi quicquam esse uno te carius. Sunt & illæ orationes annotandæ: Officium tuum tam mihi gratum fuit, quàm quæ gratiſsima. Tam te amo, quàm qui maximè. Terentius: Amabat ut cum maximè tum Pamphilus. Cicero: Domus celebratur ita ut cum maximè. Rurſum hæ quoque. Hoc crede mihi, ſi quid unquam es crediturus. Homo doctus, ſi quiſquam est omnino doctus. Homo uorax, ut ſi quis alius. Homo quantum alius nemo doctus. Nullus æquè pernouit hominis ingenium atque ego. Haud alium reperies perinde tui ſtudioſum. Neminem adæque timet atque te. Si alias unquam, nunc ſumma uigilantia utendum est, id est, nunc maximè. Si quando aliâs amicum præſtitiſti, nunc oſtendi quanti me facis. Quantum potest, quoad fieri potest, & conſimilia, ſuperlatiui uim uidentur obtinere. Tu quantum potes abi, id est, quàm ocyſsimè. Enitar quo ad potero, id est, quàm maximè. Haud ab re fuerit huc annumerare denominationes & comparationes illas per hyperbolem ſumtas: ut ſi quis hominem crudeliſsimum, Atreum appellet. Eloquentiſsimum, alterum Ciceronẽ. Seueriſsimum, tertium Catonem. Tum per comparationem, Hic est niue candidior, Scytha barbarior, graculo loquacior, aut turture. Verum huius generis aliquot exempla commemorare non inutile fuerit. Sumuntur autem

autem uarijs modis. Vel à re quapiam eximia, ut niue candidior, pice nigrior. Vel à nomine abstracto, quod uocant, cæcitate cæcior. Vel ab animante insigni, ut talpa cæcior, caprea oculatior, Vel à persona insigni, ut Phalaride crudelior. Tum adhibentur per simplicem denominationem. Vt si rem uehementer suauem, mel aut nectar appelles. Rem uehementer acerbam, fel. Hominem supra modum senem, senium ipsum. Vehementer sceleſtum, scelus. Odiosum, odium. Ganeonem, cœnum. Lurconem, baratrum. Contaminatum labem. Contemtum, quisquilias. Impurum, sterquilinium. Pernicioſum, peſtem. Tenebrionem, tenebras. Inquinatum, lutũ. Infamem, propudium. Portentuoſum, portentum. Dedecoroſum, dedecus. Moleſtum, ulcus. Vitioſum, ſentinã. Odioſum, odium hominis. Brutum, pecudem. Viruleutum, uiperam. Vehementer cæcum, talpam. Vehementer rapacem, lupum. Impendio deformem, Therſitem. Eadem hæc nomina per comparationem efferri poſſunt.

Melle dulcior	Pice nigrior
Niue candidior	Pluma mollior
Oleo tranquillior	Auricula infima mollior
Auro purior	Plumbo ſtupidior
Stipite tardior	Caudice ſtolidior
Silice durior	Cortice leuior
Littore ſurdior	Aequore ſurdior
Iracundior Adria	Spongia bibatior
Harenis ſitientior	Aere Dodõæo loquacior

Vitro fragilior
Cothurno instabilior
Cote durior
Buxo pallidior
Alga uilior
Glacie frigidior
Beta magis insipidus
Spina distortior
Pluma leuior
Vento instabilior
Barathro capacior
Charybde uoracior
Corcoro uilior
Subere leuior
Floralibus licentiosior
Magnete illicibilior
Cornu ficcior
Dolio ptuso incõtinẽtior
Laterna magis pellucidus
Euripo inquietior aut inconstantior
Pila uolubilior
Alno procerior
Soleclarius
Sardois herbis amarior
Rusco horridior
Aetna æstuantior
Trutino iustior
Ampulla inanior
Ramento leuior
Morte odiosor
Rubo arido præfractior
Clemate Aegyptia nigrior
Crãbe recocta molestior
Clauo purior
Pistillo retusius ingenium
Pumice acidior
Vuis passis aridior
Cribro infidelior
Fonte purior
Oculis larior
Luce magis dilecta

Item per hyperbolen eadem uoce iterata.

Ipsa cæcitate cæcior
Ipsa fame esurentior
Voracitate uoracior (or
Ipsa morositate morosior
Deformitate deformior
Confidentia confidentior
Ipsa stultior stultitia
Ipsa nequitia nequior
Ipsa siti siticulosior
Quauis peste pestilentior
Ipsa loquacitate loquacior
Quouis mõstro mõstrosior
Senio senilior ipso
Calamitate calamitosior

His

His finitima sunt illa.

Venere formosior Marte bellacior seu pugnatior
Mercurio facundior Salute ipsa salubrior
Fortuna ipsa fortunatior Ipso infortunio infortuna
Vertumno inconstantior Protheo mutabilior (tior
Empusa magis uarius Ipsis gratijs humanior
Ipso Momo mordacior Priapo salacior
Minerua doctior Euterpe concinnior
Pluto ditior Penia pauperior
Furia furiosior Harpya rapacior

His proxima sunt nomina personarum, quæ petuntur é Tragœdijs aut Comœdijs, aut fabulis alijs.

Gnathone adulantior Thrasone glorioſior
Phormione confidẽtior Geta uersutior
Euclione tenacior Thaide blandior
Demea asperior Mitione lenior
Parasito edacior Tantalo sitientior
Atreo crudelior Oreste insanior
Aiace insanior Vlysse dolosior
Therſite deformior Nestore uiuacior
Orpheo uocalior Glauco stupidior
Cyclope immanior Iro pauperior
Penelope castior Nireo formosior
Tithono uiuacior Diana intactior
Achille animosior Erisithone esurientior
Niobe fœcundior Stentore clamosior
Tiræsia cæcior Eusyride illaudatior
Sphinge inuolutior Labyrintho intricatior
Dædalo ingeniosior Icaro audacior

Gigan-

Gigantibus elatior Gryllo ſtultior
Excetra pertinacior Neſtore facundior

His confinia ſunt quæ ſumuntur ex hiſtorijs, ut:

Phalaride crudelior Timotheo felicior
Polycrate fortunacior Timone inhumanior
Sardanapalo nequior Numa religioſor
Phocione iuſtior Ariſtide incorruptior
Crœſo ditior Catone præfractior
Craſſo locupletior Codro pauperior
Aeſopo luxurioſior Heroſtrato ambitioſior
Fabio cunctatior Socrate ſanctior
Milone fortior Chryſippo acutior
Lynceo perſpicacior Thracalo uocalior
Demoſthene facundior Curione obliuioſior
Hannibale uafrior Heraclito obſcurior
Ariſtarcho doctior

Huc pertinent & illa quæ ſumuntur à gentibus.

Pœno perfidior (lior Scytha aſperior
Scythotauris inhoſpita- Cretenſi mendacior
Parthis fugacior Græco uanior ſeu leuior
Thracibus bibacior Theſſalo perfidior
Care uilior Leontinis luxurioſior
Sybarita faſtuoſior Mileſijs effœminatior
Arabis ditior Pigmeo breuior
Arcade ſtolidior Cretenſi uanior
Aſoto luxurioſior

Addantur his quæ ſumuntur ab animantibus.

Muliere loquacior Paſſere ſalacior
Hirco libidinoſior Ceruo uiuacior

Coruo

Coruo uiuacior — Cornice uiuacior
Graculo loquacior — Luscinia uocalior
Dipsade nocentior — Vulpe fraudulentior
Echino asperior — Anguilla lubricus magis
Lepore timidior — Pisce sanior
Delphino lasciuior — Phœnice rarior
Scropha fœcundior alba — Nigro cygno rarior
Albo coruo rarior — Vulture edacior
Scorpio improbior — Iaculis inexpectatior aut pestilentior
Testudine tardior — Cochlea contractior
Glire somniculosior — Sue indoctior
Asello tardior — Hydra immitior
Dama timidior — Tauro robustior
Hirudine bibacior — Cane rixosior
Equo indomito ferocior — Vrso hispidior
Tipula leuior — Simia lasciuior
Cane adulantior — Fele rapacior
Ceruo demißis auribus surdior — Laro stultior
Coccice importunior — Scarabeo improbior

Idem pollent quæ sumuntur ab officijs, ut:

Carnifice immanior — Lenone periurus magis
Cinædo effœminatior — Milite glorioſior
Athleta robustior — Rege magnificentior
Areopagita tristior — Monacho imperitior
Hæredipetis adulantior — Tyranno uiolentior
Fossore durior.

EAndem uim obtinent uoces denominatiuæ ab his deformatæ. Vt mellitum, pro uehementer iucun

do.

do. Niuei mores, pro uehementer puris. Aureum seculum, pro magnopere felici, laudatóque. Plumbeũ, saxeum, pro duro. Ferreus scriptor. Bliteus, Beta-ceus, pro fatuo. Ficulnum, pro molli. Adamantinum, pro duro, ac laborum egregie toleranti. Vitreum pro fragili. Vultureus uenter. Vulpinum ingenium. Leonina ferocia. Thrasonica iactantia. Demeana asperitas. Stentorea uox. Ciceroniana facundia. Cuius generis plura sunt, quàm ut numerum eorum persequi laboremus. Illa porrò longius quidem petita uidentur, sed tamen hunc ad locum pertinent. Quã curat numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Non pluris illius conuitia facio, quàm culicem elephantis Indicus. Pili non facio. Nauci non facio. Flocci non facio. Sed hæc alio loco.

COMMVNIS OMNIVM GRADUUM uariatio. Cap. XLVII.

OMnes gradus circuitione uariamus: Vir magnopere doctus. Vir magna doctrina præditus. Magis doctus. Maiore doctrina præditus. Doctißimus, maxima doctrina præditus. Et res cum magna, cum maiore, cum summa turpitudine coniuncta est, Quæ uocantur ἰσοδυναμίαι signorum, id est, æquipollentiæ, non mediocriter ad orationis copiam faciunt. Quare primum uocum ipsarum inter ipsas discrimina paucis ostendemus. Totus ad partes refertur magis, quàm ad formas. Si mors totum hominem absumeret, merito tantopere formidaretur. Totum hunc mensem, totam hanc noctem sine fruge

transa-

transegi. Cunctos ad singula, quæ ratio nominis complectitur, collectim refertur, quasi dictum sit à coniunctis. Cunctos Romanos, cunctos mortales. Vniuersi omnes simul collectos significat, Aut nullam, aut uniuersam pecuniam uult, id est, omnem simul. Terentius: Id illa nunc abripiet uniuersum. Singuli huic diuersam habet rationem, Nam omnes quidem ita significat, ut unusquisque singillatim per se intelligantur. In singulas naues singuli milites accersebãtur. Omnis, quasi generale est ad omnia. Siquidem omne corpus pro toto dicimus. Et omnem populum pro toto populo. Et omnem diem pro singulo die. Horatius: Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Omnes pro cunctos, & omne pro uniuersum. Terentius: At ut omne reddat. Tametsi hic pro toto positum uideri possit. Quisque addit rei cuiuspiam in singulas partes distributionem. Vt sua cuique sententia. Natura animantium sua cuique dedit arma. Suas cuique dotes largitus est Deus. Vnusquisque nihil à quisque differre uidetur, nisi pd & pro singulo ponitur. Vnumquenque sua cupiditas ducit. Nunc unumquodque crimen cuiusmodi sit excutiamus. Nihil autem prohibet & singuli per distributionem huiusmodi accipi. Singulis nauibus singulos duces præfecit. Quisque non absoluit orationem. Quicunque modo perficit, modo non perficit. Quisquis grauabitur sementem facere, is non metet. Quicunque recusabit laborem, non feret fructum. Aliquoties absoluit propemodum, cum significat ignorantiam.

rantiam. Vt quisquis fuit ille deorum. Quisquis es armatus, qui nostra ad limina tendis. In obliquis nonnunquam unico uerbo contentum est utrunque. Rem facias quocunque modo. Hominem quoquo modo absoluas, pro quouis modo. Quilibet & quiuis citra discrimen unumquodlibet significant. Horat. Quælibet in quemuis opprobria dicere sæuus. Resoluuntur autem per coniunctionem, uel, cum omnis & reliqua fermè per copulatiuam exponantur. Quemuis arbitrum cedo, id est, uel hunc, uel illum mea nihil refert. Qualibet hirsutas fronde tegente comas, quod Græci dicũt τυχὸν, quasi non delectum fortuitum, & casu oblatum. Vnusquiilbet consimilem obtinet rationem. Significat enim unũ aliquem è multis quicunque sit ille. Deligas tibi autorum unum quemlibet. Et unusquiuis ab hoc nihil differt. Hæc autem, quilibet, quiuis, unusquilibet, unusquiuis non nisi unicum uerbum admittunt. Semper enim absolutam reddunt orationem. Quantuscunque, qualiscunque, quantusquantus, qualisqualis, eandem obtinent rationem cum quicunque & quisquis. Aduerbia item utut, utcunque, ubiubi, ubicunque, quoquo, quocunque. Breuiter composita semper sequuntur naturam particulæ appositæ, Vndeuis, undelibet, undecunque. Quorum duo prima absoluunt orationem, postremum cõmune est. Quocunque, quoquo, communia sunt. Quodlibet & quouis non sunt. Quoquouersum & quaquauersum communia sunt. Vbiuis & ubilibet absoluunt orationem. Vbicunque commune

ne est, Vbiubi non est, uti nec utut, non enim absoluunt constructionem. Vter quod ad duo pertinet, cum iisdem compositum, idem accipit discrimen. Vtercunque anceps est, uteruis absoluit, uterlibet itidem, utrocunque anceps, utrouis, utrolibet absoluunt. Vterque, copulatiue significat, ut & illa, Vterque, utrinque, utroqueuersum. Aliquis indefinite significat unumquempiam. Quid si hoc aliquis uoluit Deus? Quis idem pollet, sed his fermè dictionibus præcedentibus. Si, Ne, Num, Ec, Vbi. Si quid extiterit noui. Ne quid temere faxis. Num quem tuorum offendi? Ecquid tui tetigi? Vbi quis te læserit. Vbi pro alicubi. Vnde pro alicunde usurpatur, duntaxat in compositione, ut Sicubi, necubi, nuncubi, sicunde, necunde. Quidam definite accipitur. Quendam uolo uisere. Nisi cum habet aut contemtum, aut translationem. Vt Isidorum quendam mihi citabat. Perinde quasi dicas, Isidorum nescio quem. Lachrymas emisit, quendam animi sanguinem, id est, ueluti sanguinem. Seditio morbus est quidam ciuitatis. Quispiam anceps est ad usum quidam, & item ad usum aliquis, tametsi refragatur Valla. Sed compluriũ auctoritas Vallæ reclamat, Mittito ad me tuorũ quempiam. Est domi tuæ quisquam, cum quo iure debeam expostulare. Quisquam & Vllus inter se conueniunt. Siquidem præterquam quod habent plusculum uehementiæ, quàm superiora, illud quoque peculiare obtinent, quod gaudent uel negatione, uel signo si, uel ne prohibentis, uel interrogatione, ut, Haud

inde diceretur. Id genus orationem tot fermè modis uariamus. Vterque alterum odit. Vterque utrunque odit. Alter alterum odit. Oderunt alter alterum. Mutuum oderunt. Oderunt se mutuo. Oderunt inuicem. Oderunt inter seſe. Mutuum inter ipſos eſt odium. Neuter alterum amat. Alter alterum uiciſſim odit.

SEMPER.

Semper generalitatem habet temporis. Cui contrarium Nunquam. Huic ſubiectum eſt aliquando. Semper litigas. Nunquam non litigas. Quando non litigas? Nunquando non litigas? An eſt quando non litigas?

SAEPE.

Sæpe reſpondet aliquoties infinito. Multis aliquot. Magno aliquantus. Sæpe opponitur Raro. Neque raro admonui, id eſt, admonui frequenter. Haud ſæpe me uiſit. Plerunque, fermè, ferè, nonnunquam & ipſa generalitatis quiddam obtinent. Ita fermè ingenium eſt hominum. Eo ingenio plerique ſumus. Ferè fit, ut diuites habeantur in pretio, id eſt, ferè fit apud omnes. Temere in oratione negatiua ſimilem uim habet. Haud temere peruenit ad frugem, id eſt, ferè nunquam, aut uix unquam.

DE VARIETATE NEGATIONIS. Cap. LI.

INterdum unica negatio idem efficit quod duæ. Neminem audit, ne parentem quidem audit. Non audit, uel parentem. Nemo parem referre gratiam parenti

parenti potest, ne malo quidem. Nec malo parenti quisquam parem referre gratiam potest. Nō potest par gratia rependi patri, uel malo. Non reliquit ille nec ruinam. Nec ruinam quidem reliquit.

DE TRIBVS.

Tribus interdum negationibus nihilo plus efficitur, quam una aut duabus. Non ueretur neque deos neque homines. Neque deos neque homines ueretur. Non ueretur aut deos aut homines. Non metuit hominésue deósue. in carmine conduplicare negationem asseuerandi gratia, Latinis etiã receptum est, si modo non iteretur sola. Non faciam, non inquam. Græci solam iterant, interdum etiam citra asseuerationem, οὐ μὴ οὐ νῦν ἔτι. Est autem Atticis familiare plures negationes pro una congerere. Manentibus ijsdem signis tamen interdum uariatur propositio, & mutatis, manet eadem mutato uerbo: ut, Omnes admittit. Omnes reijcit. Neminem non reijcit. Neminem admittit. Omnibus displicet. Nemini placet. Nulli non displicet. Nulli placet. Hic animaduertendum quæ uerba cum quibus pugnent.

Synonyma negandi.

His fermè uocibus remouemus: Non, haud, nec, neque, haudquaquam, neutiquam, minime, minus, parum, absit, dij prohibeant, bona uerba, quiduis potius, omnia citius, & similia. Inter quæ haud & haud quaquam plusculum habent uehementiæ, quàm non. Neutiquam asseuerationem habet peculiarem. Minime plus quiddam significat, quàm negationem. Ho

cet, id est, alicubi peccat. Est qui plures agros occupet, id est, aliquis. Vbi nonnunquã subauditur quiddam. Est in quo mihi poßis magnopere gratificari, id est, quiddam. Negatio iterata nonnunquam necessitatem significat, non affirmationem simplicem. Vt non possum non ridere. Nõ possum non mirari. Non potest non uolui cœlum. Non potest non stare terra. Non potest non uerum dicere ueritas. Id accidit duntaxat in hoc uerbo, possum.

ELEGANTIA SIGNORVM Cap. L.

ILlud igitur obseruandum, ne signorum differentias in uariandis propositionibus confundamus, id quod ferè faciunt hi, qui uulgò Dialecticam profitentur. Non erit tibi res cum quoquam, id est, cum nemine tibi res erit. Non erit tibi res cum quolibet homine, id est, erit cum homine singulari ac præstanti. Altera est negatiua, altera affirmatiua, & longe diuersam habent uim. Non cuiuis homini contingit adire Corinthum, id est, non contingit nisi præcipuis. Non contingit ulli. Vides, quanto aliud pollet. Non amat quempiam è ministris. Non amat aliquem, id est, neminem. Non satis amat quendam, unum significat quem oderit. Nõ satis tibi fauet quidam. Hoc sensu quidam usurpant certos. Per certos homines hoc fœdus diremtum est. Iussus est ad certum diem adesse. Non tibi fauet quisquam, tota ratione dißident. Non recuso quenquam, rectè dicitur. Non recuso quemlibet perperam, nisi in diuersa sententia. Non excluſit omnes, id est, quosdam non excluſit,

excluſit. Non excluſit quoslibet, ſignificat delectu quodam alios excluſos fuiſſe, alios admiſſos. Omnia folia huic arbori decident, uere dicitur. Vniuerſa decident, falſo. Singulos ſalutauit. Non ſalutauit quem libet. Lupæ unumquemlibet admittunt, id eſt, citra delectum quoſcunque. Vide ne cui dicas, id eſt, nemini dixeris. Vide ne dicas cuiquam. Vide ne cupiam dixeris. Vide ne dixeris alicui. Vide ne mortalium ulli dixeris. Hactenus idem pollent: Vide ne cuiuis, aut ne cuilibet dixeris, id eſt, uide cui dicas, & uide ne temere apud hominem quemcunque effutias. Omnes ſibi malunt eſſe recte, quàm alijs. Sibi quiſque uult eſſe recte potius quàm alijs. Idem pollent. Nemo nō malit ſibi recte eſſe quàm alijs. Singuli ſibi malunt eſſe bene quàm alijs. Hactenus idem pollent. Vniuerſi ſibi malunt eſſe recte quàm alijs, ineptè diceretur, propterea quòd uniuerſi peculiarem uim habeant. Toti reſpondet aliquantum, quod aliquam partem ſignificat. Semper reſpondet aliquandiu, id eſt, aliquanto tempore. Vt ſuperius admonuimus, omnis reddi per quantum, itidem totus redditur per quantum, & quam longus. Homo quātus erat, humi proſtratus eſt, id eſt, totus. Virgil. Nunc hyemem inter ſe luxus quàm longa fouere, id eſt, totam hyemem.

Vterque. Neuter.

Vterque utrique eſt cordi, mutua eſt affirmatio. Vterque alteri eſt odio, mutua item, id eſt, mutuo ſeſe amant, mutuo ſeſe oderunt. Neuter alteri fidit, mutuam diffidentiam ſignificat. Neuter neutri nō per-

ullus mortalium ista poßit præstare. Haud poßit mortalium quisquam ista præstare. Si quisquam est qui sapientiam cum eloquentia coniunxit, certe Tullius is est. Vide ne quisquam hinc aufugiat. Caue ne quoquam oculos tuos à meis dimoueas. An est quisquam qui suam amicam se præsente? Num quisquam est mortalium tam patiens? Similis est ratio aduerbiorum, Vsquam & Vspiam, quantum ad signa pertinet.

DE PROPOSITIONE GENERALI. Cap. XLVIII.

His iactis, ceu fundamentis, ad ἰσοδυναμίας, id est, æquipollentias progrediamur. Propositionem generalem, uel uti uocant uniuersalem, uarijs modis efficimus: Primum proprijs ac peculiaribus signis. Omnes amicos alienauit. Deinde per negationem. Neminem non alienauit. Deinde per interrogationem. Quem non amicum alienauit? Virgilius: Quas gentes Italum, aut quas non oraueris urbes? Nulli non maledicis. Duplex generale signum non liceat eodem modo uertere. Cicero: Cum omnibus omnia minabatur. Omnibus omnia inuidet. Neque enim recte, nihil non inuidet alicui. Omnibus maledicis. Quis est cui non maledicas? Omnia dixit. Quid non dixit? Vt autem interrogatio addita negatione, generaliter affirmat, ita citra negationem generaliter remouet. Quid poßit dici stultius? Id est, nihil dici poßit stultius. Deinde per signa infinita. Haud pepercit cuiquam. Non est ullum ueritus.

Haud

Haud ullum ueritus. Haud ullũ est facinus reliquum, quod non peregerit. Non excepit aliquem, neminem excepit. Idem efficitur per quantum, & quicquid, & si quod aliud. Quantum est hominum uenustiorum, id est, omnes uenustiores. Quicquid erat copiarum, eò traduxit, id est, omnes copias. Etsi quid erat copiarum amisit, id est, omnes copias. Si quid aliàs sibi bonæ famæ compararat, id nunc perdidit. Redditur generalitas ceu prouerbiali figura, ut cũ dicimus: Miscebis sacra prophanis, id est, omnia. Item: Iuuenésque senésque, id est, omnes. Neque magnum neque paruũ, id est, nihil. Est & infinita propositio. Per fas, nefásque, id est, quocunque modo: quo iure, quáue iniuria. Idem efficit ad unum. Virgilius: Si non exosus ad unum Troianos, id est, omnes Troianos.

DE PROPOSITIONE NON generali. Cap. XLIX.

Nonnihil est uel aspicere, id est, aliquid est. Nõ nulli pluris faciunt pecuniam quam fidem. Non nemo pro aliquis. M. Tul. Non nemo etiam in illo sacrario Reipub. in ipsa inquam curia non nemo hostis est. Idem: Quum esset non nemo in senatu, qui diceret non oportere. Inest & infantibus non nihil ingenij. Non omnem pecuniam absumpsit, id est, est quã non absumpserit. Qui legat argentum factum non omne legat argentum. Omittitur interdum signum, manente sententia. Sunt qui pecuniam anteponant famæ, id est, sunt aliqui. Horatius: Est ubi peccet,

mo minime malus, id est, quiduis potius quàm malus. Parum modestius remouet. Parum eruditus, ne parum multa scire uiderentur, id est, ne pauca, siue nõ satis. Minus diuersam habet naturam. Interdum cõparat duntaxat. Vtrunque diligit, famam & pecuniam, sed illam minus quàm hanc. Interdum negat duntaxat. Homo minus mihi notus, id est, parum notus. Nam cum ea uoce minus conuenit, id est, non conuenit. Interdum pariter utrunque facit. Quintilianus cap. De narratione, Cum interim, quod tanquã facile contemnunt, nescias, præstare uelint minus, an posſint. Terentius in Ecyra: Non tibi illud factum minus placet quàm mihi Laches, neq; hìc placet prodisplicet positum, ut exponunt Grammatici. Quis enim sanus id faciat? Sed minus perinde ualet ac si dicas: Non amat me Dionisius, & minus te, id est, me magis odit quàm te. Subaudiendum enim est factum utrìque non placere, Atque ita minus simul negat & comparat.

CONNECTENDI FORMVLAE.

Caput LII.

VErum de his accuratius disquirere magis ad Dialecticos pertinere uidetur. Cæterum ad huius operis rationem satis arbitramur utcunque paucis attigisse. Nunc ad reliquas formulas aliquot accingamur, ac primum connectendi. Videmus enim in mediocriter etiam eruditis eam uirtutem desiderari, ut aptè concinnéque orationis membra, atque articulos, ceu neruis quibusdam committant. Sed quibus

bus clausulis minutiores oratiõis particulæ sint committendæ, id propè fuerit infinitum explicare. Maiores his fermè modis connectuntur. Præterea, deinde, quod sæpius apud Marcum Tul. reperitur: pro deinde Seneca usurpat, subinde, sed cum significatione celeritatis, hoc est pro mox. Idem facit Suetonius, Præcipuum est stercus columbarum, proximũ caprarum, ab hoc ouium, deinde boum. In nostro orbe proximum laudatur Syriacum, mox Gallicum: mox usurpat Plinius aliquot locis, pro inde. Item in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa. Primo loco, secundo, aut tertio loco, proximum ab hoc. Porrò, porrò autem, Quod nouo iam quasique maioris sermonis initio conuenit, annotatore Donato. Cæterum quo licebit uti, quoties ad diuersa digreditur oratio. Tum pro præterea. Ad hoc. Ad hæc, quod apud Græcos πρὸς τούτοις. Cum hoc, simile habet usũ. Super hæc, pro eo quod est, præter hæc, locis aliquot usurpauit Suetonius. Super ingeniorum pædagogia, et super innumerã turbam. Adde his: Accedit his. Accedit ad hæc. Huc accedit. Huc pertinet. Eodem pertinet. Huic confine est illud. His finitimum est. Ad hanc formam pertinet. Ad hunc ordinem referendum est. Huic proximum est. Illud haudquaquam prætereundum silentio. Sed operæpretium est illud audire. Iam aliquoties eandem uim habet, uox Quintiliano præcipue familiaris. Deinde cum progressu incandescit oratio. Iam uerò, Age uerò. Quid quod & consimilia.

ad bonam mentem confert? Amandus est tibi Cicero, si quidem te diligit effusissime. Semper in manibus habẽdus Tullius, nam hoc uno autore Latine discès. Vnus Cicero ueré Latinum potest reddere, proinde pueris hic semper in sinu gestandus. Optimus dicendi magister Terentius, quare semper est euoluendus. Quo mihi rectius esse uidetur, & eò magis, & hoc lubentius id negocij suscepimus. Non habes quã ob rem mihi succenseas. Non est cur mihi succenseas. Horatius: Non est quod multa loquamur. Cicero: In uiam quòd te des hoc tempore nihil est. Succenset, eáque gratia nos non uisit. Luget, atque ob id uocatus ad cœnam excusauit. Potest nonnunquam omitti signum. Parentem amo, parricidam non amo, id est, quòd parens est, hoc nomine amo, quòd parricida, hac de caussa non amo. Pontifici debeo honorem, Alexandro non debeo.

QVOD εἰδικῶς. Cap. LX.

Εἰδικῶς accipitur, cum speciem generi subijcit: Gaudeo genus est: Quòd me amas, species gaudij. Potest aliquis multis uarijsque de caussis gaudere, sperare, dolere. Genus autem & speciem dico Grammaticorum more non Dialecticorum. Quòd meæ nugæ nõ omnino displicent doctis, gaudeo. Gaudeas meas nugas non omnino displicere doctis. Quod res tibi feliciter euenerit, lætor. Lætor rem feliciter euenisse. Quòd uxorem duxeras nondum audieram. Vxorem duxisse te nondum audieram. Quòd puellam repudiaris, demiror: Demiror te repudiasse puel-

puellam. Quod literas reliqueris, doleo. Doleo te reliquisse literas. In huiusmodi orationibus quod εἰδικῶς accipitur, quod tamen apud Græcos est usitatius in ὅτι. Latini magis gaudent infinitis uerbis, nisi species præmittatur, Vt, Quod pater reualuit, gaudeo. VT εἰδικῶς ACCEPTVM.

Cap. LXI.

EOdem modo nonnunquam accipitur Vt. ueluti: Spero fore ut facto gaudeas. Confido futurum, ut te minime facti pœniteat. Non committam, ut usquam uidear officio meo defuisse. Efficiam ut intelligas mihi quiduis potius quàm fidem defuisse. Da operam, ut reualescas. Cura ut ualeas. Fac uti nos ames. Fac uti sciam.

DIGNVS ET INDIGNVS.

Dignus qui quàm diutißime uiuat. Dignus ut quã diutißime uiuat. Longißima uita dignus. Dignus q̃ diutißime uiuere. in carmine. Martial. Dispeream si tu Pyladi præstare matellam Dignus es. Horat. Digna sequi potius, quàm tortum ducere funem. Meritus est cui laurea imponatur. Promeritus es, ut tibi decernatur triumphus. Indignus tuo amore. Indignus quem ames. Indignus ut abs te diligatur. Indignus abs te amari, in carmine. Horatius: Indigni fraternum rumpere fœdus. Idoneus est qui bellum gerat. Idoneus ut bellum gerat. Idoneus bello gerendo. Idoneus bellum gerere. Horat. Fons etiam riuo dare nomen idoneus. Idoneus ad gerendum bellum. Non me dignatur alloquio. Non me dignatur allo- 8

qui.

Submißitij. Suppoſitij partus. Subdititij partus. Terentius: Ne credas à me allegatum hunc ſenem, pro ſubornatum. *Cicero:* Allegarem ad te illos à quibus intelligo me præcipue diligi. *Quintilianus, & ad* eos allegandum eſt, id eſt, ſubornandi ſunt, qui perſuadeant. Ita ſerui allegant precatorem. Hîc allegationes dicuntur ſubornationes. Translatum eſt hoc ad citantes autorum teſtimonia, qui ueluti ſubornantur, cum nobis diffiditur.

RENOVANDI. Cap. LVII.

VEtus Athenienſium exemplum renouemus. Priſtinum morem reuocemus. Gratias egit quod priſtinum morem retuliſſet. Redeamus ad intermiſſa ſtudia. Studium intermiſſum repetamus. Bellum redintegrarunt. Diuum inſtauramus honores. Tamplum inſtar prioris quod conflagrarat excitauit. Libertatem amiſſam reſtituit. Odium uetus eo dicterio recruduit. Recanduit ira. Refricuit illi ueteris iniuriæ memoriam. Horatius: Cras ingens iterabimus æquor. Iteranti noxam non eſt ignoſcendum.

FINALES FORMVLAE. Cap. LVIII.

TV uigilas uti diteſcas. Ego laboro quo doctus euadam. Obiurgo te quo reddam meliorem. Vt melior euadas, ob id obiurgo te. In hoc reperta muſica, ut animos delectet. Ad id adhibendæ literæ, ut nos reddant melius moratos. Cui rei paras opes? Demulcendis animis excogitatus eſt uſus uini. Huc repertæ ſunt diſciplinæ. Hunc literis genui, hunc negociationi deſtinaui filiũ. Quo mihi diuitias? Quorſum

ſum opus eſt nummis? Quo ſpectas? Quo tendis? Quem ſcopum tibi proponis? Huc pertinent oratio nes illæ omnes, quas de ſupino priore poſuimus. Spectatum ueniunt &c.

CAVSSALES FORMVLAE.

Caput LIX.

NOn dico quòd quenquam habeam cariorem. Non dico quòd parum tua mihi placeant. Ob id te ſæpius reprehendo, quòd impenſius amo. Quoniam impenſius te diligo, ob id te ſæpius admoneo. Ideo nulli places, quia tibi nimium places. Quando tu me negligis, tui quoq; curam abijciam. Age reuocentur copiæ, quandoquidem ita tibi uidetur. Horatius: Iubeas miſerum eſſe libenter, quatenus id facit. Ad eundem mõdum locutus eſt Plinius in Epiſt. Maneat puella poſteaquam ſponſo iucunda eſt. Poſteaquam mihi non credis, alios in conſilium adhibe. Virgilius: Quando hæc te cura remordet, Neminem ex animo amat, in cauſſa eſt pecuniæ ſtudium.

Pertinent & illa ad formulas αἰτιολογικὰς. Amo Socratem, utpote uirum integerrimum. Odi Dionyſium, quippe tyrannum. Amplector Petrum, ut optime de me meritum. Demiror te qui fidem habeas Afro. Erras qui credas alios tua diligentius curaturos quàm teipſum. Stultus es qui id ſperes. Impudens qui id poſtules. Delector Auguſtino, uiro nimirum feſtiuiſſimo. Delector Auguſtino, ut qui uir ſit moribus feſtiuiſſimis. Amo Nicolaum tanquam hominem mei amantiſſimum. Contemne pecuniam, quid enim

ad

Iam uerò quid referam? Age uerò ad bellũ in Aphrica gestum ueniamus. Quid quòd suos etiam incessit. Quin, quinetiam, insuper, ad hoc pertinent genus. Interim & per occupationem connectemus, ut ne dicam interim, ut omittam domesticas huius sordes. Nam illud quid attinet commemorare? Nam hæc aliâs. Sed illud suo loco dicetur. Interim per dubitationem, ut illud, Eloquar, an sileam? Nunc idem ualet. Nunc ad id, quod secundo loco dicturos nos sumus polliciti.

TRANSITIONVM VARIAE formulæ. Cap. LIII.

TRansitionibus uariè connectitur oratio. Siquidem aliquando sumuntur ab æquali. At erant hæc iucundißima, neque minus uoluptatis attulerunt illa. Interdum ab inæquali. Sed hæc utcunque ignoscenda, illud quis ferat? Audistis grauißima, sed audietis graviora. A simili, ut, Hæc perfidia designauit, cuius generis sunt & illa, quæ nuper Romæ patrasse dicitur. A contrario, ut, Sed hæc priuatim, nunc quæ publicè. Hactenus quæ domi gesit, nunc quæ sub signis. Sed hæc iuuenis peccauit, nunc senis uirtutes audietis. A diuerso, De moribus habes nunc de doctrina reliquum est ut dicamus. Quasi per occupationem. Iam ad reliqua properabimus, sed si prius illud unum adiecerimus. Per reprehensionem. Verum de his plus satis. Quorsum nos transuersos abripuit dolor? Ad rem redeamus. Quid his immoror? Ad id quod est huius caussæ caput festinet oratio.

tio. A consequentibus, siue relatiuis. Habes quid in illum contulerim beneficiorum, nunc quam gratiam mihi retulerit audi. Quid pollicitus sit expositum est, nunc quid ille præstiterit paucis accipite.

A RE ET PERSONA.

Caput LIIII.

GEneralis uariandi formula est à re, & à persona. ut, Nihil opus meis monitis, nihil opus me monitore. Te suasore, tuo suasu. Te impulsore, tuo impulsu. Te instigante, tuo instinctu. Te hortatore, tuo hortatu. Te auspice, tuis auspicijs. Te duce, tuo ductu. Te consule, in tuo consulatu. Te doctore profeci, tua doctrina profeci. Patrem consulem non desinit iactare, patris consulatum sine fine iactat. Gloriatur formosa uxore, de uxoris forma gloriatur. De te incolumi superis habeo gratiam, de tua incolumitate grator superis. Discruciat animum uxor impudica, discruciat animum uxoris impudicitia.

EX MORE Cap. LV.

EX more, Tranquillus dixit, de more. Maro: Pro more. Patrio more, citra præpositionem. More hominum facit. Non insolens istud facis, pro uetere consuetudine. Solens meo more fecero. Nihil præter solitum. Hoc apud Scythas solenne est. Ita Suetonius. Mos est, uel moris est. Vsu publico receptũ est.

SVBORNANDI. Cap. LVI.

SVbornauit accusatorem. Submisit è consularibus uiris, qui regio genere ortam peierarent. Supponi puerum. Subdere oua in nidum alienum.

Sub-

vide pag. 156.

qui. Dignum patella operculum. Res digna cognitu. Res dignæ quæ cognoſcantur. Res indigna tua cura. Indigna quam tu cures. Res eſt infra tuam dignitatem.

DECET.

Haud decet ſimiam purpura. Dedecet ſimiam purpura. Indecora eſt ſimiæ purpura. Parum decorum eſt loquacem eſſe uirginem. Ornat mulierem ſilentium, dedecorat garrulitas. Haud quaquam decora eſt ſimiæ purpura. Haud decet imperatorẽ unà cum amica ire in uia. Haud decet ut te loquente, ego ſileam. Quòd ſolus ambulas, id parum te decet. Demit te pallium, nam ſic indecorẽ ſedes. Hic geſtus uirgini indecorus eſt. Iſta petulantia iuueni dedecoroſa eſt. Quod huic honeſtum eſt, tibi eſt inhoneſtum. Quod huic pulchrum eſt, tibi fœdum eſt. Non congruit, non conuenit, non quadrat.

NECESSITATIS

Exorandus eſt pater. Vigilandum ei qui uelit diteſcere. Vigilet oportet qui cupiat diteſcere. Vigilare neceſſum eſt eum, qui rem cupiat facere, Vigilet neceſſe eſt, uel neceſſũ eſt, qui uelit diues euadere. Qui literas aſſequi cupiat, uti ſudet neceſsitas eſt. Nam ſic Quintil. ſubinde loquitur. Non poteſt non dolere qui læſus eſt. Fieri non poteſt quin doleat is, cui fit iniuria. Abibis uolens nolens. Vel, uelis nolis hinc abibis. Non mihi poſſum temperare quin lachrymem. Non me contineo, quin clamen. Cogor, compellor. Huc me adegit inopia. Huc redegit fortuna

tuna. Adhæc traxit neceßitas. Huc fatis pertrahor. Huc obtorto collo trahor. Inuitus dicam. Coactus dicam.

LIBERTATIS.

Vtcunque uoles facito. Vt lubet rideto. Quidlibet & dicas, & facias licebit. Tuo arbitratu facito. Tuo arbitrio rem gere. Vtcunque uiſum erit agito. Animo tuo gerito morem. Obſequere animo tuo. Ex animi tui libidine facito. Pro animi tui ſententia rem tractabis. Vt animo lubitum erit tuo, ita facies: Vtcunque feret animus ita facito. Liberum eſt ſeu uelis à pacto diſcedere, ſeu manere conuentis. Nunc integrum non eſt tibi, hac de re quod uelis ſtatuere. Mihi ius eſt creditũ abs te repoſcere. Ius tibi facio pro tuo arbitrio tranſigendi negocium. Tibi permitto quomodocunque uelis uiuere. Age tuo more. Sine me nunc meo more uiuere. Tibi in manu eſt, utrum malis efficere. Penes illum eſt ius uitæ ac mortis. Summa rerum penes te eſt. M. Tul. Vt ad te familiariter & quaſi pro meo iure ſcriberem. Idem in Verrem, Quem iure ſuo adire aut appellare poſſet,

STATVENDI.

Decretum eſt. Deliberatum eſt. Certum eſt. Stat ſententia. Viſum erat. In animo habebam. Erat in animo. Non eſt animus. Non eſt ſententiæ. Non eſt ſententia. Non eſt conſilium, ſiue conſilij. Non erat ratio, apud Ciceronem. Placebat. Placitum eſt ſenatui. Decreuit ſenatus. In eam ſententiam pedibus ibant omnes. Statueram in animo. Mecum ſtatueram

Vtrum uerto melius nondum statui. Constitui hoc an no nauigare. Est mihi animo hoc uere nauigare. Virgilius: Si mihi non animo fixum immotúmque sederet. Mihi nihil æque propositum in uita, quàm tibi per omnia gratificari. Si ita animum induxisti tuum. Destinaram in animo. Hic murus aheneus esto.

ASSENTIENDI.

Assentior tibi. Tecum sentio. Consentiebant uniuersi. In tuam sententiam pedibus eo. In eam sententiã reliqui omnes pedibus discedebant. Cicero: Frequentes ierunt in alia omnia. Accedo tuæ sententiæ. Non his accedo, qui Pythagoræ sequuntur opinionem. Tuo iudicio subscribo. Sententiæ tuæ meum addo calculum. Ea sententia plerisque probatur. Idem sentio quod tu. Sententiæ tuæ nemo non suffragabitur. Hæc mihi tecum conueniunt. Hactenus omnia mihi tecum constant. Hac de re summus est inter philosophos consensus. Huic sententiæ frequenter acclamatum est. ὁμόψηφοι Græcis eiusdem sententiæ eiusdémque suffragij dicuntur. ὁμόδοξοι eiusdem opinionis, eiusdem sectæ uocantur. Idem uno omnes ore confirmabant. Omnibus eruditorum calculis siue punctis eloquentiæ princeps M. Tullius.

DISSENTIENDI.

Longe latéque abest. Dissentio. Ego longe diuersa sentio. Multo aliter atque tu sentio. Ei sententiæ refragabuntur omnes. Isti sententiæ nemo non reclamabit. Mihi tua sententia neutiquam probatur. Magnopere nostra cum tua pugnat opinio. Variatũ est sen-

sententijs. Id unum nobis est cõtrouersum. Id solum est in controuersia, uel in controuerso. Equidem ab opinione tua minimum absum. Multum à tua mea discrepat sententia. Lõge secus atque tu sentio. Haud mediocriter à tua mea dißidet opinio. Nimium inter tuam atque meam interest opinionem. Plurimum à tua mea distat opinio. Mihi secus uidetur. Dijs aliter uisum est. Huic sententiæ milites aduersabantur.

PRECANDI.

Quod agis bene fortunent superi. Quod agis bene uertat. Feliciter cadat quod instituisti. Dij cœpta secundent. Optime cecidit. Bene uertat Reip. Sit felix, faustum bonúmque Reipub. Feliciter cedat nobis omnibus. Hanc affinitatem precor, ut Deus nobis omnibus lætam esse uelit. Feliciter exeat quod cœpisti. Prospere succedat quod agis. Ex animi sententia procedat quod aggressus es. Deum optimum maximúmque precor, ut istuc consilium quàm est honestum, tam sit etiam auspicatum. Precor ut bonis auibus Italiam adeas, melioribus redeas. Precor ut hic annus tibi lætis auspicijs ineat, lætioribus procedat, lætißimis exeat, ac sæpius recurrat semper auspicatior feliciórque. Precor ut hic dies tibi candidus illuxerit. Incolumem reditum opto liberis tuis. Precor ut apud tuos omnia læta reuersus offendas. Vtinam prospere nauiges. similique successu renauiges. Bonis auspicijs ancoram soluas. Precor ut tuis optatis omnia respondeant. Faxint superi, ut alba tibi contingant omnia. Velim ut ex uoto res omnis succe-

dat. O si res ita ut uolumus, nobis eueniat. Precor ut tibi secunda occurraut omnia. Precor ut Dijs secundis fauentibúsque negocium hoc conficias. Quæso ut hanc rem stultißime cœptam superi nobis bene uertant. Nihil malim quàm ut his pulcerrimis cœptis dextra aßpirent numina. Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunantibus absoluas. Precor ut hic contractus commodo sit utrisq;. Precor ut hoc matrimonium uoluptati sit omnibus nobis.

Primi supini uariatio.

Venit repetitum depositum. Venit ad repetendum depositum. Venit ad repetendã pecuniam. Venit repetendi depositi cauſſa. Venit ut depositum repetat. Venit repetiturus depositum. Venit repetere depositum. Græcanicum hoc postremum. Tamet si poëtæ Latini ab hac loquendi forma nõ abstinent, præsertim Horatius.

DIVIDENDI FORMAE.

Caput LXII.

Omnis eloquentia rebus constat & uerbis. Rerum uniuersitas decem generibus continetur. Officium Oratoris in quinque partes distribuitur. Oratio sex partes complectitur. Oratio sex partibus absoluitur. Primum genus sex continet ßpecies. Quidam in septem ßpecies secant. Reipub. tres sunt formæ, Reßpublica in tres diuiditur formas. Enthymemã non simpliciter accipitur. Syllogißmus trifariam diuiditur. Omnis argumentatio in formas octo diducitur. Id genus in partes septem deriuatur. Huic

generi

generi ſpecies ſubiectæ ſunt decem. Summa diuiſione in duo genera digeritur, quorum utrunq; in ſpecies complures diſtrahitur. Præiudiciorũ uis omnis tribus in generibus uerſatur.

DISTRIBVENDI. Cap. LXIII.

BIs me tuæ delectarũt literæ, partim quòd eſſent mirum in modum elegantes, partim quòd eximiam quandam in me beneuolentiam præ ſe ferrent. Pars ingenium, alij corpus exercebant, duriuſcule dixit Saluſt. ſed eleganter. Vtrunque fratrem alienauit à ſeſe, unum morum aſperitate, alterum ſordibus. Corpore atque animo conſtat homo, alterũ cum pecudibus habet commune, alterum cum dijs. Neminem non laceſſit, hunc ſcriptis, illum conuicijs, alium minis. Hunc negligit, hunc odit. Verum id magis in carmine quadrauerit. Geminatio uerborum interdum habet uim, lepôrem aliâs. Cicero: Alios aſſentatione delinit, alios muneribus corrumpit, alios promiſſis illectat. Modò ait, modò negat. Interim obiurgat, interim inepte blanditur. Quod quidem Fabianum eſt. Nunc neminem admittit, nunc omnibus occurrit.

PROHIBENDI AVT IMPEdiendi ſigna. Cap. LXIIII.

NEmo prohibet ire quenquam publica uia. Tu me prohibes ne publica ingrediar uia. Quo minus aſſecutus ſis, fortuna in culpa fuit, non ego. Impedimento fuit quo ſecius lex ferretur. Hactenus reſcribere non licuit per ualetudinem, etiamſi per occupa

tiones licuisset, Ego id agam qui ne detur, apud Terent. legimus: Metuo ut ferre possis, id est, ne non possis. Etiamsi hic ut, pro quomodo positum uideri possit. Id utile, ut ne quid nimis. Vti ne, ut ne pro ne, quemadmodum apud Græcos ἵνα μὴ. Non ueto quin quæ uelis facias. Suetonius in Tyberio: Interceßit, quo minus in acta sua iuraretur, id est, obstitit, inhibuit, impedimento fuit. Per me non stetit, quo minus uiceris. Excluſus tempore non uenit, id est, temporis anguſtia obstitit quo minus ueniret.

DVBITANDI.

Non dubito quin cupias redire. Non dubito te cupere reditum. Res in ambiguo est. Nondũ satis constitui. Adhuc anceps animi sum. Adhuc hæreo, etiamdum ἐποέχω, quod est Academicorum. Nondum huc aut illuc inclinat sententia. Adhuc in æquilibrio uacillat animus, utroque nutans. Hactenus suspendo decretum animi. Nondum liquet. Ampliatum est iudicium.

SINE ET CITRA

Citra præceptoris operam doctus euasit. Sine præceptore doctus euasit. Nullo præceptore doctus euasit. Absque pecunijs nihil efficias. Extra iocum, pro sine ioco, dixit Tullius.

OSTENTANDI.

Ostentat ingenium. Iactitat natales suos. Iactat se de natalium splendore. Vendicat sibi eloquentiam. Mire sibi placet de specie corporis. Vbique maiorum imagines deprædicat. Sunt qui se uulgò sanctimoniæ

moniæ ſpecie uenditant. Ipſe præco eſt. Ipſe ſui ipſius tibicen eſt. Ipſe ſuarum uirtutum apud omnes canit encomium. Mirum quam ipſe ſibi pulcer eſt. De maiorum nobilitate gloriatur. Plurimum ſibi tribuit. Suis ipſius ſuffragijs tantum non Deus eſt. Sibi ſuffenus eſt. De generis nobilitate dictu mirum quas tollat criſtas: quæ erigit cornua.

CORRIGENDI SANANDIQVE.

Huic incommodo paulò mederi poßis. Huic malo illud erit remedio. Quod iactu cecidit, arte corrigas. Mendũ litura tollitur. Animi morbos ſanat philoſophia. Corporis uitia ingenij dotibus penſantur. Febre leuatus eſt. Malis omnibus mors ſemel liberat. Oculorum uitia ruta emendat. Orationis uitia Grammatica caſtigat. Philoſophia morbos animi pellit medicatúrque. Dentium cruciatum uinum lenit. Vteri tormina leuat malua. Capitis dolores mitigat ſomnus. Sedat tormina. Fugat pruritum, Sopit dolorem. Leuat dolorem. Stomachum labeſcentem fulcit uinum uetus. Stomacho cõducit peruigilium. Vxoris uitium aut mutandum eſt, aut ferendũ. Morbis omnibus arte ſuccurritur, Soli ſenectuti ſubueniri nõ poteſt. Aduerſus podagram efficax eſt apiũ. Contra carcinomata ualet mel. Obſiſtit ebrietati cicuta. Aduerſus alui tormina remedio eſt crepitus.

BLANDIENDI SIVE HORTANDI.

Dic age: Dic ſodes: Dic obſecro: Dic quæſo te: Dic amabo: Quod frequens eſt apud Mar. Tullium. Blanditur, Aſſentatur, Palpatur. Horatius: Palpum

obtrudere. Plautus: Demulcet caput. Ad gratiam loqui. Dare auribus. Trebon. Ciceroni: Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare. Cæsar: Auribus Vari seruiunt, id est, blandiuntur: Fac uirum te præbeas. Quid habes quod ad hæc respondeas? Cedo. Agedum. Eia age. Vide sis. Quin uno tu uerbo rem expedis?

TVA CAVSSA.

Nolim id esse uerum uel tua caussa. Tibi metuo. Mihi gaudeo. Omnium nomine doleo. M. Tull. Nam ego eo nomine sum Dyrachij hoc tempore, ut quàm celerrimè quid agas audiam. Catull. Eóne nomine imperator unice fuisti in ultima occidentis insula? Tua gratia munus hoc susceptum. Vicem tuam doleo. Commoda illi respectu mei: qua loquendi forma usus est Quintil. Inuenitur & contemplatione tui. Tui caussa. In tuam gratiam hæc feci.

VTRVM NEC NE.

Vise utrum redierit, an non. Vise num iam redierit, an nondum. Vise redierit ne domum. Vise an redierit, an non. Vise redierit ne domum, nec ne. Vise redierit, an non. Cogita utrum famæ malis consulere an pecuniæ. Cogita famæ ne malis consulere, an pecuniæ. Cogita famæ malis consulere an pecuniæ. Cogita an famæ malis consulere an pecuniæ. Cogita num famæ malis consulere quàm pecuniæ. Vide si potes esse possessor, Cicero in Oratore suo libro 2. si pro an dixit, imitatus Græcos, apud quos ἢ bifariam significat.

Con-

CONCEDENDI.

Finge hominem uiuere. Fac ita esse. Fac potuisse. M. Tullius, Facite hoc meum consilium legiones nouas non improbare. Vt donemus ita esse. Vt hoc interim tibi concedamus. Vt hoc interim tibi largiar. Cicero: Vt non referat pedem, insistat tamen. Cato, Nõ est in nostra potestate, sed in natura, ut tamen multum sit in nobis. Pone sic esse in tabulis. Esto sanè. Sit ita sanè. Vt maxime iusserim, non erat tuum id facere. Etiamsi quid asperius dixisset, tuum erat obticescere. Sed imaginare me donasse, nõ potes tibi rẽ uindicare. Etsi maxime donassem, non tibi ius est rei uindicandæ. Donarim sanè, nõ statim tibi ius est injiciendi manum.

PARVM ABESSE.

Penè scopum attigeras. Propè scopum attigeras. Propemodum attigeras scopum. Parum aberas à scopo. Parum abfuit ut scopum attigeris. Parum abest quin scopum attigeris. Res parum aberat à pugna. Parum aberat quin pugnarent. Minimum aberat ut homini manus injiceret. Minimo minus scopum attigeras. Plautus, Nihil fuit propius quàm ut perirem. Vix hominem cohibui, quo minus manum injiceret. Tantum non conserebant manus. Tantum non adorabant, quod Græcis est familiarius, μόνον οὐχὶ. Sueton. de Tyberio Cæsare, Ciuilem admodum inter initia, ac paulò minus quàm priuatim egit: Paulò minus dixit pro propemodum: ac paulò pòst, Quod paulò minus utrunque euenit, id est, pa

rum abfuit quin utrunque euenerit. Idem de eodem, Sed tantum non ſtatim à funere ad negociorum conſuetudinem redijt, id eſt, propemodum ſtatim à funere. Pro tantum non Terentius dixit modo non: Is ſenem pellexit per epiſtolam, modo non montes auri pollicens. Nihil longius abfuit, quàm ut hoſti me darem, Marc. Tull. Nec mihi longius quicquam eſt, quàm uidere hominum uultus.

INCERTITVDINIS.

Annos natus eſt fermè uiginti. Annos natus circiter octoginta. Circa luſtra decem, dixit Horat. Annos natus eſt plus minus quadraginta: Ad dies uiginti. Cicero: Cum annos ad quinquaginta natus eſſet. Hora quaſi decima. Apud Suetonium, Annos habet, haud ſcio an duodeuiginti. Puerum annos natum fortaſſe decem. Saluſt. Diu in incerto habuere,

CORRECTIONIS ET OCCVPAtionis formulæ. Cap. LXV.

IN pietate præcipua felicitatis pars, uel tota potius felicitas hominis ſita eſt. Saluſtius: Vulgi more magis quàm iudicio. Doctrina nihil ad uirtutem conducit, imò nonnihil officit. Tibi præcipuè, atque adeo tibi uni calamitatem hanc acceptam ferre poſſumus. Ducem hoſtium intra mœnia, atque adeò in ſenatu uidemus. Tuũ opus uidi magis quàm legi. Græcas literas deguſtauit uerius quàm didicit. Bonas literas ſedulitate ſua deprauauit uel (ut uerius dicam) euertit. Bonas literas non dico deprauauit, ſed funditus euertit. Suos omnes læſit, quid dixi læſit, imò ſubuer-

subuertit. M. Tul. Sed in hoc ferendus meus error, se rendus autem? imò etiam adiuuandus. Quem historicum citius dixeris, quàm poëtam. Lucanum relegi, non tam Poëtam quàm Historicum. Ni pater esses dicerem te desipere. Hic exercitus ductor, pene dixeram, seductor. Vertit Homerum, penè dixeram peruertit. Respondebo non orationi tuæ, sed conuitio. In summa correctio fit uel augendo uel minuendo, uel commutando. Augendo: ut Mar. Tul. in Catilinam, Quid de huius urbis, atque adeò orbis terrarũ exitio cogitant? Idem pro Planco, Insector, posco, atque adeò flagito. Hæc sermonis forma frequens est apud Ciceronem. Minuendo: ut, Si hic uiuimus, aut uictitamus uerius. Commutamus aut in contrarium uerbum, aut in aliud commodius ac significantius. Pro hospite hostem foui domi meæ. Hic legationibus non immoratur, sed immoritur. Hic patrimonium omne absumpsit, aut ut melius dicam, abliguriuit. Idem aliquoties facit, at. Terentius, Fucum factum mulieri, at quem deum? Marcus Tullius, Vna mater oppugnat, at quæ mater? quæ &c.

AVTORES CITANDI FORmulæ. Cap. LXVI.

VT Ciceroni placet, autore Platone: uel quia hoc sensit, uel quia suasit, uel quia narrat. Nãtrifariam utuntur hac uoce, teste Varrone, Si Terentio credimus. Vti refertur apud Plinium. Vt ait Protagoras Platonicus. Vt apud Xenophontem Simonides dixit. Epicuro teste, felicitas in uoluptate sita est.

est. Aristotel. bonorum tres ordines fecit. Non spirare animal, cui non sit sanguis calidus, autor est Theophrastus. Apud Plinium scriptum est, elephantos decimo demum anno parere. Pyrrho negat quicquam sciri posse. Id uerum esse testis est Liuius. Extat in annalibus. Veterum literis proditum est. Eius sententiæ complures citat autores. Ad eam sententiam quàm plurimos allegat testes. Eam sententiam multorum autoritate tuetur. Huic opinioni Plinius astipulatur. Huic sententiæ suffragatur Plato. Idem sentit Pythagoras. Aristoteli animal est etiã spongia. Plinio setiũnt & arbores.

VARIATIO IMPERATIVI modi. Cap. LXVII.

VAle, ualeas, fac ualeas, ualeto, ualebis idem pollent, & in quibusdam futurum subiunctiui. Memineris pro memento, oderis pro odio habeto. In cæteris item si addideris prohibendi signum, ne dixeris, ne dicas, ne dic.

VARIATIO FVTVRI. Cap. LXVIII.

POenitebit olim te. Futurum est ut olim te pœniteat. Spero te gauisurum facto. Breui opinor tædebit te huius uitæ. Opinor fore ut breui te huius tedeat uitæ. Spero futurum ut facto gaudeas. Dixeris egregie. Horatius: Alligaris filium. Terent. Abibit hinc propediem. Abiturus est hinc propediem. In ea uerò periphrasi, futurum est ut repetat creditum, Latini uidentur reddere Græcam figuram μέλλω λέγειν, id est, dicturus est. Est autem familiaris Ciceroni.

ceroni. Necessaria quoque quoties in uerbum incidemus quod futuro careat. Vt, spero fore, ut artem breui perdiscas. Nam perdisciturum non poteras dicere. Est futurum quoddam quasi mixtum cum significatione præteriti: ut, Prius quàm tu domum redeas, ego epistolam perscripsero. Antequam in portum peruenies, nauis soluerit. Si tales animos in pugna præstabitis, uicerimus, siue uicimus, id quod finitimum esse uidetur τῷ μετ' ὀλίγον μέλλοτι. Quanquam id alioqui Latini circunloquuntur per iam, iamiam & mox. Iam aderit. Similis iamiam morituro. Mox audies. Sunt in quibus necessitate abutimur futuro subiunctiui, ut meminero, odero, nouero. Ad futuri significationem pertinent & illa: Confido commentarium hoc studiosis probatum iri. Et perspicio te perditum ire filium.

DE PERIPHRASI GENERALI uerborum. Cap. LXIX.

COmmune ferè est modis omnibus, ut per Fio uerbum, aut similia circumloquamur. Ita carus eris omnibus. Ita fiet, ut carus sis omnibus. Hoc modo effugit inuidiã. Hoc modo factum est, ut effugerit inuidiam. Vtinam ex æquo me amares. Vtinam fieret ut ex æquo me amares. In uxorem pessimam incidi. Mihi usu uenit, ut in pessimam uxorem inciderim.

DE MODO POTENTIALI. Cap. LXX.

AD modum potentialem ferè pertinẽt, quæ per

potest

potest aut debet, aut simile uerbum exponi possunt. Quid agas cum eo, qui nihil intelligit? Est quod rideas, non est quod inuideas. Videas & flumina sicca. Cerneres alios trepidare, alios circunspectare fugã. Vidisses omnes obmutescere. Equidem istud non affirmarim. Dixerit hic aliquis, Maturius uenisses. Et apud Terent. Prædiceres, pro prædicere debuisses Græci addunt syllabam ἄν, λέγοις ἄν.

AESTIMANDI VERBA. Cap. LXXI.

PLurimi me facit. Parui habet, quo nihilo ducit. Nihili pendit. Pro minimo ducit. Ne huius quidem facio, ἀξιστικῶς, ostenso pilo aut flocco. Maximo in pretio est apud omnes. Plurimi fit apud omnes. Magni habetur apud suos. Pili non facio. Nauci non facio. Flocci non facio. Boni consulere. Mar. Tullius: Tranquillissimus autem animus meus, qui totum istud æqui bonique facit. Terentius: Istud æqui bonique facio. Salust. Supra ea, ueluti ficta pro falsis ducit. Idem: Fidem suam interposuit, quam non minoris quàm publicam ducebat. Idẽ: Quæ prima mortales ducunt, id est, quæ plurimi faciunt homines. In gratiam habere, pro eo quod est beneficij loco ducere dixit Salustius. Denique regi patefecit, quod polliceba tur, senatum & P. R. quoniam armis plus ualuissent, non in gratiam habituros. Nihil habere pensi, pro non curare dixit Salustius. Neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Idem: Nihil pensi, nihil moderati. Idem: Vilia habere pro contemnere. Fidem, fortunas

tunas, pericula uilia habere. Vnius æstimemus assis, dixit Catullus, contra Grammaticorum leges. Cassa nuce non emam. Filius eodem est apud me pondere quo fuit ille, Cicero.

EMENDI FORMVLAE, ETSI-milia. Cap. LXXII.

NImio emisti, non reuendes tantidem. Nimio licebis. Minoris addicturus erat. Quanticunque indicaris, tanti mercabor. Vide ut quàm maximo æstimes. Non refert quanti res ipsa sit, sed quanto opere tibi sit opus ea. Tu tuum agrum pluris conducis, quàm ego meum emerim. Paulo locas ædes tuas. Cupiam maximo, si queam. Eme quàm potes minimo, Reuende quàm potes plurimo. Asse non emerim totam Ciceronis famam. Labore dij bona sua uendunt. Vili uendunt, minoris possunt: Non emit qui nihilo emit. Care emit qui rogat. Extrude merces quanticuuque potes, uel gratis alicui obtrudito, si secus non potes. Redimas te captum quanti potes, quàm potes pro minimo. Si nequeas paulo, at quanti potes. Cui addictus est ager? Ludouico. Quanti? Frumentum addictum est, sed nondum admensum. Quanti proscripsit ædes? Ducatorum myriade. Quanti cænastis? Percare. Magno hic uiuitur. Amatur uilissime. Bassus carius cacat quàm bibit. Magna mercede canit. maxima tacuit Demosthenes. Quanto metiris precio? Iuuenalis: Quanti stipulatus es? Thais decem milibus dragmarum noctem uenditabat. Nimio constat elegantia. Sueton. Quorum uni mellita quadragies Sester-

ſtertiũm conſtiterunt. Hic enim ſubauditur auferendi caſus quadragies centum milibus.

DISCRIMINIS FORMVLAE. Cap. LXXIII.

NIhil intereſt, facias an dicas. Nihil refert per te facias, an per alium. Parui mea refert quid nolis aut uelis. At mea plurimum refert. Quid intereſt utrum facias, an inſtiges? Plurimum intereſt, maxime refert, quo tempore uirum adeas. Equidem haud magno in diſcrimine pono, apud Titum Liuium, Et apud Valer. Maximum, reſpondit ſe uitã malle excedere, quàm metu uiolentæ mortis, amicos, inimicóſque iuxta ponere. Saluſtius: Adero, me uóſque omnibus in rebus iuxta geram. Virgil. Tros Tyriúſque mihi nullo diſcrimine agetur. Vtrum probes an improbes manum nõ uerterim. Ad iſta ſum indifferens. Ita Suetonius: Quædam per quàm tenui limite diuiduntur. Apud Fabium, Vera ne ſint hæc an ficta, nihil laboro. Vtrum ſcripſeris an dixeris, Feceris nec ne, manum non uerterim. Súſque déque fero. Súſque déque habeo. Inſtigaſti, perinde eſt ac ſi feceris. Ex æquo in noxa es. Tantundem peccaſti. Citra diſcrimen amat, ac laudat omnes. Citra delectum omnes in familiaritatem receptat. Omnes promiſcue mordet. Paſſim hæc prædicat. Apud quoslibet hæc dixit. Amuſſis alba in albo lapide.

AFFIRMANDI. Cap. LXXIIII.

PRomiſit ſe uenturum? Promiſit, maxime, etiam. pro quo Græcvσί. Mar. Tul. Si non, quomodo tabu-

tabulas conficis? Si etiam, quam ob rem &c. Idem: Quasi aut etiam aut non, nonmodo uerum esset, sed necessarium. Hunc locum ideo adduxi, quod sunt qui putent Etiam, non esse confirmantis. Scilicet, admodum. Quàm lubētissime, benigne. Sic habet. Sic erit. Ita est. Planè. Mirum ni. Haud dubie. Dubio procul. Liquet. Constat. Confessum est. In confesso. Extra controuersiam est. Certum est. Pro certo. Compertum. Liquido. Indubie. Indubitato. Certo certius. Vero uerius est. Veriora his quæ apud Sagram gesta sunt.

ACCVSSANDI FORMVLAE.

Caput LXXV.

ACcusatus est sacrilegij. Hic se furti alligat. Postulatus est repetundarum. Delatus proditionis. Cæsar Comment. 7. Principes ciuitatis insimulati proditionis ab Romanis. Reum egit, uel peregit. In ius uoca. Lege agito. In ius ambula. In ius duxit hominem. In ius trahis. Litem intendit. Dicam scripsit. Filius cum patre litem agitat. Cum opulentissimo uiro illi lis est. Cum Mida iudicio decertat. Accersitus est capitis. Delatus est sacrilegij. Peculatus reum peregit. Plautus: Ad tres uiros deferam tuum nomen. Marcus Tullius, Nomen hominis amicissimi detuli. Idem, Delationem nominis postulauit. Idem, Roscij nomen deferendum curauit. Diem illi dixit. T. Liuius, Cesoni capitis diem dicit. Idem, Rei capitalis diem Posthumio dixerunt. Eum talionis agentem exceptiõe repulit. Agit cum eo malæ tractatio-

OFFICIENDI FORMVLAE. Cap. LXXVIII.

Pirorum esus stomacho grauis. Dulcia stomachũ lædunt. Acida concoctioni officiunt. Salsa noxia sunt hepati. Lac uirilem stomachum offendit. Aduſta inimica bilioſis. Non obsistam, Non fuero impedimento, Non obturbabo, Non reluctabor, Non obstrepam tuis conatibus, Non renitar, Non reclamo, Non remorabor institutum tuum. Fabius, Aures minus feriunt, pro offendunt, dixit.

FVNCTIONIS FORMVLAE. Cap. LXXIX.

Gesit consulatum. Vbi tum proconsulem agebat. Prætoris officio fungebatur. Dictator erat. Bellum administrabat. Siciliam obtinebat, Ita Cicero frequenter, pro administrabat. Alioqui obtinet qui impetrat. Prouinciæ præsidebat. Muniatribunitia obibat. Obire bella dixit Liuius. Obire legationes. Cicero, Censui præerat. Cum imperio esse, est habere magistratum. Gerere potestatem dixit Cicero in Verrem quarta. Idem dixit pyraticã facere. Hoc negocij tibi mandamus. Tibi prouinciam hanc deligamus. Duram suscepisti prouinciam. Duram sustines prouinciam. Fac, ut imperatorem te præbeas. Vide ut præstes amicum. Scurræ, non amici functus es officio. Ego te absente, tuis fungar uicibus. Tuas agam partes. Tuarum partium est, siue tuæ partes sunt retundere petulantiam hominis. Defunctus consulatu. Defunctus uita. Defunctus malo.

Defun-

Defuncte periclis. Virgil. Defendere uicem. Horat. Defendente uicē modo Rhetoris atque Poëtæ. Pontificis personam gerit, paulatim exercuit principē, Sueton, pro eo quod erat, functus est munere principis. Tractare Rempub. Gubernare Rempub. Ducere bellum. Gerere, exercere bellum. Nauare operam. Satagit rerum suarum. Ductare exercitum. Patrare bellum. Quæ duo uerba Fabius notat à Sallustio nouata in usum honestum, cum antè fuissent obscœna. In familia bene instituta omnes in officio sunt. Non deero officio meo. Nusquam cessabo in officio meo. Salustius: Curare dixit absolute. Nam is in ea parte curabat.

QVIBVS MODIS TRIBVIMVS aliquid Cap. LXXX.

SVmmo ingenio puer. Summi ingenij puer. Summus ingenio puer. Summus ingenium, poëticum est. Vir admiranda sapientia. Vir admirandæ sapientiæ. Vir admirandus sapientia. Vir admirandus sapientiam, In carmine. Vir incredibili præditus sapientia. Vir omnijugis corporis atque animi dotibus exornatus. Vir omnibus instructus dolis. Vir ex meris mendacijs conflatus atque compositus. Id omnibus natura insitum est. Id natura nobis indidit. Ita natura comparatum. Id cunctis attribuit natura. Multa uitia nobis recepta consuetudo conciliat, nonnulla natura ingenerat. Omnibus innatum est, ut uitam suam incolumen esse uelint. Id uitij non tibi natura adiunctum est, sed accersitum ac receptum praua

Ad eam rem iam iacta sunt fundamenta. Aetites partus adiuuat. Inflationem stomachi discutit. Pectoris dolores leuat. Bilē extrahit. Pituitam detrahit. Mensium abundantiæ auxiliatur. Aduersus serpentes in uino datur. Deploratis auxilio est Chironia. Morbis omnibus medicatur Penace. Elleboro phthiriasis emendatur. Datur ad serpētum ictus chelidonia. Rhododaphnes fōlia homini præsidio sunt aduersus serpentes. Auiditatem cibi facit acetum, ualet ad ciborum appetentiam irritandam. Absinthium fulcit stomachum labentem. εὐστόμαχα dicuntur Græcis quæ stomacho conducunt. Nullum operæpretium fuerit.

PRAESAGII FORMVLAE.

Cap. LXXVII.

Sol purus oriens neque feruens, serenū diem nunciat. Concauus oriens pluuias prædicit. Si citra occidentem rubescunt nubes, serenitatem futuræ dici spondent. Sin spargentur, pluuiam uentōsque significabunt. Cum oriente radij non illustres eminebunt, pluuiam portendent. Si in exortu rubescent nubes, maxima ostendetur tempestas. Si oriens cingetur orbe, ex qua parte is se aperit, expectetur uentus. Si totus defluxerit, serenitatē dabit. Lunæ connu septentrionale acuminatum, inde præsagit uentū, sic enim frequenter usurpat hanc uocem Plinius, ut præsagire non sit præsentire, sed portendere. Si quartam orbis rutilus cinget, uentos & imbres præmonebit. Nascens obatro cornu, pluuias decrescens dabit. Rubi-

cundam

cundam uenti protinus sequuntur. Autumni serenitas uentosam hyemem facit. Volutantes stellæ uentos nunciant. Eædem in plures disiectæ partes, inconstantes uentos effundent. Quum ab aquilone nocte serena fulgurauerit, uentũ & imbrem demonstrabit. Nubes uehementius atræ ab oriente in noctem, aquã minantur. Nube grauida candicante, grando imminebit. Nebulæ cœlo cadentes, serenitatem promittunt. Pallidi ignes tempestatum nuncij sunt. Mare in tranquillo portu intra se murmurans, uentum prædicit. Camporum fragor & cœli murmur, non dubiam habet tempestatis significationem. Echini affigentes sese, tempestatis signa sunt. His modis locutus est Plinius. Ipsa cœli facies futuram tempestatem loquitur. Exoriens nothus uenturam pluuiam prænonet. Iris hymbrium est nuncia. Halciones nidulantes, futuræ tranquillitatis fidem non dubiam faciunt. Præcox pueritia uaticinium est uitæ breuis. Immodica felicitas, signum est uenturæ calamitatis. Crispãtes undæ nautis cooriturος uentos demõstrant. Qui bene conijciet, hunc uatem puta optimum. Stridor dentium in ægrotis, mortis indicium est. Dentium series breuis & continua, longæuitatem arguit. Occursus puellæ nuper nuptæ, felix auspicium est. Occursus uirginis, parum læti ominis est. Nec dubias significationes sæpe iecit, ne reliquis quidem se parsurũ. Sueton. Euidens specimem dedit, qualis sit futurus princeps. Ex pueritia diuina, qualis sit futurus senex. Hinc collige, hinc augurare, hinc ratiocinare.

9.

nis. Damnatus est repetundarum, uel de repetundis. Absolutus iniuriarum. An quisquis gratiam quum posßit, nõ refert, ingrati teneatur. An teneatur Rei pub. læsæ, qui quod sibi licuit fecit. Læsæ religionis sit actio. Nec audacem timoris absoluimus, dixit Seneca. Ad hanc formam pertinent illa quæ referuntur in titulo, Laudandi ac Vituperandi. Cicer. Qui iam de maiestate postulaui. Plautus, Cras subscribam homini dicam. Idem, Quum istam causſam subscriberent. Vnde subscriptores dicuntur, qui cum accusatore causſam & crimen subscribunt, & actori adsunt. M. Tullius, Accusabat M. Aquilium, subscriptore C. Rutilio Ruffo. Inde & subscriptio. Incusat senis parsimoniam. Insimulat herum malitiæ. Caussatur tutorum perfidiam.

FORMVLAE VTILITATIS. Cap. LXXVI.

Nihil æque conducit ad beate uiuendum. Nihil ad parandas opes conducibilius. Nihil ad eam rem confert. Plurimum adferet adiumenti. Vtilis ad parandos amicos assentatio. Plus adfert uoluptatis, quàm utilitatis. Plurimas ad res hic libellus usui futurus est. Ad id patruus in primis adiutare poterit. Quid faciunt ad uirtutem nummi? Libet quidem, ueuum non expedit. M. Tullius, Visum est mihi hoc ad multa quadrare. Vtinam hæc res tam frugifera tibi sit, quam futura est honesta. Vtinàm tantundem frugis adferat, quantum adfert gloriæ. Ad id sola doctrina fuerit adiumento. Ad hoc pecunia magno adminis-

miniculo futura est. Ad id haud mediocriter adminiculantur uires corporis. In id quoque prodest ornatus, Fabianum. Non parum ad id faciendum momenti habet fama integra. Neque uerò illud mediocriter profuerit. Adiuuat hoc quoque. Hac ratione nihil profecimus, reliquum est, ut diuersam ingrediamur uiam. Nihilo plus explicet, ac si insanire paret, id est, nihilo plus proficiet. Horat. Eruditio ad pietatem plus adfert dispendij quàm compendij, & non tam promouet quàm moratur. Calida sunt amica stomacho, dulcia conducunt hepati. Quod stomacho confert, idem prodest cerebro. Quod ad stomachũ facit, idem capiti salutare est. Quod stomacho bonũ est, idem cerebro cõmodum est. Lactucæ aluo deijciendæ efficaces, & ad somnum conciliandum idoneæ. Ad ciendos menses ualet malua. Aluo sistendæ sunt utiles fabæ assæ, stomachum acuunt, excitant, irritant appetentiam edendi. Hac in re solus hic tibi poterit commodare. Plurimum commoditatis adferet pecunia studioso. Vtinam tam tibi commodo sit, quàm mihi fuit graue. Magno meo malo tentaui. Et sine pronomine. Liuius: Loquendo quæ in rem non essent die consumto. Idem: Si é Repub. censeret, ueniret. M. Tull. Facis ex tua dignitate & é Rep. Idem: Scio quæ studio dixerit, é Repub. dixisse. Feciſti tuo commodo, nostro incommodo. Si iudicabis in rem tuam esse. Si putabis ex usu tuo fore. Si putabis é re tua fore. Pro te facit quod dico. Ad philosophiam Dialectica uiam aperit, uiã sternit, uiam præstruit.

consuetudine. Inest in homine incredibilis quædam astutia. Inest homini.

TITVLORVM. Cap. LXXXI.

EIus rei meminit Plato in dialogo qui inscribitur συμπόσιον. Testis Cicero in eo libro quem inscripsit Oratorem perfectum. Plinius in opere, cui titulus, Historia mundi. Varro in Satyra, cui titulū fecit, Nescis quid serus uesper uehat. Virgil. in Alexide. Terentius in Adelph. Hesiodus in opere, cui titulum nuncupauit, Opera & dies. In libello cui titulum indidit, De uerborum copia. In commentarijs, quibus titulum prætulit, De nugis aulicorum, In Odarum libro quem Syluas nuncupauit. In Phormione Terentiana.

GRATVLANDI. Cap. LXXXII.

GAudeo te nobis optantibus incolumen esse redditum. Gratulamur tibi uictoriam. Sic enim loquitur Suetonius & Seneca. Item M. Tull. Apellat hominem, & ei uoce maxima uictoriam gratulatur. Isto nomine tibi gratulor. Gratulamur de uictoria: Gratulor uicisse te. Quòd uictor redieris uehementer gaudeo. Te noua prole auctum esse gaudeo. Saluum te aduenire uolupe est. Lætor tuo nomine, quòd uxor feliciter peperit. Quòd gener tibi tantopere probatur, magnopere tua caussa gaudeo. Voluptati mihi est, quòd tibi res ex sententia cesserit. Tua gratia gaudeo, quòd res præter spem bene uerterit. Tu am uicem lætor, qui prospere pugnaris. Macte. Macte

cte istius animi. Terentius: Abi, uirum te iudico. Item in Adelphis Syrus.

GRATIAS AGENDI. Cap. LXXXIII.

QVòd tam officioſe me commendaris principi tuo, gratiam & habeo, & habiturus ſum immortalem. Quòd tanta fide mea negocia procuraris, pares gratias agere uix poſſum, referre nequaquã. Quòd me paſsim amantiſſime prædicas, uideo quantum debeam tuo in me ſtudio. Quòd meis commodis tantopere ſtudes, & habetur à me gratia, & ſemper habebitur. Quòd argentum ad diem promiſſum reddidiſti, amo te, & habeo gratiam. Terentius: Ecquid nos amat de uirgine? M. Tull. Quòd mihi polliceris ualde te amo. Idem: Multum te amo quòd ſpopondiſti M. Octauio. Factum bene quòd epiſtolam obſignatam remiſeris. Quòd nos pro tua uirili tueris, gratum eſt. Grates perſoluere dignas, non opis eſt noſtræ. Virgilius: Fateor me tibi magno père deuinctum eſſe. Hoc nomine plus tibi debeo, quàm ut unquam ſoluendo eſſe poſsim. Hoc officio arctius me tibi aſtrinxiſti. Obligatiorem me tibi feciſti, deuinctiorem reddidiſti. Magis obnoxium effeciſti, quàm ut uel uerbis agere gratias poſsim. Maior eſt noſtra neceſsitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi, pro ullo officio debeam gratias agere. Maius eſt hoc beneficium, quàm ut orationem poſtulet.

REFERENDI BENEFICIVM. Cap. LXXXIIII.

GRatiam referre. Reponere merita. Rependere

uirili, pro uiribus. Hoc unum stude, ut te in regis beneuolentiam insinues. Literis incumbas. In hæc studia incumbite. Ad id eluctare. Ad hoc inuigila. Efficies si modo aduigilaris. Vigilandum est, qui sua negocia uelit tempori conficere. Manibus pedibúsque connitere. Id unum elaborat. Eò uelis equísque contendit. Huc uelis remísque festinat. Horat. Hoc studium parui properemus & ampli. Vt doctus euadas, dies noctibus continua. In ea re uehementer est sudatum. In id plurimum laboris exhaustum, exantlatum. Rem perdifficilem conamur. Rẽ arduam molimur. Summo nixu, summa ope, summa ui. Quantum potes adlabora. Pecuniæ caussa nihil non tum facit tum patitur.

EXPLICANDI ET IMPLICANDI.
Caput XCI.

VBi his malis emersero. Vbi his turbis memet extricauero. Vbi ex his negocijs me expediuero. Cum ex his negociorum exiero labyrinthis. Simul atque his me tumultibus exoluero. Vbi his è nugis memet excussero. Si quando licebit memet ex his negociorum fluctibus emoliri. Si licebit ab his curis discedere. Si continget liberari, leuari. Si quando ab ijs negocijs meipsum uindicauero, asseruero, absoluero. Vbi ex ijs malis eluctatus fuero. Vbi ex his calamitatibus enataro. Implicitus malis. Inuolutus negocijs. Districtus curis. Occupatus negocijs. Distentus, Distendi, Distineri negocijs. Distorqueri curis. Immersus, obrutus, opertus negocijs. Intricatus, Impeditus,

peditus, Illigatus, Obunctus, Dispũctus, Obseptus, Oneratus negocijs, Oppressus, Oppletus: Tot me res circumuallant. Tot me pericula circumstant, circumsistunt, obsepiunt, cingunt, obsident, premunt, urgent.

VERBA FINIS, SEV PROpositi. Cap. XCII.

STOici in una uirtute summũ bonum constituunt. Epicurus felicitatem uoluptate metitur. Peripatetici usu uirtutis beatitudinem definiunt. Herillus in scientia summum bonum collocat. Quidam in indolentia boni finem posuerunt. Est qui in pecunia felicitatem sitam esse existimet. Maxima pars hominum spectat utilitatem. Pauci sibi proponunt honestum. Huc omnes conatus tui spectant, ut diteſcas. Huc respicis, huc tendis. Omnes spes meas in te uno fixi. Quidam famæ seruiunt. Alij lucri rationem habent. Hic uoluptatem ubiq; sequitur. Ille captat gloriam. Hic ad priuatam utilitatem omnia refert. Huc reliqua omnia sunt conferenda. Huc omnia illa pertinent, spectant. Horat. Quorsum hæc tam putida tendunt? In hoc etiam popularem laudem petit. Admirationem Aristoteles maxime petendam putat. Illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium uoluptatem. Negociatorum unicus scopus est pecunia.

QVA EST IMPVDENTIA. Cap. XCIII.

SI crimen illi palàm obijcias, sat scio qua est impudentia. Vel, cuius est impudentiæ. Vel, ea est hominis

16.

dium pecuniæ compendio resarcit. Famæ iacturam pecuniario lucro solatur.

APTITVDINIS FORMVLAE. Cap. LXXXVII.

QVære uxorem aptam tuis moribus, aptam ad tuos mores. Amicum dilige tuis moribus appositum, accommodatũ, uel ad tuos mores. Amicum delige, qui tuis moribus, uel ad tuos mores cõueniat. Non est natura compositus ad artem poëticam. Ostentationi compositum, dixit Fabius, quo eo quod est, ad ostentationem paratum. Idem, Iuri magis an æquo sit appositus, id est, propensior ad ius, an ad æquitatem. Rursus idem, Constátque rebus ad faciendam fidem appositis. Ad mathematicam uidetur esse propensior. Vir maximis rebus, uel ad maximas res natus. Vir factus ad huius nequitiã. Ad huius mores factus, fictus, sculptus esse uidetur. Adeo ad huius mores quadrat. Oratio non est naturæ consentanea. Facta non respondent orationi. Hæc non competunt in senem. Hæc non competunt uiro graui. Non hæret in Catonem huiuscemodi crimen. Non consentiunt tui mores cum huius moribus. Non concinunt tua atque huius studia. Non concordat huius institutum cum tuo. Concinnus transitus, Concinna digressio. Ista non cohærent, non consistunt. Non cadit in sapientem animi perturbatio. Non recipit tua simplicitas adulationis suspicionem. Nõ congruunt literæ cum studio pecuniæ. Non bene conueniunt, nec in una sede morantur Maiestas & amor.

Able-

ABLEGANDI VERBA. Cap. LXXXVIII.

Hic mihi est ablegandus aliquò, Puerum hunc prius amanda quopiam. Hunc Argum aliquò si potes amolire. Non possum hũc amouere quopiã. Ego hunc neque uti amitã à me, neque ut retineam scio. Non possum memet ex hoc grege nebulonum excutere. Hic utcunque est extrudendus aliquò.

PROFICISCENDI. LXXXIX.

Rvs hinc abeo. Rus hinc concedo. Discedo, ab scedo, decedo. Galliam repeto, inde Britanniam aditurus. In Italiam iter instituit. Tum Neapolim cogitabam. Apparas iter, adornas profectionẽ, componis sarcinas. Ingressus est uiam. Quò paras proficisci? Quò paras profectionem? Quò tendis? Quo te Mœri pedes? Quò tenetis iter? Quò nam iter est. Rus me confero. Domum me recipio. Domum reuertor. Certum est in patriam, reuolare. Certum est ueteres amicos reuisere. Redde te patriæ. Fac recurras in patriam. Restitue te tuis. Fac te quamprimum reducem uideamus. Ad rem inutile est subinde mouere castra. Haud temere ditescunt, qui crebro uertunt solum.

CONATVS. Cap. XC.

DA operam ut conualescas. Cura ut reualescas. Enitere ut cum parẽtibus in gratiam redeas. Adnitere totis neruis, ut in uirum tuo genere dignũ euadas. Illud totis uiribus agito, ut parentum expectationi facias satis. Pro uirili conatus sum. Pro mea uirili, 13.

officia. Pensare beneficium. Remunerare beneficiũ. Remetiri beneficium. Reddere beneficiũ. Persolue re beneficium. Respondere meritis. Par esse beneficijs acceptis. Efficiam ut tuum in me officium ad te non sine fœnore redeat. Fœneratum hoc beneficium tibi pulcrè dices. Dispeream, nisi beneficium istud tibi conduplicauerit. Statim regerere beneficiũ, est nolentis debere. Hoc non est referre beneficium, sed refutare. Certemus mutuis inter nos officijs. Beneficium ultro citroque commeare debet. Cum fœnore reponendum quod acceperis. Quisquis grate munus accepit, iam gratiam retulit. Retaliare iniuriam: In malam partem. Respondere malefactis. Reponere iniuriam, Pensare, Remetiri, Referre, ac fermè omnia, & in malam partem possunt accipi. Inuenitur & retaliare apud Gellium, in bonam partem, neque natura uocis refragatur, id tamen est usitatius.

ORIGINIS VERBA.

Cap. LXXXV.

HAud dubito, quin hæc ab amore quodam in me singulari proficiscantur. Vniuersum hoc malorum agmen è bello nobis natum est. Hinc omnis illa simultas inter eos orta est. Tu malorum omnium autor. Cupiditas pecuniæ, uitiorum omnium parẽs. Inuidia totius huius odij seminarium fuit. Natura nobis paruulos igniculos dedit. Hinc omnis illa turba uenit, Hinc fluxit. Hinc manat omne, quo beati reddimur. Horatius: Græco fonte cadunt. Hinc scatet omnis illa uitiorum colluuies. His fontibus totus ille tumul-

tumultus rerum extitit. Hinc surgunt odia. Hinc lites proueniunt. Hinc ueniũt iurgia. Ab his exordijs Romana nobilitas ducitur. Omnium magnarum rerum à Dijs immortalibus principia ducuntur, dixit M. T. in Vatinium. Regibus ortus. Roma oriundus, Attauis ædite regibus. Maximis prognatus ducibus. Sate sanguine diuûm. Ex his pullulãt odia, Gliscunt inuidiæ, Subnascitur simultas, Fruticantur diſſidia. Siluescunt factiones. Illa è Philosophorum fontibus haurienda, Reliqua è Poëtis petenda.

PENSANDI. Cap. LXXXVI.

Quod corporis uiribus deest, id ingenij donis exæqua. Quod corporis formæ detractum est, id animi dotibus natura pensauit. Tu opulẽtior, nos eruditiores, atque ita tecum paria fecimus. Absentiam nostram crebris literis sarciamus. Quod hactenus cessatum est, id oportet diligentia recupera re. Quod illius stultitia peccatum est, id tua sapientia restituas oportet. Quod illius inscitia admissum, id oportet ut tua prudentia redimas. Supplendum diligentia, quod ingenio deest. Quod corpori detractum, id ingenij dotibus acceßit. Studio reponendũ, quod negligentia præteritum est. Quod ademptum est fortunæ, id ingenij dotibus additum est. Quantum corporis uiribus deest, tantum animi uirtutibus superest. Natura quod alibi detrahit, alibi reddit. Quod suis eripit, hoc hospitibus accumulat. Ouid. Ingenio formæ damna rependo meæ. Famæ diſpen

dium

14

minis impudẽtia, inficias ibit. Vel sic: Sat scio, ut est impudens, inficias ibit. Vel sic: Sat scio, pro solita sua impudentia inficiabitur. Quanquam hoc postre mũ minus habere uehementiæ uidetur. Adeo est impudens, ut mox sit inficiaturus. Vt nunc sunt mores, id est, pro huius seculi moribus. Vt est barbarorum ingenium, id est, pro conditione barbarici ingenij.

QVAM VT, QVAM QVI. Caput XCIIII.

VIR melior est quàm qui uelit mentiri. Simplicior quàm qui posßit. Superbior est, quàm ut uelit doceri. Stupidior quàm ut posßit discere. Adeo pauper est, ut nec obulum habeat. Adeo ignauus, ut malit inediæ perire, quàm artem discere. Sic de me meritus es, ut tibi succensere non debeam. Sic mihi carus, ut irasci ne si uelim quidem posßim. Melius de me meritus es, quàm ut tibi posßim succensere.

BENE EST. Cap. XCV.

BEne res habet. Bene se res habet. Bene habet. Bene est. Optime est. Bene tibi habent principia. Optimo in loco res est. Peiore in loco res esse non potest. Quonam in statu res sunt tuæ?

MEA SENTENTIA. Cap. XCVI.

MEa quidem sententia. Pro mea quidem sententia. Vt ego quidẽ sentio. Vt mea fert opinio. Meo quidem animo, Plautinum. Meo iudicio. Vt mihi quidẽ uidetur. Ni fallor. Si quid iudico. Meo quidem suffragio Mar. Tull. uicit Demosthonem. Tuo calculo uictus est.

Plus

Plus & pluſquam

Audiui plus millies. Audiui pluſquam millies. Caleſces plus ſatis. Pluſquam ſatis. Huiuſmodi orationes omnes bifariam proferuntur in aduerbijs ac nominibus, in uerbis non itidem. Sapit plus quàm expedit. Mulier plus quàm decet erudita. Plus quam neceſſe eſt facunda. Rurſum uixit annos plures quàm decem, uel plures decem. Plus quingentos colaphos infregit mihi. Plus quàm quingentos, plures quingentis. Amplius quadraginta dixit Sueton. Hoc igitur orationis genus quadrifariam effertur. Amplius & non ampliusinterdũ præponitur, interdum ſubijcitur, interdum interſeritur. M. Tull. Cum enim Syracuſis amplius centũ ciues Romani cognoſcerent, id eſt, plures quàm centum. Cæſar: Amplius horas quatuor fortiſſime pugnauerunt. Pompeius L. Domitio, Non amplius quattuordecim cohortes Luceriam coëgi. Hic præponitur. Terentius: Sexaginta annos natus eſt ut conijcio, & eo ãplius. Mar. Tull. Laodicæ uiginti pondo, paulò amplius. Hic ſubijcitur. Virgilius: Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas. Hic interſeritur. Eodem fermè modo uſurpatur Plus. Cicer. pro P. Quintio, Ac tecum plus anno uixit in Gallia. Idem pro Planco: Sed non plus duobus aut tribus menſibus. Hic præponitur. Terentius: Dies triginta aut plus eo, in naui fui. Hic in medio ponitur. Centum deſiderati ſunt, aut plus eo. Hic poſtponitur. Hunc igitur ſermonem ita uaries licebit. Amplius ducenti deſiderati ſunt. Ducenti &

familiaritas intercedit. Multus mihi cũ homine quondam usus fuit. Mutua quædam beneuolentia iam prídem inter nos est. Salustius: Imperator Iugurtham in amicis habebat, id est, in amicorum numero.

SPERANDI. Cap. CVIII.

SPero fore. Nonnulla spes est fore. Venio in spẽ. Vocor in spem. Erectus in spem. Concipio spem de te optimam. Nonnulla me spes habet. Maxima teneor spe. Magna me spes tenet. Adducor in spem. Nonnulla me spes cepit. Spei nonnihil affulsit, arridet, blanditur. Omnia summa mihi de te promitto. Is est de quo possis tibi omnia polliceri boni uiri officia. Nihil mediocre de te tui ciues expectant. Inijcere spem. Solicitare spe. Ostentare spem. Ostendit futurum. Ducimur spe. Lactamur spe. Ad Comœdiæ gratiam latini ne aspirarunt quidem. Mar. Tull. Ad eam laudem quam uolumus aspirare non possunt. Salustius, Vt omnia bona in spe haberes, id est, nihil non sperares.

AD VERBVM. Cap. CIX.

AD uerbum edidicit, quem locũ ad literam subieci. Fabius: Eius uerba subieci, pro quo uulgo dicunt in forma. Ipsa hominis uerba tibi reddam.

Εἰρωνείας. Cap. CX.

HEus bone uir. Scilicet is superis labor est. Is nunc si dijs placet, nos docebit, qui nihil unquam didicit ipse. O mirum amicum. Mira uerò mihi quæ placeant. Sanè uerò. Quasi uerò.

EXTRAHERE DIEM Cap. CXI.

Sic

Sic ille dies extractus est. Hoc agebant, ut dies eximeretur. Ducere tempus. Terere tempus. Ducere bellum. Iam dies excesserat.

PARATVM AC FACILE. Cap. CXII.

PAratum, promtum. In promtu, in procinctu. Procliue. In procliui. Obuium, expositum, expromtum. In numerato habere. In statione. Ad manum. Ex tempore, extemporarium, extemporaneũ.

DEPELLENDI. Cap. CXIII.

DEprecari inuidiam. Deprecari culpam. Depellere crimẽ. Auersari, abominari, reijcere, refellere, negare, inficiari, inficias ire, propulsare, profligare, amoliri. Virgil. Dij meliora pijs. Quod Deus auertat. Diui prohibeant.

AGNOSCENDI. Cap. CXIIII.

AGnouit hæreditatem. Agnoscit crimen. Accipio conditionem. Admitte testamentum. Adijt testamentum. Vt admirationem etiam plausi confiteretur. Amorem re testatus est. Odium & uultu præse fert. Morbum incessu uultúq; fatetur.

AB ADOLESCENTIA. Cap. CXV.

IAm inde à puero. Ab adolescentia. A teneris unguiculis. Sic à pueris assueti sunt. Terentius, Vsque à pueris curaui ambos. Idem, Mihi magna cum eo iam inde usq; à pueritia semper fuit familiaritas. Varro, Iam inde à cunabulis. Liuius, Inde ab incunabulis imbutus odio tribunorum. A rudibus annis. A prima pueritia. Ab ipso uitæ exordio. Ab i-

Post cœnam. A cœna, sub cœnam. Nam sub significat & paulò ante, uel protinus post. Cicero: Sub hæc lectæ sunt tuæ literæ, id est, post hæc. A tuo reditu. Post tuum reditum.

SIMILITVDINIS. Cap. CIIII.

Est & diuersarum rerum quædam inter se similitudo, affinitas, cognatio, uicinia. His finitima sunt illa. His confinia sunt illa. Simiæ figura multum ad hominis formam accedit. Puro tamen fonti quàm flumini proprior. Non multum à tuis moribus hæc abludit imago. Huc alludit illa Terentiana sententia. Virgilianam dictionem æmulatur, exprimit, refert. Haud multum abest, dißidet, discrepat à tuis moribus. Ab hac ratione non multum abhorret Fabius. Eiusdem generis est & illud. Eiusdem farinæ prouerbialiter. Eiusdem notæ. Eiusdem claßis. Mei loci, atque ordinis hominem. Ex aliquo circulo dixit Cicero. E sinu suo, pro è suis familiaribus dixit Cicero & Plutarchus. Ex eo numero est. Ex illo conuentu quadruplatorum dixit M. Tull. in Verrem quarto. E suis gregalibus dixit. Idem, Sub hac facie latet adulatio. Plerunque uitia uirtutis personam induunt, ac uirtutis simulachrum repræsentant. Sub uirtutis specie, uirtutis titulo, uirtutis prætextu. Sub imagine pietatis. Sub umbra pietatis. Patrem ore refert. Parentem moribus exprimit. Patruum nomine reddit. Auum uoce repræsentat. Patronum imitatur oculis, Amitam nulla re prorsus exhibet. Alter Cicero. Alter Hercules. Faciē mentita Lyciscæ, Formata

mata in admirationem, id est, simulans se admirari. Suetonius: Vultu ad hilaritatem composito. Prætexere, præ se ferre. Ante se gerit. Effigie pietatis. Dissimilis huic & huius, Non absimilis facie Tyberio. Apud eundem est adsimilis pro similis.

MVTVI. Cap. CV.

MVtuũ dare. Mutuo dare. Mutuare. Commodato dare. Commodare. Vtendũ dare. Vtendum accipere. Accepit usurariam. Plautus: Opera commodatitia præstant operas mutuas. Mutuum mulí scabunt.

FALLENDI. Cap. CVI.

IMposuimus Reipublicæ. Fefellit nos. Decepit, circumuenit adolescentem. Circumscripsit, circunduxit apud iure consultos. Verba dare mihi difficile est. Si senseris eos fucum uelle facere. Impostura fecit, & passus est. Delusit. Elusit. Frustratus est nos sperato lucro. Non te fraudabo debita gloria. Technæ, doli, fuci, præstigiæ, uafricies, uersutia, astus, astutia, fraus. Os mihi sublitum est. In fraudem illexit, pellexit. Arte me tractauit. Dolo mecum egit. In specie dixit M. Tullius: Præclara classis in specie, sed inops & infirma. Quòd si mea fiat captione. Absit omnis captio. M. Tullius: Quur igitur uos inducitis in eas captiones, quas nunquam explicetis.

EST AMICVS. Cap. CVII.

VTor patre familiariter. Est mihi cum illo arctissima necessitudo. Sum illi summa familiaritate coniunctus. Sum illi amicus. Summa mihi cum illo

eo amplius desiderati sunt. Ducenti desiderati sunt & eo amplius. Desiderati sunt plus quàm ducenti. Desiderati sunt plures ducentis.

Ad summum. Vt minimum.

Semel hominem salutaui, aut ad summum bis. Vt multum. Vt plurimum. Non minus. Saltem. Vt minimum. Vt minimum dicam. Non amplius, cum plurimum, quàm septem horas dormiebat. Ita Suetonius.

MOREM GERENDI. Cap. XCVII.

MOs gerendus est patri. Morigerandũ est patri. Obsequendum est patri. Patri obsecundandum. Patri concedendum. Inseruiendum. Obseruiendum paternis moribus. Accommoda te paternis moribus. Præbe te illis ad tempus. Attempera te moribus omnium.

ROGANDI. Cap. XCVIII.

MAiorem in modum te rogo, Etiam atque etiam oro. Obsecro te atque obtestor. Illud uhũ abs te magnopere peto, contẽdóque. Illud à me uehementer contẽdebat. Efflagitasti quotidianis conuitijs. Implorauit opes hominis. Eblanditus est fauorem. Exambijt, reperitur apud quosdam. Extorsit potius quàm exorauit, At istud poscere est, non rogare, Flagitabant uerius quàm orabant.

IGNOSCENDI. Cap. XCIX.

REmisere mulctam. Hãc unam ignosce culpam. Remisit offensam. Condonamus admissum. Terentius: Condonamus argentum quod habes. Salust. Condonare creditum. Da ueniam iuuenilibus erratis.

tis. Iurisiurandi gratiam facere pupillis non potest. Est in Pandectis. Item apud Salust. Cæterum Bocho quoniã pœnitet, delicti gratiã facit. Item Suetonius: Coniurandi gratiam fecit. Ad quædam uitia conuenit conniuere.

ABROGANDI. Cap. C.

Rescindere conuenta. Abrogare legem. Abdicare legem. Antiquare, abolere legem. Obsolescere neutrum. Sustollere legem. Irritare pacta. In integrum restituere. Mutare pacta. Obliterare legem. Hæc lex abijt in desuetudinem. Exolescere metum dominorum, dixit Plinius in epist. pro extingui atque intercidere. Nusquàm tibi beneficij memoria apud me intermorietur. Deposuit imperiũ. Abdicauit magistratũ. Abdicatus à magistratu dixit Salust.

ORNANDI. Cap. CI.

COmere, expolire, perpolire, exornare, uenustare, picturare, honestare. Pigmenta, flosculi, lecythi. Veneris uenustas, lepos, nitior, gratia, decus. Lenocinia, emblemata, compositio, colores, myrothecia, fuci, phaleræ, dignitas, cultus, polities.

INTER COENAM. Cap. CII.

INter cœnam. Sueton. & Senec. Inter cœnandum. Super cœnam. Cœnantibus nobis. In cœna, idem efficiunt. Inter iocum. Sueton. Inter iocandum. Sic inter conuentum, pro in conuentu dixit Sueton. & inter pœnam, pro inter puniendum, Per iocum. Inter pocula. Inter potandum.

POST COENAM. Cap. CIII.

pſo uitæ limine. Ab incunabulis. Cum ipſo nutricis lacte fugimus errorem. Ab ipſis crepundijs.

ACCVRATE. Cap. CXVI.

ACcurate, exacte, elaborate, ad unguem, ad amußim, examußim, amuſſatim, examuſſatim, ad perpendiculum, ſumma cura. Exquiſite, conquiſite. Circunſpecte, attente. Conſideratus pro attentus dixit Cicero. Idem dixit, ad perpendiculum exigere. Sagaciter perueſtigauit, apud eundem. Item diuinitus dicta pro egregie. Preßius agamus, Mar. Tull. de finibus 4. Idem: Nunc cominus agamus.

PERFICIENDI. Cap. CXVII.

ABſoluit, perfecit. Exegi monumentum. Finem impoſui. Finem dicendi faciam. Finijt. Summam manum impoſuit. Ad umbelicum duxit. Faſtigium imponere. Colophonẽ addere. Supremam addidit manum. Extremum actum addere. Fabulã uitæ peregit. Exacta ætate. Ad metam uſque perduxit, peregit fabulam, depuduit. Deſultauit cãticum. Suetonius: Depugnatum eſt. perdoluit, deſirbuit. Vita defunctus eſt. Deſijt artem.

COMMITTENDI. Cap. CXVIII.

LEges inter ſe colliduntur euentu. Vt non compoſiti melius cum Bytho Bachius. Quis te cum iſto commiſit homine? Concertaſti cum hero. Conſerre pedem. Conſerere manum. Congredi cum uiro. Confligere, colluctari, conflictari.

VAMANDI. Cap. CXIX.

VNice te diligit. Amat effuſiſime. Cariſimum habet.

habet. Admiranda quadam caritate prosequitur. Fama nihil habet antiquius. Nõ amat modo, uerum etiam obseruat. Singulari beneuolentia prosequitur. Animo toto te complectitur. Oculis atque animo fert hominem. Coridon ardebat Alexim. Deperibat uirgimem. Deperibat in uirginẽ, perdite amat. De perdita amore, Sueton. Flagrat amore tui. Amantissimus est tui. Tui tuorúmque est obseruantissimus. Studiosissimus est tui. Tui cupientissimus. Ex animo tibi bene uult. Bene cupit tibi. Hunc unum habet in delicijs, habet in oblectamentis. Nõ perinde ille affectus erat, dixit Sueton. pro eo quod est, non perinde diligebat, Idẽ dixit, pronior Dolabellæ, pro eo quod erat, in illum propensior. Sic omnia tua exoscultatur, id est, sic amat.

CVPIENDI. Cap. CXX.

Laudis auidus. Laudis auarus. Auens gloriæ. Cupiens famæ. Tui sitiẽtissimus. Famelicus gloriæ. Sitit famam. Sitit aurum. Esurientissimus laudis. Mira gloriæ fames habet hominẽ. Ambit honores. Nullius rei quàm laudis ambitiosior. Priuati commodi studiosus. Alieni adpetens. Adpetens laudis. Eloquentiæ cãdidatus. Inhiat lucris. Imminet exitio uir coniugis, illa mariti. Gestio uidere hominẽ. Prurit illi tergum.

MALE PRECANDI VERBA. Cap. CXXI.

Quoties caput tuum diris deuouit. Execratus est tum sese, tum suos omneis. Vt te dij per-

NOn omnes probabunt istud consilium, culpabunt plurimi. Animum insimulabunt nonnulli. Nemo mihi uitio uerterit. Teren. Nunc quam rem uitio dent, quæso animaduertite. Dare crimini dixit Mar. Tull. in Bruto. Istud uituperio dabunt omnes. Tu tibi laudi ducis. Gloriæ tibi tribuis, honori putas fore. At omnes dedecori dabunt, probro dabunt, criminabuntur, damnabunt, reprehendent, improbabunt, suggillabunt, taxabunt, notabunt, atro calculo notabunt. Salust. Quoniam adeò Syllam non pœnitet, & ut facta in gloria numeret. Album addere calculum. Subscribere sententiæ. Suffragari, refragari, laudibus ferre, ad cœlum ferre. Horat. In cœlum ferre. Cicero, Laudibus uexit. Apud Plinium in epistolis, Scis uitio nigrum præfigere Thitæ. Auaritiæ singulos increpans. Sueton. Tibi malum imputabitur. Tibi feretur acceptum. Tu fueris in crimine. Tam est in uitio qui deserit amicũ in periculo, quàm qui prodit. Sic Marcus Tullius, In te residet facti suspicio. In te redundabit. In te cudetur hæc fabа, prouerbialiter. Male audies apud omnes, qui hactenus audisti bene. Catullus Quisquis de meliore nota. Vir peßimæ notæ. M. Tullius, Homo nullo nũero. Nihil illo contemtius. Item, Vir primæ notæ, Vir extremæ notæ. Homo quintæ classis, homo ultimæ sortis. Homo bonæ frugis, siue bonæ frugi: aut absolutè, homo frugi.

AD SVMMAE. Cap. CXXXI.

AD summam, dixit Horatius. In summa, ut summat im

matim dicam, denique, demum, postremò breuiter. Vt semel dicam, ut semel finiam. Dicam in genere. Rem omnem uerbo complectar. Quid quæris? pro denique, Ciceronianum est. Quid multa? quid multis moror? Dicam uniuersim. In uniuersum habeo quod respondeam. Dicam uerbo. Ad ultimum, pro demq; dixit Quint. Curtius, & eodem sensu Sueton, dixit ultimo. ad extremum. Cicero.

PERDENDAE OPERAE. Cap. CXXXII.

LVsit operam. Luditur opera. Opera & impensa perijt. Frustra ego hanc operam sumo, Nihil agis. Laterem lauas. Actum ago. Actam rem agis. In siluam fers ligna. Reliquáque prouerbia, quibus inanis opera significatur.

FRVCTVS. Cap. CXXXIII.

MAgnum ex ea re fructum retulit. Cepit emolumentum. Lucrum reportauit. Sensit commodum. Commoditatem demessuit. Collegit utilitatem. Frugem accepit. Lucrum fecit. Compendium parauit. Ea res illi frugifera fuit, fuit emolumento, fuit commodo, fuit usui. Ex ea legatione messẽ opimam messuit.

IMPVDENTIAE. Cap. CXXXIIII.

NIhil pudet. Depuduit. Depuditum est. Dedidicit pudorẽ. Oblitus est pudoris. Dedidicit pudescere. Nescit pudescere. Exuit pudorem. Perfricuit faciem. Perfricuit frontem. Nihil habet oris. Nihil frontis. Quo ore? Qua fronte?

AGERE DELECTVM. Cap. CXXV.

HAbuit delectum. Agere delectum. Delectibus undique acerbiſsime actis. Cogere exercitum. Contrahere copias. Conſcribere exercitum. Parare manum. Comparare uim militum. Collectis copijs.

ADIMENDI HONOREM. Cap. CXXVI.

DEpoſuit dictaturam. Amotus eſt conſulatu. Abrogatum eſt illi imperium. Ademtum imperium. Abdicauit ſe magiſtratu. Sueton. Priuauit honore. Apud eundē, Redactus eſt in ordinem. Multos coëgit in ordinem, hoc eſt, priuatos reddidit. miſsionem petijt. Rude donatus eſt. Dimiſit cū ignominia. Exautorauit totam legionem.

PERSVADENDI. Cap. CXXVII.

FEcit mihi lachrymis pœnitentiæ fidem. Lachrymis mihi perſuaſit ſeſe facti pœnitere. Lachrymæ mihi perſuaſerunt illum pœnitere facti. Lachrymis effecit, ut crediderim illum pœnitere. Adduxit, pertraxit, pellexit, perpulit me in ſuā ſententiam. Coactus eſt uerius quàm perſuaſus.

INFERENDI SEV RATIOCInandi Cap. CXXVIII.

QVod animal eſt, idem corpus ſit neceſſe eſt. Quod autem corpus eſt, non ſtatim & animal. Is pauper eſt qui plurimum cupit: porrò quo quiſque magis abundat opibus, hoc eſt, opum appetentior, igitur ditiſsimus quiſque pauperrimus ſit neceſſe eſt. Si deus eſt animus, animi puritate, non uictimis

mis corporeis eum conuenit colere. Quum animus sit corpore præstantior, uirtutes autem animi sint possessiones, pecuniæ corporis, consentaneum est uirtutes pecunijs anteponendas esse. In quem cadit misereri, in eundem cadit inuidere. Non cadit autem inuidere in sapientem, ergo ne misereri quidē. Ipse sibi utilis esse nequid, & uobis erit usui? Felix non est, cui multa desunt: at qui diuitibus desunt plurima, qui possunt igitur diuites esse felices? Solum bonum uirtus, nam id demum bonum est, quo nemo male potest uti: uirtute nemo malè uti potest, bonū est ergo uirtus, Bonum est uirtus, ut qua nemo malè uti potest: an bonum pecunia, qua quisque potest malè uti? I nunc, inferē di uim habet, sed uelut cum expro bratione: I nunc, argentū, marmor uetus &c. Quæ quum ita sint, quis audeat inficias ire? Hoc quum sic habeat, an non dedisti damnum? Vtrum damnum dedisti, an non? Et dubitamus adhuc?

NIL NISI. Cap. CXXIX.

NIL nisi Poëta es, Nil aliud es nisi Poëta, Nil aliud quàm Poëta es. Tantum Poëta es. Poëta es, præterea nihil. Nihil es præterquàm Poëta. Nisi Poëta esses, nihil esses. Nihil aliud quàm flebat, pro tantum flebat, apud Fabium: sed apud Suetoniū frequentius, nihil aliud quàm uectabatur. Idem, Nihil amplius quàm monuit. Cui contrarium est, non tantum osculatus est.

LAVDANDI AC VITVPErandi. Cap. CXXX.

Non

dant. Abi in malam rem, in maximum malum, in crucem. Dij te eradicent. Dij tibi factis dignum tuis supplicium dent. Dij mentem tibi dent tuam, βαλλ' ἐς κόρακας, Græcis est usitatissimum. Quæ res illi uertat male. In morbo consumat, prouerbialiter. Plaut. Capiti uestro istud quidem. Virgil. Dij capiti ipsius generiq; reseruent. Cic. Quod illorum capiti sit. Dij sint irati huiusmodi Græco.

POLLICENDI. Cap. CXXII.

NEscio quid magni promittunt sidera. Magnifice pollicentur amantes. Promissis ductat hominem. Pollicitis diues quilibet esse potest. Caue fidas huiusmodi pollicitationibus. Spondeo futurum. Despondeo, Sponde, noxa præsto est. Ego tibi huius nomine fide iubeo. Recipio tibi facturum hunc. Recipio ad me. Salust. In se recipiunt. Hoc tibi meo periculo promitto. Ita mihi stipulanti pactus est. Littoribus nostris ancora pacta tua est. Do fidem futurum. Confirmo futurum. Fidem suam interposuit. Clodio Tyberius ea lege cœnam condixit, id est, promisit se uenire ad cœnam, apud Sueton. M. Tull. Nam cũ mihi cõdixisset, cœnauit apud me. Prisci lingua nuncupatum dicebant, quod esset ore promissum, ac uerbis expressis. M. Tull. in Officijs: Nam cum ex 12. tabulis satis esset ea præstare, quæ essent lingua nuncupata. Vouemus quod Deo pollicemur. Catull. At non hæc quondam blando promissa dedisti. Salust. Quem illi casu oblatum promissis onerat. Dare promissa. Quum hic esses longe alia promissa dedisti. Solici-

licitat ingentibus promißis. Spes ampliſſimas oſtendit. Veterum prouerbijs χρηςολόγοι ac doſones dicti, qui multa pollicerentur.

PRINCIPATVS. Cap. CXXIII.

EST copioſum dicendi genus, in quo Cicero principatum obtinet. Breue, in quo Saluſt. regnat. Subtile, in quo dominatur Hortenſius. Floridum, in quo primas tenet Plinius. Varium in quo præcipuus eſt Hyeronimus. Graue, in quo princeps eſt Seneca. Feſtiuum, in quo ſingularis eſt Martialis. Simplex, in quo primus eſt Terent. Acutum, in quo præcellit Quintilianus. Suaue, in quo uicit Statius. Antiquum, in quo nulli ſecundus eſt Cato. Inaffectatum, in quo nulli cedit, nulli inferior eſt, nemine poſterior eſt Cæſar. Huius negocij uelut anteſignanus, dux, uexillifer, ſignifer extitiſti: κορυφαῖος Græci. Homerus omnes à ſe procul reliquit. Omnes à tergo reliquit. Longo interuallo præcellit, præcedit, præcurrit, præit, anteit, antecellit. In literis Græcanicis palmam tenet. Eloquentiæ Marcus Tull. arcem tenet, primam laudem obtinet, primum locũ obtinet. Præmia prima feres.

LVDORVM. Cap. CXXIIII.

MVnera gladiatoria populo exhibuit. Edidit Circenſes. Fecit ludos ſcenicos, apud Suetoniũ in Caligula. Commiſit & ſubitos apud eundem. Præter conſuetudinem muſicum agona commiſit, in Nerone Claudio. Dedit populo centum gladiatorum paria. Centum camelos produxit.

Agere

AFFECTANDI. Cap. CXXXV.

AFFECtata uerba. Affectatus ornatus. Ascitus ornatus. Ascititius decor. Fabius, Et gratiam rei nimia cooptatione consumsimus. Cooptationem pro affectatione dixit. Captat, laudat, uenatur gloriam. Aucupatur famam. Accersit sibi malum.

IGNORANDI AVT CONTRA. Cap. CXXXVI.

SCio. Non ignoro. Non me fugit. Non me latet. Non me præterit. Non sum nescius. Non me clã est. Quis nescit? Nemini dubium. Intelligo, uideo, sentio. Compertum habeo. Exploratum habeo. Perspectum habeo. Cognitum habeo. Non est obscurum mihi. Non me fallit. Salust. Nec ea res me falsum habuit. Indoctus disci. Rudis horum malorum. Imperitus fallendi. Ignarus iocis, Salustianum.

TVRPE EST ET SIMILIA. Cap. CXXXVII.

TVrpe est. Cum turpitudine coniunctũ est. Laudabile est. Cum laude coniunctum est. Cum uitio coniunctum est. Vitio confine est. Non uacat uitio. Non caret uitio. Nõ abest à uitio. Periculosum, cum periculo coniunctũ. In uitio est. In probro est.

QVIN ET NON. Cap. CXXXVIII.

RVere illa non possunt, ut hæc non eodem labefacta motu concidant. Cicero pro Pompeio, Quin hæc eodem labefacta motu concidant. Non potest studere opibus, ut animi tranquillitatem non perdat. Non potes quin perdas. Non potes, nisi perdas.

Id

ID QVOD, QVOD, ITA VT, ut. Cap. CXXXIX.

ID quod, pro quod, &, ita ut, pro ut, frequens est apud Ciceronem. Ita ut facis. Id quod facis. Quod quidem facis.

AMPLIFICANDI Cap. CXL.

CEdendum erat hospiti, præsertim seni, maxime seni. Pulsauit hospitem, eúmque senem, idque senem, atque hunc senem, atque adeo senem.

RECIPROCA CONSTRVCTIO quorundam. Cap. CXLI.

ERit humanitatis uestræ magnum ciuium numerum calamitate prohibere. Cicero: Prohibe infandos à nauibus ignes. Virgil. Defendit capellas ab æstu. Defendit æstum capellis. Spargere humum foliis. Spargere folia humi. Sternere pallio lectum. Insternere lecto pallium. Inscripsit poculũ literis. Inscripsit poculo literas.

NON CONTENTVS. Cap. CXLII.

NOn contentus uictoria. Non contentus uicisse. Non sat habebat uicisse. Non sat erat uicisse. Parum erat uicisse, ni in uictos etiam sæuiret. Non sufficiebat uicisse. Pœnitebat rapinæ, nisi parentem quoque spoliasset.

SATISFACIENDI. Cap. CXLIII.

INterdum non satisfacit Ciceroni Demosthenes. Non implet aures Ciceronis Demosthenes. Non respondet optatis meis. Non facit satis hominum de se expectationi. Tull. in Demosthene nonnunquam

desiderat aliquid. Non is es, quem expectaram. Non talis est qualem uellem. Nõnihil in te requiro adhuc. Non facit ad huius cupiditatem.

IMPVNITATIS AVT contra. Cap. CXLIIII.

OMnes plura habere cupimus, & tamen id nobis impune est. Haud impune feres. Haud impune feceris. Non fuit illi fraudi magistratum prohibuisse ui. Sine fraude esto. Se fraudi dicebant. Prisc. Non sic auferes. Liuius: Tulit, ne cui fraudi seceßio esset, id est, ut omnibus esset impunitas. Mirabar hoc si sic abiret. Militem impunitate donauit. Nullũ facimus impunitum esse oportet. Quo impunius dicax esset, dixit Mar. Tull. pro Qu. Quintio. Nullas pœnas dedit eius facti. Pœnas pendit. Tum pendere pœnas Cecropidæ iußi. Irrogare mulctã dixit Cicero. Exemplum in illos editum. Persoluit, exoluit, luit, dependit. Nullum de eo sumtum supplicium. Ei facto nulla irrogata pœna. De tanto flagitio non est animaduersum. In omnes grauiter animaduersum. Exacta pœna. Opinor capite plectendum. Noxæ deditus est. Animaduersa flagitia, pro punita dixit Sueton. Nec in deditos grauius consultum, Quint. Curtius. In te cudetur hæc fabа. Vnus dependes pro omnibus. Tergo lues.

SVADENDI AVT CONSVlendi. Cap. CXLV.

ID ne estis autores mihi? Te autore suscepi negocium. Tuo impulsu feci. Te impulsore feci. Tuo suasu.

ſuaſu. Tuo inductu. Cic. Te ſuaſore. Te conſultore, Tuo conſilio. Abs te perſuaſus id feci. Tuo inſtinctu. Amorem in conſilium adhibuiſſe uideris. Tuo perſuaſu. Cicero, Te flagitatore ſuſcepi negocium. Tuo uerberatu, eodem ſenſu dixit Qu. Curtius.

PRVDENS. Cap. CXLVI.

PRudens fecit. Sciens fecit. De induſtria fecit. Studioſe fecit. Data opera. Dedita opera fecit. Deſtinato fecit, dixit Seneca. Studio fecit. Conſulto fecit. Conſilio fecit. Contrà, imprudens, neſciens fecit, per errorem, errore factum eſt. Per imprudentiam. Peccaui inconſultè. Ex induſtria, pro de induſtria, aliquoties dixit Quintil. Compoſito factum, ex compoſito, ex deſtinato, pro conſulto, apud Suetonium eſt in Caligula.

CAVSSAE. Cap. CXLVII.

PLurimis de cauſſis mihi tuæ literæ iucundæ fuerunt. Duas ob res hominem odi. Multis modis tua mihi iucunda fuit epiſtola. Duobus nominibus es mihi cariſſimus. Duplici nomine. Duplici de cauſſa tuis ſcriptis delector. Bis mihi iucunda fuit epiſtola tua. Multifariam me tuæ literæ delectarunt.

DIERVM NOTATIO. Cap. CXLVIII.

CAlendis Ianuarijs. Ad Calẽdas Ianuarij, id eſt, circiter eum diem. Sub idem tempus, pro circiter idem tempus aliquoties dixit Sueton. Statis temporibus. Stata uice, pro certis uicibus dixit Qu. Curtius. Calendarum die. Nonis Ianuarij. Ad Nonas.

Die Nonarum. Idibus Maijs. Ad Idus Maij. Iduum Nouembrium die. Pridie Calendas, aut Calẽdarum. Pridie Nonas Maias, Pridie Nonarum. Pridie Idus. Pridie Iduum Nouembrium. Postridie Calendas Ianuarias. Vel quarto Nonas Ianuarias. Postridie Nonas Ianuarij. Vel Octauo Idus Ianuarij. Postridie Idus Ianuarij. Vel Decimonono Calendas Februarij. Præterea decimo Calend. Februarias. Vel, ad decimum Calend. Februarij. Ad eundem modum de reliquis mensibus ac diebus dicendum.

DE NVMERALIBVS. Cap. CXLIX.

IN numeris illa uarietas est generalis, de addita aut omissa coniunctione. Annos natus quatuor et uiginti. Annos natus uiginti quatuor. Annos natus centum & uiginti, centum uiginti, uiginti supra centum. Deinde quòd duos numeros principali proximos, uel compositè uel incompositè efferre licet. Duodeuiginti pro octodecim. Vndeuiginti pro nouendecim. Duodetrigintà undetrigintà, ac deinceps consimiliter usque ad centum. Supra centum compositè per adiectiuum, aut incõpositè per aduerbium efferimus. Ducentos, bis centum. Trecentos, tercentum, atque eodem modo usque ad mille. Mille multiplicamus, uel substantiuè uel adiectiuè cum aduerbio, Mille nummum, Mille nummos. Bis mille nummos, Duo millia nummorum. Pergendúmque consimili ratione ad mille milia, aut milies mille. Nonnunquam eandem sententiam efferimus, & per cardinalia, quæ uocantur, & per ordinis numeralia. Annos

natus

natus uiginti. Annum egressus uigesimum. Annum excessit uigesimum. Annum agit primum & uigesimum. Biennium est quòd patriam nõ reuiserim. Tertius hic annus agitur, quòd patriam non reuisi, siue cum non reuisi. Dic quotus esse uelis, id est, quot coniuuas uelis. Hîc nõ ordo, sed simpliciter numerus significatur. Distributiuis pro simplicibus in carmine licet uti. Vbi uerò apponitur quippiam quod distributiõem explicet, liberum est uti uel distributiuis, uel cardinalibus. Quotannis duo talenta capit. Vel, Quotannis bina talenta capit. In singula capita mille nummum distribuit, uel millenos nummos. In diem uiuunt, qui uiuunt absque solicitudine futuri. M. Tull. Qui in horam uiuerent, hoc est, ex tempore. Indies idem ualet, quod in singulos dies. Liuius: Senescit in dies & mutatur in horas. Horatius in diẽ dixit pro quotidie. Ille potens sui lætúsque deget, cui licet in diem dixisse, uixi. Hîc annotandum quod in coniunctiõe numeri maioris & minoris pro uno aut primo licet ponere alterum. Cic. Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero & uigesimo die reddidit, id est, uigesimo primo. Idem pro Milõe: Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij, & opinor altera, id est, centesimus primus dies. Item Liuius: Anno trigesimo altero quàm condita Roma erat, id est, trigesimo primo. Quin & citra talem coniunctionem alterum frequenter pro secundo ponitur. Cicer. Vnum, alterum, tertium annum Saxa quiescebat. Similiter, unus & alter, pro unus & iterum unus. Vnus uel al-

ter, pro unus uel duo. Rursus in aduerbijs semel atque iterum, pro bis. Quoties aduerbio additur genitiuus, Sestertium, subaudiuntur, centies mille, Vt: Decies sestertium, id est, decies centum millia sestertiorum.

ADVERBIA TEMPORIS. Cap. CL.

TEmpus uix dum præteritum, per modò aduerbium significamus. Paulò longius per, dudum ac iamdudum. Hoc etiam longius, per nuper & pridem. Longißimum, per olim & quondã. Futuri temporis hi sunt ordines. Mox aderit. Iam ueniet. Protinus, continuo, ilico, extemplo, eueſtigio, tempus significant, & hæc continenter inſequens, ſed fere respõdent ad præteritum. Vt, Literis tuis lectis extemplo domum me contuli. Accepto hoc nuncio, eueſtigio me domum conieci. Olim reſpondet ad utrunque tempus præteritum & futurum. Olim floruerunt Græci. Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit. Proximus item ad utrunque tempus refertur. Proximo anno ſtrenuè ſe geßit. In proximum annũ ſummas copias parat. Proximis his diebus. Proximo mẽſe. Proximo partu. Proximo bello. Nouißimus pro eo quod eſt nuperrimus, præteritũ duntaxat reſpicit. Superiore anno. Superiore mẽſe. Superiore bello. Superioribus diebus, dicimus de re nuper, aut proximè acta. Item paucis his diebus. Quinque diebus, pro intra, ſiue poſt quinque dies dixit Horat. Itidem Saluſt. Paucis diebus in Africam proficiſcitur. Et ante pauculos dies, Paucis poſt diebus, Poſt pau-

paucos dies. Aliquãto antè. Aliquanto pòſt. Paulò, multò antè & pòſt. Dein, deinde, deinceps, exinde. Sub hæc utriuſq; temporis rationem obtinet, id eſt, paulo antè, aut paulo pòſt. T. Liuius: Secundũ orationem prætoris murmur ortum. Idem, Secundum hæc ſilentium fuit, id eſt, poſt hæc. Certi temporis ſignificationem hæc habent: Hodie, heri, nudiuſtertius, nudiuſquartus. Quinto, ſexto, ſeptimo, octauo ab hinc die, hodie, cras, perendie, perendino die. Quarto ab hinc die, quinto, ſexto &c. Porrò uerbum additum, temporis diſcrimen facit, Septimo ab hinc die mecum cœnabat. Septimo abhinc die iſtic me uidebis. M. Tull. Attico, Me ab hinc annis amplius XXV. ſpoſpondiſſe dicit. Idem: Quo tempore? Ab hinc annis quindecim. Durior fit hæc loquendi forma, per accuſandi caſum, præſertim quum non ſignificatur ſpacium temporis, actionis continuæ. Quod genus eſt illud Terentianum: Ab hinc triennium ex Andro commigrauit huc uiciniæ. Neque enim triennium conſumſit in migrando, ſed triennium interceſſerat inter relictam Andrum, & aditas Athenas. M. Tul. Quæſtor C. Papyrio conſule fuiſti ab hinc annos quatuordecim. Horatius: Scriptor ab hinc annos qui centum decidit. Mollius illud Ciceronis in Verrem: Horum pater ab hinc duos & uiginti annos mortuus eſt. Nam mortuum eſſe perpetuum eſt. Hæc & aliter efferimus. Septimus hic dies eſt, quòd mecum cœnauit. Annus eſt, quod nullas à te literas accepi. Multum temporis eſt, quod nos non ui

sis. Diu est quòd nos non uisis. Seculum exisse mihi ui detur, ex quo nullas abs te literas accipio. Iamdudum ætatem pro iam admodum diu per hyperbolen dixit Terentius. Quidam uice τοῦ quod, ponũt cum. Plautus: Iam biennium est, cum ille mecum esse cœpit. M. Tullius: Multi anni sunt, cum ille in ære meo est, idẽ Vigesimus annus est, quum omnes scelerati me petunt. Reperiuntur apud Ciceronem aliósque ueteres & hæ loquendi formæ. Cato: postridie aut post diem tertium quàm lecta erit, id est, altero tertióue die post lectum. Idem: Post annum tertium quàm seueris incendito. M. Tullius. Postero die quàm illa erant acta. Cicero filius, Aliquando uenerunt post diem quadragesimum & sextum, quàm à nobis discesserant. Asconius Pedianus, Post annum quàm pro Cornelio dixerat. Scæuola in Pandectis, Post annos complures quàm fecit testamentum. Eadem est ratio de aduerbio, siue præpositione Ante. Asconius Pædianus, Ante sedecim annos quàm hæc dicta sunt. Mollius est hoc sermonis genus, eo quòd post & ante, uim obtinent conparatiui, quemadmodum secus, cõtra, aliter. Sine his autem durior est oratio, quàm tamen crebro reperias apud Tit. Liuium. Lilibeum tertio die, quàm profectus inde erat, redijt. Item, Die uigesimo quàm creatus erat, dictatura se abdicauit. Id ætatis erat, ut turpe sibi duceret discere. Non pudet te istuc ætatis lasciuire. Hoc ætatis cum sim, nõ admodum timeo mortem. Pleranque noctem studet. Salust. Crebris ignibus factis plerunque noctis bar-

bari

bari suo more lætari, id est, magnam noctis partem.

ANNVMERANDI. Cap. CLI.

IN deos relatus, in numerum deorum relatus est. Horat. Inter quos referendus erit. Adscribe me in numerum tuorum, adscribe me tuis amicis. Adscribito me inter amicos tuos. Veteribus annumerãdus. Inter summos annumerandus. Inter primos censendus, ponendus, collocandus. Recipe me in tuum gregem. Multos obscuros legit in senatũ. Cur hunc hominem asciuistis in uestrum contubernium? Cooptatus in collegium augurum, Ascitus, Additus ordini senatorio. Accersitus seu ascitus in militum numerum. Suetonius: Vt ciuitate donatum, in decurias ad legeret. Abde hunc amicorum tuorum catalogo.

INITII AC FINIS. Cap. CLII.

IN ipsis uitæ primordijs. In ipsis uitæ rudimentis. In primis literarum elementis. In capite tuarũ literarum. In prima statim fronte. In ipso uitæ limine. In ipso quasi uestibulo uitæ. Ab ipsa statim linea. Ab ipso carcere. In exortu. In exordio uitæ. Ab ineunte ætate. Lubricum tempus ineuntis adolescentiæ. Ineunte uere mox cum hirundinibus aduolabo. Exacta ætate nupturit, prouecta ætate, uergente ætate, affecta ætate, effœta, decrepita ætate, ingrauescente ætate, inclinata & præcipitata siue præcipiti ætate. Piget hoc ætatis depugnare. Tacitus: Ad serum usque diem. Liuius: Præcipiti iam die. Tacitus: Flexo in uesperam die. Liuius: Primis tenebris mouit. Idem Prima uespera, primo diluculo, primo crepusculo.

Item Tacitus: Aestate iam adulta. Liuius, Adulto autumno. Idem, Adulta nocte. Idem, In exitu iam annus erat. Cicero, Quinto anno exeunte. Decurso uitæ spacio, Cygneam uocem pro suprema dixit M. Tul. de Orat. lib. 3. In principio. In initio operis. In calce tuarum literarum, In extremis tuis literis, In postrema parte tuarum literarum, Nunc ad metam festinat oratio, In extremo uitæ actu, In portu impingere. In porta canterio. Ne in apijs quidem, In ipso operis ingressu, In ipso statim operis frontispitio, In ipsis uitæ foribus, Vitæ ianua. Fauces inferorum. In Philosophiam nondum intulit pedem, nondum fecit uestigium, ita M. Tul. ordiri telam, prætexere. Fundamenta iacere, Auspicari, Inijt consulatum. Ineunte uere. Liuius, Hoc ultimum utrinque initum finitúmque est prælium. M. Tull. Vellem à principio te audisse. Idem, Tuas epistolas à primo lego. Idem, Vtinam à primo tibi esset uisum. Hoc ab initio fuit. Vtinam initio adfuisses. Naso, Principio quod amare uelis reperire labora. Horatius, Ad extremum ridendus. M. Tull. Consuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Habes operis primam manum. Oratorem tibi deliniaui. Adumbratum accipies oratorem non expressum, Inchoatum non absolutũ. Cicero informatum dixit, quod inchoatum est, & cuius rude quoddam simulacrum cœptum est. Ductum à statuarijs & pictoribus. Exitus acta probat. Ordimur hîc ferratam fabulã, quæ sit futura Catastrophe nescio, Coronidem addere, Colophonem imponere, Supremam manum addere.

Maior

MAIOR OPINIONE. Cap. CLIII.

Maiora fide. Maiora quàm ut uera credi queant, Minor opinione doctrina. Minor doctrina quam pro hominum opinione. Citius spe aderat. Celerius expectatiõe redibat. Citius ac sperabatur. Ante expectatum redibat. Par famæ doctrina. Non minor doctrina quàm fama celebratur. Supra fidem omnia, id est, maiora fide. Maiora ueris renunciabant. Minora, Inferiora ueris prædicabant, Infra uerum erant quæ nunciabat. Minor consulari dignitate cognitio. Minus est, quàm ut à consule cognoscatur. Maior consulis dignitas, quàm ut hanc causſam cognoscat. Tua uirtus maior est omni præconio. Vincit omnem laudem tua uirtus.

CONTINGENDI Cap. CLIIII.

HOccine tantum malum mihi de repente obiectum esſe? Ingens huic uenit siue obuenit hæreditas. Obtigit uxor qualem uolebam. Non cuiuis homini contingit adire Corinthum. Nactus es uxorem te dignam. Felicißimum ingenium sortitus es. Similes habent labra lactucas. Habet quod amet. Is nunc reperit. Merito nobis accidit ut mali uideãur, dum nimium studemus nos uideri bonos. Non omnibus datum, ut impunè, quæ lubeat, dicant. Non quibuslibet licet que libeat facere. Mihi usu uenit, siue usus uenit, ut cum intractabili monstro conflictarer.

REFVGIENDI. Cap. CLV.

REfugit consuetudinem fœminarum. Alienus est à studijs. Abhorret à literis. Abhorret o-

ſten-

ſtentum pro exhorret, dixit Suetonius. Execratur, deteſtatur, abominatur literas. Ad ſtudiorum mentionem nauſeat. Horret mortem. Exhorret mare. Auerſatur omnes. Auertitur miſeros. Ad Poëtices mentionem nauſeat, uomiturit. Deprecatur publica munia. Grauatur ſplendidos menſæ apparatus, id eſt, moleſtè fert. Sic Suetonius & Horatius. Equidē grauatus Bellerophontem.

OFFICIORVM VOCABVLA. Cap. CLVI.

ERat illi à pedibus. Aberat qui mihi eſt à manibus, Nam tum aberat meus amanuenſis. Qui regi ſunt à corpore, à ſecretis, à ſacris ſcrinijs. Rationales qui ſunt à rationibus, à libellis, ab actis, ſiue actuarij. Laterones, anteambulones, à cyathis, à poculis pocillator. Nomenclator, à conſilijs & conſiliarius, apud Suetonium.

STVDII. Cap. CLVII.

TOtus eſt in literis. Vacat congerendis opibus. Dat operam rei numariæ. Attendit huic negocio. Attendit iuri, pro ſtuduit. Suetonius: Intentus eſt, uel intendit lucris. Inhiat gloriæ. Appulit animum ad ſcribendum. Adiecit animum ad uirginem. Accommoda te rebus præſentibus. Applica animum tuum ad uxoris ingeniū. Dedidit ſe Mammonæ. Dedicaui me Chriſto. Dica te totum optimis literis. Dedit ſe ad leges. Cicero: Seruos ad remum dedit. Suetonius, Idem, Ad terram dedit, pro deiecit. Inſeruit honori. Incumbite honeſtis diſciplinis, incumbite in hone-

honestas disciplinas. Deuotus harenæ, pro addictus dixit Sueton. Idem, Deuotus uobis, pro addictus ac deditus. Adduxit animum ad ea, quæ ratio temporum postulabat. Vt animum ad aliquod studium adiungant.

VITANDI. Cap. CLVIII.

CORrumpunt bonos mores colloquia mala. Inficiunt, uitiant primam ætatem stultæ nutrices. Aurum plumbo adulterant. Gemmæ adulterinæ. Deprauant bonam caussam mali Rhetores. Deterunt laudem ducis indocti Poëtæ. Malus uicinus scabiem suam affricat uicino. Vas insyncerum afficit infusum liquorem. Obtrusit mihi subæratos nummos pro aureis. Vereor ne quid ueneni tuis afflet, ne quid pestis instillet in tenerum animum, ne quod syncerum est, trahat in uitium. Ne tibi morbum inhalet suum. Ne suum uirus insibilet. Ne quid inspiret mali. Puerilem animum impijs opinionibus imbuit. Malitiam unam cum lacte nutricis imbibit, suxit, hausit. Frequentes offensæ reddunt suppuratam amicitiã. Gloriam tuam dedecore contaminasti, inquinasti, conspurcasti, fœdasti, obscurasti, deturpasti, offuscasti, denigrasti. Inussit tibi notã ignominiæ. Venerare Poëticum est, epotionare apud Suetonium.

SOLITVDINIS. Cap. CLIX.

SEcum uiuit. Secum loquitur. Solus est. Solitarius est. Incomitatus incedit. Solus ambulat. In locis solis ambulare tutum non est. Agit in solitudine. Ne musca quidem adest. Secretum agere, pro solũ esse dixit

dixit Sueton. Foris se uenditant, cum apud se sunt, nihil illis sordidius. Vix asse emeris, si totum hominem per se æstimes.

SENSVS. Cap. CLX.

ORatio tua sapit tyrannidem. Resipit stultitiam. Olet hircum. Redolet uinum. Vox tua sonat asinum. Rusticus obolet allium. Vineta crepat mera. Scripta tua spirant Italum. Tinnit aurum. Fragras unguentum. Ad hanc formam pertinent. Toruum tueri. Titanicũ obtueri, quæ figura mollior est apud Græcos, μανικὸν βλέπειν.

PRAESTANDI RE. Cap. CLXI.

FAc promissa appareant. Exhibe quod toties polliceris. Talem & se & exercitum approbauit, ut nulli præmia maiora perceperint, apud Sueton. utrunque. Si fortuna obstabit, quo minus præstem quod recepi, certe hunc animum tibi probabo. Promittis ampliſsima, das nihil. Si munificus uideri uis, repræsenta beneficium. Ita Seneca & Suetonius.

POENITENDI. Cap. CLXII.

NOndum huius animi me pœnitet. Me quantum hîc operis fiat pœnitet, pro non satisfacit. Capit me priſtinæ benignitatis pœnitudo. pœnitentia ductus, pœnitentia tactus. Agere pœnitentiam, pro pœnitere, est apud Plinium Iuniorem. Rursus eius pœnitentiæ pœnitentiam ago, id est, pœnitet, quod pœnituerit. Refertur autem & ad rem & ad personam. Nec te pœniteat istius patris. Initi matrimonij me pœnitet.

Disidij.

DISSIDII. Cap. CLXIII.

Male sarta gratia nequicquam coit & rescindi tur. Interrupta familiaritas. Mala lingua diri mit multorũ amicitias. Orta est inter illos simultas. Refrixit beneuolentia. Amor uersus in odiũ. Discordant. Interceßit offensæ nescio quid, offensam pro discordia aliquoties usurpat Salust. Dissuenda est amicitia, non abrumpenda. Dißilijt gratia fratrum. Parum inter eos conuenit. Miror non bene conuenire uobis. Vtrique cum altero conuenit. Cõcordant. Concordes sumus. Oratio tua cum factis non consentit. Summo omnium consensu. Magna inter molles concordia. Nulla inter nos discordia. Dißident inter sese. Obortum est inter illos subitum dißidium. Digressa est à marito, Sueton. Diuertit ab illo. Diuortium facit cum illo. Repudiauit uxorem. Dimisit matrimonio, id est, repudiauit. Dimisit matrimoniũ, pro rescidit. Renunciauit illi amicitiã, pro eo quod est, denunciauit illi inimicitiam. Dissedit cum uxore, id est, dißidium habuit. Missam fecit uxorem, pro repudiauit dixit Suetonius. Serere dißidia. Est illi offensior, pro subiratus. Suetonius, Est mihi cum illis, ἄσπονδον καὶ πόλεμον.

RECONCILIANDI. Cap. CLXIIII.

Sarcire, resarcire gratiam. Reducere, reponere, restituere in gratiam. Redigam uos in gratiam. Reconcinnare pristinam amicitiam. Recollige mihi illius animum. Fac ut mecum redeat in gratiam. Instaura pristinam inter nos beneuolentiam. Cic. In

gra-

gratiam iam cum uoluptate redeamus. Idem: Pompeius *à me ualde contendit de reditu in gratiam, sed adhuc nihil profecit. Saluſt. Sicuti regi libuerat pax conuenit.*

SAPIT AVT CONTRA. Cap. CLXV.

POl homo tu non es ſobrius. *Inſanit, delirat, deſipit. Veſanire dixit Catullus. non eſt integræ mentis. Non eſt compos mentis. Non conſtat animo. Laborat errore mentis. Motæ uel commotæ mentis eſt. Mente lapſi, dixit Sueton. Defectus animo. Mente excidit. Valet animo. Laborat ab animo. Sophocles reus actus eſt dementiæ. Deſtituit illũ uis animi.*

EXCIPIENDI SIVE EXCLVdendi. Cap. CLXVI.

NVllus iſtuc auderet, niſi tu ſolus. *Nemo præter unum te. Nemo præterquam tu ſolus. Nullus aderat extra unam aniculam. Fortunatus ſum cæteris in rebus abſque una hac. M. Tull. Extra ducem, paucóſque præterea. Extra prædam, id eſt, præter prædam. Hæc forma eſt aliquoties apud Ciceronem ex imitatione Græcorum. Extra iocum, extra cauſſam, non omnino conſimilis ſunt formæ. Omnium facundiſſimus, excepto Cicerone. Omnibus niſi uno Ciceronе facundior. Omnium doctiſſimus, ſi unum aut alterum excipias. Nemini cedit, uno te excepto. Interdum abſq; nomine. Horat. Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus. Iureconſulti interdum recipere uſurpant pro excipere. Recepit ſarta tecta. Vni tibi permitto præterea nemini. Tibi quiduis apud me licet.*

cet. Alioqui non ferrem, aliâs non ferrem, aliter non ferrem, quod postremum est apud Mar. Tull. in officijs. Super, pro præter frequenter est apud Sueton. quanquam hoc non tam excludentis est, quàm semouentis à cæteris. Super ueteres amicos ac familiares, id est, ultra. Politianus, Secundum te primas tenet, id est, te excepto.

VT VIS AVT CONTRA. Cap. CLXVII.

VXorem nactus sum ex animi mei sententia. Vxor mihi contigit qualem uolebam. Hic uenatus male respondit uotis nostris. Non succesßit pro uotis nauigatio. Nihil accidit non præter animi sententiam. Omnia secus quàm uolebam. Omnia contrà quàm uolebam. Fortuna nõ respondet optatis meis. Fac ut lubet, fac pro tuo arbitrio, uiue tuo arbitratu. Nihil faciam nisi de consilij sententia. Faciam ut uoles, faciam pro tua uoluntate omnia.

COMPERTA. Cap. CLXVIII.

HOmo spectatæ probitatis. Vir probatißimæ fidei. Animum in me tuum habeo multis iam argumentis exploratißimum. Compertum, perspectũ, exploratum habeo quanti me facias. Delectus est, ut industriæ uir. Expertæ, pro spectatæ, dixit Suetonius. Periclitatos mores, pro spectatos, dixit M. Tul Comperta mihi est hominis perfidia. Deprehensa est astutia. Re compertũ est. Pro certo, pro comperto dicis. Certum non habeo. Cum certum sciero, scribam ad te.

COPIA. Cap. CLXIX.

ABundat opibus. Exuberat, redundat, exũdat, superfluit, & superfluens, apud Senecam est. Est apud illos ingens aquarum & graminis copia. Copias pro diuitijs dixit M. Tull. & Suetonius. Multum, plurimum, satis uini. Abunde potentiæ gloriæque dixit Sueton. Nimium licentiæ. Nimis insidiarũ, pro plus satis dixit Cicero. Affatim uini, pro multum uini. Liuius: Nec cui maior quàm quinquaginta iugerum agri modus esset. Horatius. Hoc erat in uotis, modus agri non ita magnus. M. Tullius: Frumenti in summa caritate maximum numerum miserã. Idem in Philip. Maximus uini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti. Hircius: Magno inuento numero hordei, olei, uini, fici, pauco tritici. Immensa pecuniarum uis reperta est. Salustius: Quibus mala abundè omnia erant. Rursus: Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur. Idem, Inopem & coopertum miserijs effecit. Idem, Hæc talia facinora impunè suscepisse parum habuere, id est, nõ satis erat. Item, Satis habebatis animam retinere.

INDICTA CAVSSA. Cap. CLXX.

INdicta caussa coniecit seruos in uincula. Cicero: Quosdam inauditos condemnauit. Sueton. Inauditum capite puniebat. Citra caussæ cognitionem damnatus est, quod Iureconsulti uocant ἐξηκοστίκιον.

PROSPERITATIS AVT contra. Cap. CLXXI.

Pro-

PROSPERA ualetudine. Incolumi ualetudine, incolumi fama. Secundiore fama fuit, id est, minus laborauit infamia. Secundo uento, secundo æstu, secundo amne siue flumine. Secundo rumore dixit Tacitus. Idem aduerso rumore dixit, pro siniſtro. Idem dixit, secundis numinibus, pro fauentibus dijs. Idem, Secunda tempestate ac fama. Item, secundante uento, Hinc & Liuius, secunda prælia dixerunt, pro feliciter gestis. Et Iunone secunda, Virgil. Dextro Hercule. Secundam existimationem collegit Suetonius, pro eo quod est, bonam opinionem. Si quem numina læua sinunt. Hîc tibi si aliàs unquam mens læua fuit. Reflante fortuna, nihil ages, Cicero. Rebus aduersis, Rebus afflictis. Rebus triſtibus erigendus est animus. Mar. Tull. Cecidit belle. Ita cecidit ut uolebam. Hoc cecidit opportune. Valde optanti utrique nostrum cecidit. Hoc adhuc percommodè cadit. Malè cecidit. Hac non succeſsit, Terentius.

ANTIQVITATIS. Cap. CLXXII.

AB orbe condito non extitit homo sceleratior. Duo post homines natos teterrimma capita Dolabella & Antonius, Consules post hominum memoriam teterrimi atque turpiſsimi. Post homines natos. Noſtra ætate factum dicimus, quod nobis uiuis accidit. Noſtra memoria, quod à maioribus uiſum, ab illis audire potuimus. Patrum memoria utroque est antiquius, uidelicet quod ſubatauis ac tritauis geſtū est. Ex omni memoria Marcus Tull. dixit, pro Publ. Sextio. Itidē pro L. Cornelio Balbo dixit, Superiore me-

re memoria, pro superioribus seculis. Post orbem conditum. Post urbem conditam dixit M. Tul.

TOTVM. Cap. CLXXIII.

A Capite usque ad calcem. A summo capillo usq; ad imum pedis. Debes in solidum. Reddes ad assem dixit Plinius Iunior. Quod ijs ad denarium solueretur, dixit Cicero pro Publ. Quintio. Bona fide reddidit depositum, uel cum puluisculo. Cum tota erugine dixit Iuuenalis. Quantus quantus est, nihil nisi somnium est. Hyemem inter se quàm longa est, id est, totam hyemem dixit Virgilius.

PERSPICVITATIS. Cap. CLXXIIII.

Dilucide expediui quibus oportuit. Vel cæco perspicuum est. Explanatius dicam. Dicam craßiore Minerua. Enodatius explicare. M. Tull. de fin. Ibidem, Enucleate pro explanate dicta. Dic exerte, uelis an nolis. Candidus sermo pro dilucido, Græci λδυκόν λογόν appellant apertum ac perspicuum, & λδυκότερον λέγειν pro apertius dicere. Sole meridiano clarius. Significauit uerius quàm expreßit. Lex hoc expresse uetuit. Declara mentem tuam. Planum facere pro declarare, frequenter est apud Cicer. Oculis subijcere. Ob oculos ponere. Solidum est, pro perspicuum est dixit M. Tull. in Verrem, actione prima. Ad enim illud solidum est, ut me Siculi maxime uelint, alterum illud credo. Obscurũ est, & luce clarius. Tuba clarius apud Græcos.

NOBILITATIS ET CONTRA. Cap. CLXXV.

Vir

VIR apprime nobilis. Minime obscuris natalibus. Homo minime nouus. Homo cum primis illustris, Vir clarissimus. Vir antiquæ nobilitatis, Vir honesto apud suos loco natus. Summo loco natus. Domi splendidus. Maiorum imaginibus clarus. Ex illustri stirpe progenitus. Auitis stemmatibus clarus. Homo domi nobilis, pro eo qui è claris prognatus esset, frequenter est apud Ciceronem, & Salust. Homo domi suæ cum primis locuples atq; honestus. Hominem ueteris prosapiæ ac multarum imaginum dixit Salust. Cicero, Philargus in amplissima ciuitate amplissimo loco natus. Liuius, Adolescentes nec tenui loco orti. Plinius, Fœmina splendide nata. Obscurus. Liuius, Homo loco obscuro tenuique ortus fortuna. Humili loco, infimo loco natus. Homo nouus. Salustius M. Tullium repertitium appellat, quod obscuris esset maioribus. Vir equestri loco, Vir senatorij generis. Vicanũ pro ignobili dixit Cicero. Horatius ignotos homines dixit pro ignobilibus.

VIOLENTIAE. Cap. CLXXVI.

VIX à manibus temperatum est. Res ad uim & arma spectabat. A uerbis uentum est ad uerbera. Rixa in pugnam uersa est. Vi geritur res. Ferro non rationibus decertabatur. In manibus ius erat. Ad saga properatum est, frequẽs est apud Ciceronem. Sagum enim uestis est militaris, quemadmodum toga pacis. Collo obtorto reduxit hominem

VRVMORIS. Cap. CLXXVII.

VIgo fertur. Diu fuit populi fabula. Rumore

uulgatum est. Constans rumor est. Fama passim ia-
ctatum est. In ore est omni populo. Erat in sermone
res, dixit Cicero, pro eo quod est, Rumor erat. Vox
erat una totius prouinciæ. In ore et sermone omniũ
M. Tullius. Male audire dicuntur, de quibus malus
est rumor. Contrà bene, de quibus bonus.

EXEMPLI. Cap. CLXXVIII.

MAiorum suorum uestigijs ingreditur. Vetus in-
stitutum reuocauit. A prisca Reipublicæ con-
suetudine nõ receßit. Cæsar. Agere ad præscriptũ.
Vetus exemplum est, siue ueteris exempli res est, fal
lere amicum. More hominum fecit, sibi quàm amico
maluit consulere. Nouo more pro nullo maiorum ex
emplo frequens est apud Ciceronem. Exemplum sub
ijcimus his fermè modis, perut, & uelut. Simile gau-
det simili, ut sus sue, uelut puer puero. Quod genus,
pro eo quod Græci dicunt οἷον. Verbi caussa, uerbi
gratia. Exempli caussa apud M. Tull.

INTERNECIONIS. Cap. CLXXIX.

FVnditus perijt. Radicitus extinctus est. Cupidi-
tas radicitus extrahenda est. A stirpe subuersa
est Respub. A stirpe interijt dixit Salustius. Pristi-
næ disciplinæ ne uestigium quidem ullum supereſt,
Græci panolethriam uocant. Extirpare & funditus
tolli, dixit Marcus Tullius de Fato.

ATROX. Cap. CLXXX.

ATrox iniuria. Indignum facinus. Infandum a-
pud poëtas. Nepharium scelus. Grauis contu-
melia. Non ferenda superbia. Intolerandam ferociã
dixit

dixit M. Tull. contra Rullum. Factum non una cruce dignum. Facinus culeo dignum. Noxa capitalis. Crimen inexpiabile. Piaculare facinus.

RIGORIS. Cap. CLXXXI.

ADuiuum exigere. Summo iure mecum agitur. Rigidè, seuerè, præcisè, quod Græci dicunt ἀκριβῶς mecum agitis. Inique, duris conditionibus aut legibus mecum agitur. Etiam si mecum agas obsignatis tabulis. Pergitis ne uos tanquam ex syngrapha agere cum populo? dixit Mar. Tull. pro L. Murena. Ibidem dixit, austerè & Stoicè agere. Itidem dici potest Scythicè agere, qui agit inciuilius.

ASCRIBENDI ET IMPVTANDI. Cap. CLXXXII.

ASSignamus, adscribimus, attribuimus frequenter in malam partem, nonnunquam & in bonam. M. Tull. ad Atticum, Si perturbatior est, tibi assignato. Idem in Bruto, Hæc si minus apta uidentur huic sermoni Brute, Attico assignato. Liui. Flens petijt, ne unius amentiam ciuitati assignaret. M. Tullius in Bruto, Peto à te, ut id non modo negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidē tribuas. Idem, Omnes id Verri tunc attribuebant. Item, Vt alijs caussam calamitatis atribueret. Si quid mali acciderit, tuæ socordiæ imputato. Quòd uiuo, tuæ clementiæ acceptum fero, siue acceptum refero, hoc est, debere me fateor. Scæuola in Pandectis, Creditores suæ negligentiæ expensum ferre debent. Hactenus in malam partem. Si quid feliciter euenit, non fortunæ, sed deo

assribendum est, assignandum est, tribuendum est, attribuendum est, acceptum ferre oportet, imputandum est. Hæc in bonam partem. His finitima sunt, uindico, assero, arrogo. Totius negocij laudem sibi uindicat, sibi arrogat, siue asserit, siue usurpat. Illa priora sunt sumta à codicillis rationum, in quibus notatur quid quis debeat, aut cui quid persoluendum sit. Hæc posteriora ab actione iuris, qua quis sibi ius personæ aut rei defendit legibus. Item illa: Totũ me tibi debeo. Quòd spiro & ualeo, tui muneris est. Si quid habeo, id totũ tuæ munificentiæ est. Si qd in me boni est, abs te uenit, abs te ꝑfectũ est, abs te fluxit.

ADDICTIONIS. Cap. CLXXXIII.

Gvlæ deditus, uoluptati addictus, hoc ab auctione translatum est. Ventris mancipium: seruit lucro. Horat. Inseruit honori. In hoc totus incumbit. Aßidet literis. Affixus est, poëticé. M. Tull. Et ad genus id quod quisque uestrum in dicendo probaret adhæresceret, hoc est, affigerent sese. Deuotus in bonam partem dixit Iuuenalis, Quòd nũ tibi deditus essem. Deuotúsque cliens, uxor tua uirgo maneret. Terent. Animum ad scribendum appulit. Idem: Vt animum ad aliquod studium adiungat. Idẽ, Adiecit animum ad uirginem. Dedit se ad leges, dixit M. Tull. Me totum meáque omnia tibi dico, dedico, consecróque.

FACVLTATIS. Cap. CLXXXIIII.

Terent. Tibi in manu est ne fiat. Saluſt. Verum id frustra an ob rem faciam in manu uestra est

Qui-

Quirites. Id in te situm est. Istud non est meæ facultatis. Virgil. Non opis est nostræ. Nos pro nostris opibus extruimus mœnia. Non est in potestate mea. In potestate, & in potestatem habere dixit Salust. Si in mea potestate esset. Filius nondum emancipatus in patris est potestate. Penes te ius est uitæ ac necis. Non est mearum uirium. Meis auspicijs, meis copijs, meo Marte confectum est hoc negocium. Salust. noue dixit, Quibus in ocio uel molliter, uel magnifice uiuere copia erat. Idem dixit, in manibus. Cic. pro mea parte adiuui, pro mea parte uirili, pro uiribus, pro mea uirili. Salust. pro parte uirili, absque pronomine. In hunc numerum conferri possunt & illa. Impetrauit commeatum. Facta est illi dicendi potestas Salust. Post ubi fide publica dicere iussus. Idem: Si fides publica data esset. Idē: Eúmque interposita publica fide Romam perduceret. Magnatibus quicquid libet, licet. Vtinam per fortunas liceret, pro tuis in me beneficijs gratiam reponere. Vtinam tam adesset facultas, q̄ adest promta uoluntas tibi gratificandi.

IVRANDI. Cap. CLXXXV.

PEr caput hoc iuro. Sanctè deierat. At sunt qui nihil uereantur conceptis uerbis peierare. In uerba iurabas mea. Horat. Non ego perfidum dixi sacramentum, id est, non iuraui mala fide. Sacramenta militaria. Non uerear uel Iouem lapidem iurare. Sic me deus bene amet. Sic mihi propitius sit Christus, ut ego te saluum cupio. M. Tull. Solicitat, ita uiuam, me tua mi Tiro ualetudo. Idem: Ne sim saluus, si

aliter scribo ac sentio. Idem: Ne uiuam, si scio. Idem: Moriar, si quisquam me tenet præter te. Idem: Malè mihi sit, si unquam quicquam tam enitar. Horat. Dispeream ni optimum erat. Abiuratas rapinas dixit Virgiliis. Salustius: Fidem prodiderat, creditum abiurauerat. Terent. Iusiurandum dabitur, Apud iureconsultos defert iusiurandum, qui parti aduersæ cedit iurandi facultatem. Refert, qui oblatum transfert in offerente. Huic citius credam iniurato, quam tibi iurato.

DICTANDI. Cap. CLXXXVI.

PRætor dictat iusiurandũ. Facile ero facundus, si tu dicenda dictaueris. Plautus, Præi uerbis quod uis, hoc est, præconcipe uerba, quibus me uelis uti. Liuius: Agedum pontifex, præi uerba, quibus me pro legionibus deuoueam. Idem, Id uotum in hæc uerba præeunte P. Licinio pontifice maximo, consul nuncupauit. Idem, pro præire dixit præfari. Sunt qui M. Fabio pontifice maximo præfante carmen, de uouisse se eos pro patria, Quiritibúsque Romanis tradant. Marc. Tull. Vt uobis uoce præirent, id est, uobis præscriberẽt, quid essetis pronũciaturi. Præscribere modum, præscribere finem. Cæsar, Non ad alienum præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare.

TEMPESTIVE. Cap. CLXXXVII.

OPportune aduenis. Fac adsis in tempore. Fac adsit tempori. Vigilet oportet qui tempori uult sua conficere negocia. In ipso articulo superuenit.

nit. M. Tull. Satis erat diei, ut puteolos excurrere posſem, & ad tempus redire. Idem, Aderis autem ad tempus. Matura reditum. Fac curentur iſta mature. Plautus, Per tempus hic uenit miles. Idem, Non potuiſti per tempus magis aduenire. Fac adeas hominẽ in tempore. Tempeſtiuis conuiuijs delectantur & philoſophi. Horatius, Tempeſtiua uiro. Tempeſtiuius iſta dixeris à cœna. Nihil ſuaue quod eſt intempeſtiuum. Intempeſta nox dicitur media, quod non ſit opportuna ad aliquid agendum. Commodum ſuperuenit Chremes. Incommodè me reuocauit ſenex. Suo quicque tempore agendum eſt. Horat. Pleraque differat, & in præſens tempus omittat, id eſt, in ſuum, & congruum tempus. Siquidem hæc dictio præſens ad omne tempus pertinet. Laudatus eſt ab Auguſto Cato, quod præſentem Reipublicæ ſtatum noluerit immutari, hoc eſt, eum ſtatum qui erat uiuo Catone.

ANTE TEMPVS Cap. CLXXXVIII.

Virgilius: Sed cadat ante diem. Præmatura morte extinctus eſt. Ante tempus ſapit. Perſius, Et rerum prudentia uelox Ante pilos uenit. Præpropere duxit uxorem. Nondum matura nuptijs elocata eſt. Liuius, Abi hinc cum tuo præpropero amore. Illud præcox ingeniorum genus non temere peruenit ad frugem. Præcocia ſiue præcoqua mala pluris emuntur. Accelerata conſilia raro ſunt felicia. Feſtinata conſilia raro proſpere cadunt. Præcipitata conſilia uix unquam felicem exitum ſortiuntur. Ouid. Et adhuc tua meſſis in herba eſt. Poſt

POST TEMPVS. Cap. CLXXXIX.

SEro sapiunt Phryges. Sera est nũc consultatio. Serum est mortuo adhibere medicinam. Nulla ætas ad discendum sera est. Sera est in fundo parsimonia. Aduenit, sed post tempus. Seram rosam pro Serotina dixit Horatius: Serotini fructus sunt, qui post tempus solitum proueniunt. Post festum, ut aiunt, aduenitis.

CELERITATIS. Cap, CXC.

MOx te reuisam. Breui te reuisam. Propediem te reuisam. Primo quoque tempore conueniã hominem. Puncto temporis fortuna uersa est. Momento temporis corruunt omnia. Virgil. Extemplo Aeneæ soluuntur frigore membra. Salust. De improuiso. Virgil. Ante expectatum. Dicto citius tumida æquora placat. Simul cum dicto manus adfert homini. Actutum se domum contulerunt. Hæc loquutus, è uestigio se domum recepit. Protinus, ilico, continuo, statim. In ipso statim uitæ limine extinctus est. Confestim se in pedes coniecit. Simul atque hæc dixerat, repente abijt. Simul ut accepit nummos, aufugit. Martial. Vixdum dictum erat, illa dedit, quàm maturißime siue maturrime, pro quã primum, quàm ocyßime dixit Salust. Tacitus, Inciſis uenis mortem approperat, id est, accelerat. Nec mora, manum iniicit homini. Omnium opinione celerius rediſti. Omnium expectationem celeritate uiciſti. Huc fac quã primum recurras. Volaſſe dices. Vbi me his negocijs extricaro, nihil cunctatus ad uos aduolabo.

Ad

Ad hanc formam redigi possunt anticipandi uerba, quorum aliquot alibi recensuimus. Prævenire, anteuertere, prævertere, siue prævertí. Terentius, Hæc dies illi anteceßit. Occupare. Horat. Quum assectaretur nunquiduis, occupo, Idem: Foriter occupa portum. Anteuenire. Salustius: Sed ea omnia luxu antecapere, id est, prævenìebat famam & sitim. Idē: Ac priusquam legiones scriberentur multa antecapere, quæ in bello usui forent. Idem: Consul optimum factu ratus noctem quæ instabat antecapere. Maturandi uerbum frequenter habet celeritatis significationem. Virg. Maturate fugam. Salust. Nisi maturasset pro curia signum socijs dare. Terent. At matura. Maturitas & maturus non itidem usurpantur.

SPACIVM LOCI EXIGVVM. Cap. CXCI.

Plautus: Si ex isto loco digitum transuersum aut unguem latum exceßeris. Pedem ubi ponat non habet Palmumnon habet. Pollicem latum agri non habet. Caue digitum latum ab hoc discesseris loco. Pedem latum nunquam à tuis præscriptis digrediar. Culmum latum nunquam recedit ab Epicuro. Pilum latum non recedit à pristinis moribus.

SPACIVM MAGNVM LOCI AVT temporis. Cap. CXCII.

Plautus: Longe usque à campis ultimis. Cicero, Vsque à mari supero, Romam proficiscì. Ter. Ex AEthiopia est usque hæc. Vsque à pedibus ad summum capillum. Plautus: Vsque ex unguiculis,

Quod

Quòd augures omnes usque à Romulo decreuerunt Salust. Omnia qua uisus erat cõstrata telis, armis, cadaueribus. Qua uisus erat, dixit pro eo quod erat, quàm procul undique patebat prospectus. Virg. Vsque à proauis uetus ordinis ætas.

METVENDI Cap. CXCIII.

METuo ne quod uis non liceat per patrem. Timeo ne mihi succẽseat. Nullus metus est, ne tibi quisquam det uerba. Nihil periculi est, ne regno excutiaris. Terent. Metuo ut substet hospes, id est, ne non substet. Idẽ, Firmæ uereor ut hæ sint nuptiæ. Horat. O puer ut sis uitialis metuo. M. Tull. Omnes labores te excipere uideo, timeo ut sustineas. Idem, Accepi à te literas quibus uereri uideris, ut epistolas illas acceperim. Solicitus sum, ut tantum laborem poßis sustinere.

APTITVDIDIS ET CONTRA. Cap. CXCIIII.

ELoquentiæ caput est, aptè dicere. Neque enim diserté dicitur, quod ineptè dicitur. Nihil ad eam rem dici potuit accommodatius. Delige uxorem tuis accommodam moribus. Splendidè dixit magis quàm appositè. Nihil adferri poterat appositius. Elegans iocus, sed parum in loco dictus. Tua institutio non quadrat ad huius ingenium. Mulieri mulier magis conuenit, magis congruit. Hic militiæ natus est. Hic ad huius mores factus scalptúsque est. Magnifica loqueris, sed nihil ad Bachum, ut aiunt, sed ἀπροσδιόνυσα sed οὐδὲν πρὸς ἔπος. Ista sarcina

non

non ſedet humeris tuis. Hæc inter ſe non cohærent. Iſtuc ingenioſe interſeruiſti, uerius quàm concinnè. Non ſibi conſtat tua oratio. Non conſonat uita doctrinæ. Non concordant facta cum dictis. Multa dixit extra cauſſam, nihil ad rem pertinentia. Quid cæ cum balneo? Iſtuc præclarè quidem dictum, ſed alieno loco. Alieno tempore ſementem facis. Terent. Alieniore ætate pòſt faceret tamẽ. Ne boui clitellas. Feli crocoton addidiſti. In lente unguentum. Non facit ad luctum cithara.

MORIENDI. Cap. CXCV.

Mortem obijt. Vita defunctus eſt. Vixit. In uiuis eſſe deſijt. Exceßit è uiuis. Exceßit abſolutè, ut deceßit. Satius eſt miles mortem oppetere, quã turpitudinem admittere. Cic. Mihi ipſi fuit mors æquo animo oppetenda. Obijt ſupremum uitæ diem. Diem obijt. Cicer. Obijt. Vitam morte commutauit. Conceßit in fata, conceßit uita, frequens apud Tacitum. Mortalitatem expleuit, apud eundem. Item, Supremum diem expleuit. Animam reddidit. Spiritum finiebat. Spirare deſijt. Liuius & Cicero, Efflauit animam. Cic. Cuius in complexu libenter extremum uitæ ſpiritum ediderim. Expirauit. Cic. Antequam ex hac uita migro, emigro, demigro. Idem, Exire de uita. Terent. E medio exceßit. E mori malim. E uita diſceßit media. Tacitus, Mortem occubuit. Et occubuit abſolutè. Sueton. dixit, Voluntariam occubuit necem. Virgilius, Seu certæ occumbere morti. Viuis exemtus eſt. Inter uiuos agere deſijt. Agere animam dici-

dicitur, qui iam moritur. Deo naturæque conceßit. Saluſt. Vbi anima naturæ ceßit demtis obtrectatoribus ipſa ſe uirtus magis magíſque extollit. Idem: Pater uti neceſſe erat naturæ conceßit. Vitæ peregit fabulam. Leto datus eſt. Luce orbatus eſt. Vita orbatus eſt. Lumine caſſus, Poëticum. Mortuus abſolutè dicitur. Demortuus qui morte ſua locum aut munus reliquit uacuum, in quod qui ſubſtituitur in demortui locum ſuccedere dicitur. Exceſſus pro morte apud idoneos autores inuenitur. Item exitus frequens apud Tacitum. Exitu demum Neronis, poſitis odijs in medium conſuluere. Idem, Laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Quanquam exire à uita ferè dicuntur, qui ſponteam obeunt mortem, & exitus eorum qui ſponte decedunt è uita. Quod peculiare eſt etiam, oppetere mortem. Finem pro exceſſu dixit Tacitus, Comperto fine Auguſti.

MORTIS SPONTANEAE.
Cap. CXCVI.

CIcero: E uita tanquam é theatro exeamus. Impatiens malorum mortem ſibi conſciuit, necem ſibi conſciuit. Inedia uitam finijt. Veneno ſũpto mortem accerſiuit. Inciſis uenis mortem approperat. Ita Tacitus, Deſperatis rebus decreuit ſibi adferre manus. Idem, Vim ſuæ uitæ attulit, Idem frequenter dicit, mortem ſumere, pro mortem ſibi conſciſcere. Haud creditus ſufficere ad conſtantiam ſumendæ mortis. Morte ſpontanea uitam abrupit. Intercluſo ſpiritu mortem inuenit. Suſpendio quæſita mors eſt.

Mortis

MORTIS ADACTAE. Cap. CXCVII.

Occidit, interfecit, peremit, necauit, extinxit, iure cæsus est. Neci dedit. Virgil. Dede neci, Vitam & Cantharides eripere possunt. Terent. Animam seni extinguerem. Vita priuauit. Vita seu luce orcauit. Nero Senecæ denunciauit ultimam necessitatem. Ad necem adegit.

PROPOSITI. Cap. CXCVIII.

Iuuenalis: Si te proposiți nondũ pudet. Erat animus, erat in animo. Proposueram, statueram, decreueram, constitueram urbem relinquere. Si stat sententia literis te addicere. Non est sententia frustra niti. Non fuit consilium sordida atq; desidia bonum ocium conterere. Non sum huius animi, ut inanem operam uelim sumere. Nõ est consilij. Non est ratio. Visum erat ad uos remigrare. Habebam in animo. Sic apud animum meum statuo, Salust.

PERICVLI IMMINENTIS. Cap. CXCIX.

Non sentis quid tibi malorũ impendeat. Quanta immineat calamitas. Quanta instet tempestas. Nõ ea procul abest. Iam urget ac premit: In foribus adest ultio, Salust. Dux hostium cum exercitu supra caput est. Sic aliquoties & Tit. Liuius: Nihil malorum non intentabatur. Virgil. Præsentemq; intentant omnia mortem. Hæc proœmia nobis dira minitantur. In propinquo est discrimen. Non sentis quæ te circunstent pericula, quæ malorum procella te circumuallet. Quis te maneat exitus. Quàm tenui

discrimine absis ab exitio. Vicinius malum est, quã credis. Propior es periculo, quã suspicaris. Salust. Quousq; cunctando Remp. intutam patiemini? Intutam dixit, pro periculo obnoxiã. Idem, Eò Resp. in extremo sita est. Rursus: Vbi intelligit omnes fortunas suas in extremo sitas. Et gnati uita in dubium ueniet. In dubijs rebus consiliũ adhibendum est. Naso: Omnia sunt hominum tenui pendentia filo. Horat. Et incedis per ignes suppositos cineri doloso. Periculosæ plenum opus aleæ.

FACILE, DIFFICILE. Cap. CC.

DIctu quàm factu facilius. Nihil facilius, facile est, perfacile est, procliue est, in procliui est, nihil est negocij. Nullo negocio rem conficies. Salust. Denique omnes Romani usq; ad nostram memoriam sic habuere, alia omnia uirtuti suæ prona esse. Idem: Et profectò dijs iuuantibus omnia matura sunt. Id cuiuis promtum est. Hoc mihi in promtu nõ est. Salust. Si hoc itinere uti decreueritis, cætera in promtu erunt. In procinctu habere, ad manum esse. Difficile est, perdifficile est. Rem arduam moliris.

PRAETEXTVS. Cap. CCI.

VIrgilius: Hoc prætexit nomine culpam. Hoc colore tegit culpam. Obtentu pietatis, rem impiam moliebatur. Specioso titulo molitur facinus omnium turpißimum. Plausibili titulo. Religionis fuco sese ueniunt. Amici specie gessit inimicum. Salust. Quicunq; Rempub. agitauere honestis nominibus. Idẽ. Sed hæ res mirè sunt uitijs obtentui, id est,

hic

hic prætexuntur uitia. Magni nominis umbra seſe tuentur.

TEMERITATIS. Cap. CCII.

NIhil habet penſi. Inconſultis conſilijs agit omnia. Pro ſua libidine rem gerit. Audacia illi pro ſapientia in conſilio eſt. Aequi atq; iniqui nulla ratio eſt. Quid deceat, quid non, ſuſq; deq; habet. Saluſt. Quæ etiam mediocres uiros ſpe prædæ tranſuerſos agit. Idem, Quos priuata amicitia Iugurthæ parum cognita tranſuerſos agit. Impetu fertur magis quàm iudicio ducitur. Nihil habet penſi quid in quem dicat.

EXEQVIARVM. Cap. CCIII.

EXequias ire. Curare funus. Parentare, Parentalia peregimus. Saluſt. Poſtquam illi more regio iuſta magnificè fecerunt.

CONSVETVDINIS AVT CONTRA. Cap. CCIIII.

INſueuit fallere. Aſſueuit mentiri. Conſueta relinquere durum eſt. Optimis aſſueſcendum. Armis bellóque deſueti. Ad iſta iampridem occalluit animus. Longo uſu callum duxi. Quid tu Athenas inſolens? Inſolens iniuriarum dixit Saluſt. Idem: Interdum timidos inſolentia itineris leuare manu. Nihil noui facit. Iſtuc inſolens facis. Iſtuc tuo more facis. Iſtuc tibi ſolēne eſt. Moris eſt. In uſu eſt. In uſu eſſe deſijt. Tacitus, Ne uetuſtiſſima Italiæ diſciplina per deſidiam exoleſceret. Idem: Græci amictus iam exoleuerant. Liuius, Res aut noua aut uetuſtate exem

plorum memoriæ iam exoletæ. Ista iam in desuetudinem abiere.

TARDITATIS. Cap. CCV.

TArdat, quod Græci χρονίζει. Tardus corpore, sed ingenio tardior. Lentus abes. Festina lente. Age pedetentim, paulatim, sensim infunde, Contari, bellum ducere. Salustius: Quem ubi contari accepit, & dubium belli atq; pacis rationes trahere. Idem, Ptolemæus pretio ad dies bellum prolatans. Tacitus: Diē ex die prolatabāt. Liuius, Quum is diem de die differret. Cæsar, Diem ex die ducere. Cicero, Procrastinare, Comperendinare.

NON VLTRA. Cap. CCVI.

INtra conuitia rixa constitit. Citra sanguinē pugnatum est. Perbenignus est, sed nō ultra promissa, Idem efficit dictio tenus, cui ueteres liberius quàm nos addiderunt nomen nunc auferendi, nunc gignendi casu. Crurum tenus dixit Virgilius. Tacitus: Nō patruum saltem porta tenus obuium. Idem: Modo pectore, modo ore tenus extantes. Idē: Vsurpatas nomine tenus urbium expugnatas dictitant. Idem: Ianua ac limen tenus domum claudit. Idem in uita Agricolæ. Vnum addiderim, nusquā latius dominari mare, multum fluminum huc atq; illuc ferre, nec littore accrescere aut resorberi. Sentit mare transire littora. Liuius: In quos iecit magis hoc consul uerbo tenus quàm ut re insimularet. Idem dixit, uulneribus tenus. Aurium tenus dixit Fabius. Quin.

Cura-

Curtius, Pauci hostium tenus exacti penetrauere usque ad portum. Apuleius, Pallio tenus Philosophos imitatur.

PRIMI LIBRI FINIS.

DE RERVM COPIA
COMMENTARIVS SECVNDVS.
Et mox de prima locupletandi ratione.

POsteaquã de uerborum Copia quæ ueniebant in mentem, qua potuimus breuitate diximus, reliquũ est, ut simili cõpendio de Rerum copia perstringamus. Atque ut hanc operis partẽ exordiamur ab ijs, quæ superiori generi sunt quàm maxime finitima. Prima locupletandæ sententiæ ratio uidetur, si q̃d' summatim ac generatim dici poterat, id latius explicetur, atq; in parteis diducatur. Quod quidem perinde est, ac si quis primum mercem per transennam aut peristromata conuoluta ostendat, deinde eadem euoluat, aperiatq; ac tota oculis exponat. Huius rationis id erit exemplum.

Rem uniuersam luxu perdidit.

Eam sententiam in summa comprehensam, quasiq; conuolutam hunc ad modum licebit euoluere. Si plurimas possessionum formas enumeremus, siq; uarias perdendæ rei uias explicauerimus. Quicquid uel matris uel patris nomine hæreditate obuenerat.

Quicquid aliorum affinium morte aduenerat. Quicquid ex uxoris dote, quæ quidē neutiquam erat uulgaris, acceſſerat. Quicquid ex legatis accreuerat, accreuerat autem permultum. Quicquid ex principis acceperat liberalitate. Quicquid peculij caſtrenſis conflauerat, pecuniam omnem, uaſa, ueſtes, fundos, agros, una cum ipſis & uillis et pecoribus. Breuiter rem omnem ſeu mobilem, ſeu ſoli. Denique familiam etiam ipſam, fœdiſſimis ſcortorū amoribus, quotidianis commeſſationibus, ſumtuoſis obſonationibus, nocturnis perpotationibus, popinis, cupedijs, unguentis, alea, luſibus, paucis diebus ita abſumſit, abliguriuit, abſorbuit, ut ne teruntium quidem ſibi reliquum fecerit. Hic duo illa uerba, Rem uniuerſam, & luxu perdidit, ſuis partibus explicantur.

Adijciemus & alterum.

Cyclopædiam abſoluit.

In genere dictum eſt. Id ita poteris explicare, Si ſingulas diſciplinas, omnem doctrinæ ſpeciem ſingillatim recēſeas. Nullum omnino doctrinæ genus eſt, in quo non ſit exquiſitè uerſatus. Nulla diſciplina, quam ille non ad unguem perdidicerit, Et ita perdidicerit, ut in unaqualibet ſola laboraſſe uideatur. Adeo mire Poëtarum omnium omnes fabulas tenet. Adeo Rhetorū floſculis abundat. Adeo Grammaticorum laborioſos canones excuſſit. Dialecticorum argutias callet, Phyſices arcana perueſtigauit. Vltra mundanæ ſapientiæ ardua ſuperauit. Theologorū abdita penetrauit. Mathematicas apodioxes

perce-

perceptas habet. Sic astrorum motus, sic numerorum rationes, sic terrarum dimensiones, urbium, montium, fluminum, fontium situs, nomina, interualla, Sic uocum concentus atq; discrimina callet. Adeo quicquid est historiarum tum ueterum tum recentiũ meminit. Quicquid bonorũ autorũ, quicquid uel antiquitatis uel nouitatis, id omne tenet. Adde his parem Græcanicæ ac Latinæ literaturæ linguæque peritiam. Deniq; quicquid unquam eruditionis ab egregijs autoribus repertum ac traditum fuit, id uniuersum unus hic absolute perceptum, cognitumq́; habet ac meminit.

Item Omnibus naturæ fortunæq́; dotibus præditus. Hoc si cui libeat explicare, commemorabit singula corporis commoda. Deinde singulas ingenij atque animi dotes. Postremò genus, opes, patriã, successus, & quicquid à fortuna solet obuenire. Rursum, Tertium exemplum erit, Hippias omniscius. Hoc si quis uelit dilatare, referat licebit omnia illa quæ in eius uiri descriptione recenset Apul. in floridis, non sine uaria uerborum copia. Extat huius rationis exemplum aptißimum apud Lucianum in Harmonide. Etenim cum potuisset summatim dicere, τὴν αὐλητικὴν ὅλην ἐκμεμάθηκα maluit explicatis partibus copiam ostentare ad hunc modum.

Εδιδάξομὲ ἤδη ἁρμόσασθαι τὸν αὐλὸν ἐς τὰ ἀκριβὲς καὶ ἐμπνεῖν ἐς τὴν γλωσσίδα λεπτόντι καὶ ἐμμελὲς, καὶ ὑποβάλλειν τοὺς δακτύλους εὐαφῶς ὑπὸ πυκνῇ τῇ ἄρσει καὶ θέσει, καὶ βαίνειν ἐν ῥυθμῷ καὶ

σύμφωνα εἶναι τὰ μέλη πρὸς τὸν χορόν, & τῆς ἁρμονίας ἀκάσης διαφυλάττῃν δ' ἴδιον, τῆς φρυγίας δ' ἔνθεον, τῆς λυδίας, δ' βακχικόν, τῆς δωρίας δ' σεμνόν, τῆς ἰωνικῆς δ' γλαφυρόν, ταῦτα μὲν οὖν πάντα ἐκμεμάθηκα πάσας. *Quæ tametsi uix possunt reddi Latine, tamen ob Græcanici sermonis ignaros uertam ut potero. Docuisti me iam exacte adaptare tibiam, atq; in eius lingulam inspirare tenue quiddam ac modulatum, tum commodo faciliq; contractu submittere digitos in crebra sublatione ac demissione uocis, ad hæc ad numerum ingredi, & ut modi congruant ad chorum, præterea quod cuique harmoniæ generi propriũ est obseruare, Phrygiæ diuinum impetum, Lydiæ Bacchicum furorem, Doricæ grauitatem ac modestiam, Ionicæ iucunditatem. Quod si in proximo exemplo placuisset in singulis disciplinis facere quod hic Lucian. fecit in una musica parte, uides quanta sermonis copia fuerit futura. In his non ab re crediderim illud admonere, simul & in initio proponi summam rerum, & eandem alia sermonis specie repeti, & ita redeundum ad genus, quasi singulis enumerandi iam sis defatigatus, etiã si nihil erit præteritum. Præterea cauendum, ne partiũ ordinem confundamus tumultuaria uerborum congerie, sursum ac deorsum miscentes omnia, ne molestam uocum turbam nulla conditam gratia, conglomeremus, sed uel ordine scito, uel apta distributione, uel eleganti descriptione, legentis aut audientis tædium excludamus. Ad hanc formam*

mam pertinet & illud, quoties totum quod non formis, sed partibus constat, in eas diducitur. Vt hic totus monstrum est, hoc pacto dilatabitur. Si prius hominem in corpus atq; animum partiaris, deinde singulas corporis partes, singulas item animi partes attingas, Et animo et corpore monstrum est. Quacunque uel animi uel corporis parte contempleris, monstrum reperies, Caput tremulum, oculos caninos, os draconis, uultum furiæ, uentrem abdomine distentum, manus ad rapinam incuruas, pedes intortos, totam deniq; corporis figuram inspice, quid aliud quàm monstrum præ se ferunt? linguam & uocem illam beluinam obserua, portentum dices. Ingenium excute, prodigium inuenies. Mores expende, uitam scrutare, omnia monstrosa comperies. Et ne singula persequar, quantus quantus est, nihil nisi monstrum est. Hìc si qs uelit in singulis uelut depingendis immorari, satis apparet, quantum ubertatis sit accessurum orationi.

Item aliud exemplum.

Totus commaduit.

A summo capillo ad imum usque calcaneum pluuia cõmaduit, caput, humeri, pectus, uenter, tibiæ, totum deniq; corpus pluuia distillabat. Minutius quidem illud, haud tamen indignum quod admonea tur, ad hanc formam referri posse, quoties de specie loquentes, genus adiungimus, id quod fere fit amplificãdi gratia. Cum omnis eruditio plurimum adfert & ornamenti & adiumenti mortalibus, tum præci-

pue philosophia. Item, omni quidem ætati fœda est libido, uerum senectuti multò fœdissima. Item cum omnibus in rebus plurimum habet momenti prudentia, tum præcipue in bellis. Simplex enim erat, prudentiam in bellis plurimum habere momenti. Huius generis est illud Ciceronis in oratione pro domo sua, apud põtifices, Cum multa diuinitus pontifices à maioribus nostris inuenta, atq; instituta sunt, tum nihil præclarius, quàm quòd uos eosdem religionibus deorum immortalium & summæ Reipub. præesse uoluerunt. Quanquam quid attinebat unum hoc referre, cum huius formæ exempla nusquam nõ sint obuia.

IN LIBRVM SECVNDVM *de Copia rerum.*

Quid copia uerborum?

Duplicem esse Copiam, scilicet Verborum & Rerum, uel Titulus huius operis, uel caput 7. libri 1. satis indicat. Copia uerborum est artificiosa facultas habitusue dicendi unius atque eiusdem sententiæ uariandæ aliis atque aliis uerbis, alia atque alia orationis forma quantum libet. Variatur ergo sola oratio, manente eadem sententia per Copiam uerborum, non autem augetur corpus orationis uel argumentũ. Copia autem rerum, est artificiosa facultas cuiuslibet naturæ argumenti uel rei explicandæ, & augendę uariandæq;, quantum studioso libet. Itaque uariatur & augetur argumentum uel materia orationis atque illius tractatio. Et utraque copia, item utraq; breuitas, uerborum & rerum, pertinet

Quid rerum copia?

tinet ad ornatum, tertiam Rhetoricę uirtutem, quem ornatū tametsi in hac nostra inexperientia, non solū non assequi possumus, sed nec umbram quidem assequimur eius, qui est apud Ciceronem, Virgilium, Liuium, &c. tamen oportet studiosum hæc præcepta tenere, ut non omnino imprudenter de ueterum scriptis iudicet, eaq; intelligat, ac de sua alienaq; oratione non omnino fatue sentiat, & illum ornatum pro uiribus saltem quantillum possit, imitetur.

Est enim aliquo prodisse tenus, si non datur ultra. In utraq; porro Copia præcedere debet delectus uerborum & rerum, & fuga uitiorum in elocutione & inuentione capessenda est. Delectum uerborum agere docet Grammatica, ut supra dixi in primo, cap. 10. & in 12. Sed delectum rerum agere docet Dialectica. Sicut & uitia uerborum fugere docet Grammatica & item Dialectica. Vitia autem rerum euitare docet item Dialectica, ut supra dixit in primo, capite 8. Atque hic cauere oportet uersiculū Horatij, Stulti dum uitant uitia in contraria currunt. Et rursum: In uitium ducit culpæ fuga si caret arte.

Sunt autem uitia rerum in genere sex, falsum, stultum, contrarium, commune, superuacuum, ineptum. De his consule communem experientiam, & prudentiam mediocrem, atque Rhetorum præcepta de inuentione. Verum tota hæc res inuenta & exercitata est a doctissimis iuxta ac prudentissimis hominibus, nō ad otiosam loquacitatis ostentationem, sed ad docendi recteq; DE VITIIS RERVM.

recteque discendi atque dicendi necessitatem. Nemo enim neque Dialecticum, nedum oratorium thema, uel argumentum recte explicare potest, sine uarietate orationis, sine figuris rerũ Copiæ, quas hoc secundo libro tanquam peculiaria capita Copiæ rerum luculenter & utiliter exponit. Continetq; hic commentarius ueram docendi atq; dicendi rationem, quæ indicat usum & modum rei. Dialectica, id est, breui & propria, uel oratoria, id est, perspicua & copiosa ac illustri oratione, explicandæ. Sunt autem in uniuersum in hoc secundo commentario 20. capita Copiæ rerum descripta, quæ quidem nascuntur prorsum ex locis Topicę Dialecticæ, ut infra sigillatim uidebimus, & experiemur. Primum Caput est partitio. Secundum, enumeratio antecedentiũ. Tertium, enumeratio causarum. Quartũ, enumeratio effectuum & consequentium. Quintũ, descriptio. Sextum, digressio. Septimum, epitheton. Octauum, circunstantia. Nonum, amplificatio. Decimum, extenuatio. Vndecimum, propositionũ multiplicatio. Duodecimum, probatio. Decimumtertium, exemplum. Decimumquartum, similitudo. Decimumquintum, iudicatio. Decimumsextum, expolitio. Decimumseptimum, expolitio uel narratio. Decimumoctauum, locus cõmunis. Decimumnonum, partes orationis Rhetoricæ. Vicesimum, schema rerum tertij ordinis, si quod prꝛter numerata supereſt. Sigillatim ergo unum quodq; sua definitione & exemplis diligenter expli-

explicabimus. Compendio) id est, methodo.

PRIMA LOCVPLETANDI RATIO.

Primum caput Copiæ rerum est partitio, quã uocare potes diuisionem Rhetoricam, licet alij distributionem, alij enumerationẽ partium appellent. Fluitq; hoc caput plane ex Dialectica diuisione, cuius hic usus & πρᾶξις apertissime uidetur. Neq; differt re ipsa, sed tantum elocutione. Vt enim Dialecticus est pressior atq; concisior in diuidendo, sic Rhetor est multo liberior & copiosior in partiendo. Et sicut Dialectica diuisio triplex est, ita & Rhetorica quoq; partitio triplex est. Nam prima est partitio generis in suas species, ut officiorũ aliud est prudentia, aliud iustitia, aliud fortitudo, aliud temperantia, & hæc proprie diuisio appellatur. Secunda est partitio totius in partes suas, quæ & proprie partitio uocatur, ut homo constat anima et corpore. Atq; hic obserua duplices esse partes, scilicet substantiales quas uocant, ut materia & forma composita. Sic poculum aureum constat ex materia, scilicet auro, & ex forma scilicet poculo: & alias esse integrales, ut caput, collũ, humeri, brachia, pectus, uenter, dorsum, & cæteræ partes corporis. Et rursum harum partium integralium aliæ sunt primariæ, qualia sunt uitalia membra in corpore, ut caput, cor, stomachus &c. Aliæ non sunt primariæ, sed istorum membrorũ articuli, qui tametsi absunt, tamen non corrumpitur totum, ut sunt crines, pili, ungues, similesq; articuli & partes. Tertia est partitio

titio subiecti in sua accidentia, ut rerum aliæ sunt bonæ, aliæ malæ, aliæ mediæ. Item bonorum aliud est honestum, aliud utile, aliud iucundum. Item bonum aliud est animi, aliud corporis, aliud fortunæ, & hanc proprie uocant enumerationem accidentium. Cæterum appellatione partis Latini significãt & species & partes & accidentia sæpe. Vsus autem huius capitis primi, tali ordine est instituendus fere. Primo enim ponenda est propositio totum complectens: genus diuidendum in suas species, uel species diuidenda in sua indiuidua, uel totum partiendum in suas partes, uel subiectum distribuendum in sua accidentia, quales sunt hæ propositiones Erasmi. Rem uniuersam luxu perdidit. Cyclopædiam absoluit. Totus commaduit. Secundo subiũcienda est partitio. Tertio ad finem addenda est complexio uel conclusio, id est, Synonyma propositio totius primæ de qua dixi. Quarto possunt interim uel singulæ species, uel aliquot indiuidua uel primariæ partes, uel eximia accidentia, breuius aut copiosius sua descriptione, aut commendatione explicari. Possunt interim enumerata secundo loco inter se comparari, quatenus similia uel diuersa sint, & utrinque incredibilis fluit copia. Exempla huius capitis primi satis aperte hic Erasmus enumerat septem, & infinita sunt apud Ciceronẽ, ut pro lege Manilia insignis enumeratio uirtutum, quæ in imperatore requiruntur: in secũdo Catilina. Item eximia est partitio qua enumerant diuersi ge-

si generis homines in coniuratione Catilinę. Cauere tamen opus est in partitione Rhetorica, ne leuiculas partes sectemur, & ea quæ illustrari ne queunt, præsertim in graui materia & serio argumento. Tametsi est aliquando tenuibus & leuiculis quoq; partibus sua gratia & uenustas, ut Lucianus ludit in partiēda Musca. Plinius in partiendo Culice. Medici describenda Anatomia corporis, minutas quoq; partes non omittunt. Cauere etiam oportet, ne primarias partes & necessarias in partiendo negligamus, aut temere prætereamus. Alioqui enim non cognoscetur, nedum illustrabitur totum. Ratio) id est, caput. Deducatur) id est, partiatur, distribuatur. Solet obuenire) Huiusmodi exempla plurima sunt apud Plutarchum in uitis, & apud alios Historicos, qui singulorū uitas describunt. Præter tres illas partitionis species supra numeratas, mirabiliter auget copiam oratiōis uulgata partitionis forma, quam subdiuisionem appellant, hæc est partitio, cum non contenti enumerasse species primarias, rursum has enumeratas partes in suas quoque distinguimus, & diuidimus partes. Atque ita subdiuisas partes ligillatim quoque describimus. Hoc perinde est, ac si quis corpus hominis partiatur primum in caput, humeros, pectus, uentrem, brachia, pedes &c̄. Atq; rursum caput diuidat in uerticem, sinciput, occiput, frontem, tempora, oculos, aures, genas, malas, labia, mentum, linguam, dentes, crines, gulam: & rursum has partes in suos articulos partiatur.

sicut

ſicut in anatomia media fieri ſolet, ſectione corporis. Hinc certe incredibilis copia dicendi naſcetur ſi primarias, ſi mediocres, ſi minutas partes, ſi denique minutiſsimas quoque particulas ſigillatim deſcribere & depingere quis uelit. Exemplum habes in 1. Officiorum, ubi officium in ſuas ſpecies, & hæ rurſum in ſuas partes articulosq; a Cicerone diuiduntur, & ſeorſim deſcribuntur. Eſtq; hæc uulgatiſsima ratio docendi in methodo, naſcitur autẽ hoc caput primum ex locis topicis Dialecticæ, quos uocant a toto ad partes, a partibus ad totum, a ſufficiente diuiſione, a remotione partium.

Secunda uariandi ratio.

Huic admodum affinis eſt ſecunda uariãdi ratio. Quoties nõ contenti, ſemel exitum rei proponere, ex quo reliqua quæ præceſſerunt, per ſe queant intelligi, ſingulatim ea quoque commemoramus, per quæ ad eum exitum peruentũ eſt, huius præceptionis hoc erit exemplum. Cicero Catilinæ conatus oppreſſit. Id ita locupletabis: Catilinæ nefarios conatus p iuuenes perditiſsimos, totius Romanæ ciuitatis exitium atq; internecionem molientes M. Tullius Cicero conſul ſua ſagacitate ſtatim odoratus eſt, ſingulari uigilantia perueſtigauit, ſumma prudentia deprehendit, miro in Remp. ſtudio prodidit, incredibili eloquentia conuicit, grauiſsima autoritate repreſſit, armis extinxit, magna felicitate ſuſtulit.

Item aliud: Ex ea uirgine filium ſuſtulit. Hac ratione dilates licebit. Eam uirginẽ quod eſſet ſingulari

lari forma miserè deperibat. Deinde amoris impatiens, simplicem puellæ animum promißis solicitauit, muneribus corrupit, blanditijs delinijt, officijs in mutuum amorem pellexit, improbitate uicit, deinque consuetudinem cum ea habuit ac deuirginauit. Aliquanto post tẽpore uterus uirginis cœpit tumescere, fœtu uidelicet concepto. Demum exactis nouem menſibus, parturijt, ac puerum peperit.

Item aliud exemplum: Vrbem cepit, ita poterit ampliari. Principio feciales rem repetitũ miſi, qui pacis etiam conditiones offerrent. Quas cum oppidani non acciperent, copias undiq; comparat, machinarum maximam uim comportat, admouet exercitum unà cum machinis ad urbis mœnia. Illi contrà è muris acriter hoſtem repellunt: tandem hic ſuperior in congreſſu, conſcenſis mœnibus, urbem inuadit, ac rerum potitur.

Secunda uariandi ratio.

Secundum caput Copiæ rerum eſt enumeratio antecedentium, quod prorſum naſcitur ex loco topices Dialect. qui uocatur ab anteceden tibus, & item ex eo qui uocatur a communiter accidentibus. Verum hic antecedentia ſunt ea, quæ alicuius effectus uel facti aut rei non quidem cauſſæ propriæ uel propinquę ſunt, ſed uel ſemper uel plerunq; ſaltem antecedere ſolent, quoquo modo, id eſt, neceſſario uel non neceſſario, uel per accidens. Et hinc prouenient quoque circunſtantiæ, de quibus infra cap. 8. Quanquam Dialectici aliter uocant ea demum quæ

necessario tantum antecedunt effectum quemlibet, sed Rhetores latius antecedentium uocabulo significant quælibet media, per quæ peruenitur ad effectum aliquem. Sic & causſas remotas aut improprias appellare licet antecedentia, ut tribus exemplis Erasmus probat. Est autem hoc caput secundum longe uulgatissimum apud Historicos & Poëtas, præcipue copiosos, ut apud Liuium in fine primi ab urbe condita, ubi breuiter dicere potuisset, Tarquinium Superbum regem propter Sexti filij sui uim & intemperantiam aduersus Lucretiam regno pulsum esse a Bruto, & a ciuibus Romanis, ut Florus id breuiter perstringit. Maluit tamen Liuius repetere altius historiam, enumerans antecedentia, quæ præcesserunt fugam regis de oraculo Apollinis Delphici, de simulata stulritia Bruti, de osculo terræ matris, de iocosa contentione maritorum in castris, de hospitio nocturno Sexti apud Lucretiam & improbitate eius, de querela Lucretiæ ad suos cognatos, de cæde Lucretiæ, de conſuratione Bruti & ciuium. Itē in tertio ab urbe cōdita, ubi fortasse fuerat satis breuiter dixisse, Decemuiros Magistratu exutos propter uiolentiam Appij, sed maluit prolixā enumerationem contexere, de uindicijs Virgineę puellæ, de contentione in iudicio, de Virginij patris perseuerantia in seueritate, de seditione militum & plebis, de Appij contumelia, donec peruenit ad euentum rei, Decemuiris Magistratum esse abrogatum. Hic ubi oratio nimium nuda & breuis nul-

nullam ſpeciem argumento adfert, neq; uoluptatem, oportet longiuſcula & iucunda antecedentium enumeratione rem illuſtrare, & legentium animis quaſi depictam proponere. Exemplum huius capitis habes totum ſecundum Æneidos librum, ubi tam breuiter quam Liuius potuiſſet dicere Poëta urbem Troiam proditione & ui a Græcis captam, & uaſtatam eſſe. Sic ui de narrationem Simonis in Andria, quę uel ſola huic præcepto intelligendo ſufficeret. Cauere oportet in hoc ſecundo capite uitium Rhetoricis ualde familiare, ne leuiuſculis immorantes neceſſaria prætereamus, neue nimis remota antecedentia repetamus, ne ut ille ait, a gemino ouo rem ordiamur, ſed feſtinemus ſcite ad exitum rei.

Tertia ratio.

Ab hac rurſum non ita uehementer abhorret tertia locupletandi ſermonis ratio, quoties rem non nudam exponimus, ſed altius etiam cauſſas repetimus, à quibus initijs ſit profecta: ueluti ſi cui non ſatis ſit dixiſſe, bellum interceſiſſe Gallis cum Neapolitanis, uerum etiam addat, quæ fuerint ſimultatis cauſſæ, quis inſtigator, quæ ſuſcipiendi belli occaſio, quæ uincendi ſpes, quæ utriuſq; fiducia. Hoc ut eſt dilucidius quàm ut egeat præceptione, ita difficile ſit exemplũ niſi plurimis uerbis proponere. Quare ſuperſedebimus, & lectorem ad Saluſtium ac Liuium relegabimus.

Tertia uariandi ratio.

Tertium caput Copię rerum, est enumeratio causſarum, cuius usus maxime necessarius in omni genere, pfesionis latissime patet, adeo, ut sine caussis cognitis, nulla certa scientia possit consistere, siquidem scientia est habitus intellectiuus, cognoscēs res per causſas & effectus. Atque hic multis paginis possem huius loci Encomium facere si liberet, uerum experientia ipsa malim sentire nos causſarum & effectuum notitiam atq; commoditates incredibiles, quæ ualent non in Dialectica, neq; in Physica solum, sed in qualibet professione utili. Et quanquam sæpe alias de caussis soleat disseri, attamen illa pleraq; hic in compendium redigere placuit. Etenim dici nullo modo potest, quantum non utilitatis solum, uerum & uoluptatis secum adferat causſarum & effectuum uel mediocris, nedum solida inuestigatio & cognitio, iuxta illud diuini Poëtæ dictum:

Felix qui potuit rerum cognoscere causſas.

Neque uero hic uocabulo causſæ plane utimur ut Rhetores, quum ὑπόθεσιν, id est, argumentum uel materiam & subiectum orationis, uel cuiuslibet scripti uocāt causſas, ut orationis Milonianę causſa hæc est: Clodiū a Milone iure cæsum esse, ut Dialectici, cum probationem uel argumentationem itidem uocant causſam: neq; ut Cicero, & uulgus, qui solas efficientem & finem appellant causſas, ut cum dicimus, Deum esse boni causſam, diabolum aut fortunam esse causſam mali, id est, autorem. Item, uoluptatem esse

esse causſam, id est, finem operationis humanæ. Verum in genere hic appellamus causſam, id propter quod aliud est, uel esse potest. Itaque causſa est res antecedens, quam ſuus effectus po test ſequi ſuo tempore & modo: ut quia pannus est, potest consui tunica: quia pecunia est & mer ces, potest contrahi emtio & uenditio: quia uer ba & res bonæ tibi ſuppetunt, potes ergo copio ſam orationem componere. In uniuerſum uero duodecim uulgatæ causſarum diuiſiones in ſco lis numerari ſolent, quibus hic locus magis in-clareſcit, & magnum aditum patefacit ad obſcu riora quoq; intelligenda in bonis autoribus.

Prima diuiſio. Causſa alia est prima infinita, a nullo dependens, ut Deus primus motor & ef fector, ultimusq; finis cuiuslibet rei fatalis, na-turalis, fortuitæ, & uoluntariæ: quoniam ex i-pſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia, & qui-dem ſacræ literæ plurimos euentus, effectuſque in Deum referunt, tanquã in autorem & finem primarium, Sic Ethnici in deos ſuos prophanos referunt plurimos euentus, ut Virgil. in Æneid. pericula, errores, iactationem Æneæ, in Iuno-nem refert: & contra illius fortunam Veneri ad ſcribit, aliisq; Diis bene fauentibus, atque ita Deus est causſa prima efficiens, ac finalis quo-que, non autem materia aut forma. Alia causſa est ſecunda finita, dependens a nutu numineq; Dei, qui agit per ſecundas causſas, tanquam per inſtrumenta: ſicut princeps exercet in ſuos po-pulares iuriſdictionem per præfectos & alios,

quibus delegat uices suas, ut prolixe Cicero in secundo de natura Deorum ex Stoicorum sententia probat.

Causa finita est Quadruplex. Fatalis Naturalis. Fortuita. Voluntaria

Secunda diuisio. Finita & secunda caussa est quadruplex, scilicet fatalis, id est, fatum in rebus fatalibus dependens, uel a Dei uoluntate, & sic fatum est iussus Dei, secundum Platonem, uel dependens a cursu & influentia cœlestium corporum, quod isti fatum astrologicum uocant. Alia est caussa naturalis, id est, natura in rebus naturalibus & earum cursu naturali & certo. Alia est caussa fortuita, id est, fortuna uel casus in rebus fortuitis, inexpectatis, & improuisis, quarum nulla certa ratio facile ostendi potest. Alia est caussa uoluntaria, id est, liberum arbitrium hominis agentis secundum electionem, uel artem & consilium in actionibus humanis & liberis.

Causæ. Interna & Externa

Tertia diuisio. Caussa alia est interna pars substantiæ in effectu, qua corrupta necesse est effectum perire, ut corpore mortuo intereunt actiones uitales: & partibus destructis totum quoq; destruitur. Alia est externa caussa, extra effectum, qua corrupta tamen perdurat effectus, ut corrupto uel mortuo parente, tamen superstites sunt liberi. Sic uoluntas in actionibus uolũtarijs, est quasi interna caussa. Sic natura in operibus naturalibus est interna caussa. Voluntas in fabricabilib. ut uocant, est externa caussa.

Quatuor genera causarum Materia ex qua Formalis Efficiens & Finalis.

Quarta diuisio. Caussarum genera sunt quatuor, scilicet materia ex qua effectus componitur,

nitur, ita ut huic primum insit, ut ex rebus & uerbis componitur oratio. Forma est caussa qua effectus sortitur suum nomen, & appellationem, ut corium apte ad pedes consutum uocatur calceus. Vt substantia ex corpore & anima rationali composita uocatur homo. Efficiens est caussa a qua effectus componitur & construitur, tanquam a fabricatore primario: ut, orator est caussa efficiens bonæ orationis: ut, liberum arbitrium est caussa efficiens moralium actionum, id est, uirtutum & uitiorum. Finis est caussa propter quam mouetur efficiens, ut reddat quippiam effectum, id est, finis est utilitas uel usus rei, propter quem agimus aut facimus quidlibet, ut saturitas est finis cibi: & saturitatis finis est alimentum corporis: & alimenti finis est duplex, scilicet ultimus finis, qui primus est in intentione uel spe, & expectatione agentis: & ultimus in executione, Alius est medius finis quem effectum caussæ finalis uocant, quia euenit plerunque uice locoq; finis ultimi nondum consecuti suam caussam. Sic propria specierum fere sunt fines medij. Et in summa quilibet effectus, cuius modū compos facta est sua caussa, uocari potest finis uel caussa finalis. Et quilibet finis cōsequutus, potest item uocari iam effectus. Cum autem omnes caussæ agant propter finem, sola fortuna propter nullū certū finem agit. Quinta diuisio. Caussa alia est uniuersalis .i. communis, nempe species uel genus indiuiduæ caussæ: & hinc nascuntur theses.

DEFINITIO

Duplex finis

Sola fortuna propter nullū finem agit

Alia est particularis caussa, id est, singularis uel indiuidua, ut Virgilius scribit bonos uersus, an Catoni est ducenda uxor. Et hinc nascuntur hypotheses. Et quidem actiones & operationes tribuuntur proprie non uniuersali uel communi, sed singulari caussæ. Sexta diuisio. Alia caussa est per se, id est, ꝓpria, de qua necessario & conuersim prædicatur effectus tanquã in definitione, ut bonus Poëta scribit bonos uersus, & scribens bonos uersus est Poëta bonus. Sic quælibet species est caussa efficiens propria sui proprij. Alia est caussa per accidens, id est, impropria, de qua non necessario prædicatur effectus, neq; conuersim, ut Virgilius scribit bonos uersus. Estq; hæc diuisio summopere notanda, ex qua plurima absurda possunt euitari, ut quum arguitur a non caussa ad caussam. Sic abusus rerum est improprius finis rerum. Sed stultum est rem iudicare ex abusu potius quam a ꝓpria caussa, uel effectu, ut si argumenteris: Ebrietas est a uino, omnis ebrietas est uitiosa, ergo uinum est uitiosum uel malum.

Septima diuisio. Caussa alia est ꝓpinqua, immediata, ut homicida faciens cædem. Alia est remota & mediata, ut gladius homicidæ uel sica. Et rursum hoc quoque discrimen summopere est notandum. Vitiose enim plerunq; a caussis improprijs & remotis arguitur uel describitur quippiam, quia propriæ & propinquæ caussę rerum debent inuestigari. Deniq; talis est disputatio in nona Philippica, an occiderit Antonius Sulpi-

Sulpitium, cum dederit causſam mortis eius.

Octaua diuiſio. Causſa alia eſt neceſſaria, quę ſe non aliter ad effectum ſuum habere poteſt, & quam neceſſario conſequitur effectus, nec auelli aut impediri poteſt. Sic fatum eſt neceſſaria causſa, cui ne Dij quidem reſiſtere poſſunt, iuxta illud Manilij: 8 Diuiſio.

Mitto quod certum eſt, & ineuitabile fatum. 8 Manilius
Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege. ἀναδιπλωσις

Sic naturales causſæ ſunt neceſſarię, quę licet ſæpe impediuntur quo minus effectus conſequatur, tamen quia naturalis effectus nequit conſequi, niſi per naturales causſas, ergo quælibet naturalis causſa, recte appellatur neceſſaria causſa. Alia causſa eſt contingens non neceſſaria, quę ſe aliter ad effectum habere poteſt & uariare, ut fortuna, & uoluntas. Tametſi ars quoque uideatur plerunque ex parte neceſſaria eſſe causſa, quia certa eſt quędam artium methodus & experientia, quam obſignare & ſequi neceſſe in actione & opere artificioſo. Et quidem hæc partitio difficilimas quæſtiones & controuerſias parit de neceſsitate & contingentia rerum & euentuum.

Nona diuiſio. Alia eſt causſa conſtans, quę habet certum effectum, ut fatum ex natura. Sic ignis non poteſt non urere. Alia eſt causſa inconſtans, quæ non habet certum effectum, quin uariare poſsit, ut uolũtas, fortuna, error, ignorantia, & hæc diuiſio affinis ex proximæ. 9 Diuiſio.

Decima diuiſio. Causſa alia eſt incomplexa. 10

ut statuarius. Alia complexa, ut Policletus statuarius. Voluit autem hac diuisione Aristoteles admonere, quo modo separentur accidentia peregrina & non propria a caussa, ut sua cuiq; propria functio tribuatur.

Vndecima diuisio. Caussa alia est operans, quam Aristoteles caussam in actu uocat, quæ iam effectum reddit, ut Musicus iam canens cantilenam sonat. Alia est caussa cessans uel ociosa, quam Aristoteles caussam in potentia uocat, nõ quidem iam effectum reddẽs, sed redditura suo tempore, ut arbores in hyeme quiescunt, quibus sub æstatem potentia est germinandi & fructificandi, & generatim caussa actum, mox effectus sequitur actum. Sed caussam potentia effectus sequitur non nisi potentia & habilitate.

Duodecima diuisio. Caussæ aliæ sunt connexæ, id est, subordinatæ, quæ plures ad eundem effectum operantur, uel requiruntur semel, uel ordine serieq; sua, ut quum duo trahunt unam nauiculam, ut homo generat hominem & sol: ut terra uitifera, calore & humore temperata producit uitem, uitis gemmam, gemma botrum, botrus uuam, uua uinum, uinum sitim restinguit uel inebriat, & plura deinceps. Aliæ caussæ sunt non connexæ, id est, non subordinatæ, quarum singulæ habent suos effectus, ut sola fides iustificat, sola fides gignit bona opera, solus Deus operatur iustificationem sine libero arbitrio, & ex hac quoque partitione infinitæ disputationes oriuntur de connexione & ordine

ordine cauſſarum. Et de hinc naſcitur Sorites, coaceruatio Dialectica, iuxta regulam antepredicamentoriam. Item κλίμαξ uel gradatio Rhetoricum tertij ordinis, de quo infra capite ſecūdo. Et hæ ſunt duodecim diuiſiones cauſſarum. Reſtant octo regulæ, quæ complectuntur officia propria cauſſarum. Prima regula: Cauſſæ concidunt ſæpe, ſed non eadem ratione, uerum diuerſa, id eſt, idem ſæpe eſt in diuerſo genere cauſſarum, alio tamen atq; alio reſpectu: ut, anima eſt forma hominis, & eſt efficiens cauſſa operationum uitalium, & eſt finis generationis humanæ, quin etiam diuerſorum reſpectu idem & eſt cauſſa & effectus: ut, fides effectus eſt Dei, & eſt cauſſa efficiens iuſtificationis, atque hoc in pleriſque connexis ſubordinatiſq; cauſsis apparet. Secunda regula: Cauſſæ ingrediuntur definitiones, ideoque & demonſtrationes, maxime forma, ſi non propriis uocabulis deſtitueremur, proxime natura & finis, improprie autem efficiens. Inde uero ſequuntur effectus & officia: ut, matrimonium eſt uiri & uxoris individua fideliſque coniunctio, animorum conſenſio, bonorum & ſacrorum liberorumque communio iure naturali inſtituta. Tertia: Eiuſdem effectus plures ſunt cauſſæ, quarum aliæ ſunt propinquæ, aliæ remotæ, aliæ propriæ, aliæ improprię, ut ſupra dictum eſt. Quarta: Eadem cauſſa reddit contrarios effectus, diuerſa tamen ratione: ut, ſol indurat limum, & liquefacit ceram. Quinta: Secundæ cauſſæ, non agunt ſine prima cauſſa, id eſt, omnia dependent denique

Sorites

κλίμαξ

REGVLÆ OCTO de officijs propriis cauſſarū

DEFINITIO matrimonij

que a fato & a Deo. Sexta: Antecedentia, de quibus in secundo capite dictum est, sunt rationis affinia, licet nõ sint causſæ, nisi quis remotas appellare uelit. Septima. Causſæ dependent subordinatim uel non subordinatim, ut finis efficientem, efficiens materiam, materia formam mouet ad operandum. Sed hæc regula magis spectat ad Physicos. Octaua. Sæpissime impediuntur causſæ ne perficiant effectum suum: ut, fruges corrumpit tẽpestas, & germen: ut, bona opera inuertit praua cõsuetudo. Quod si nullum impedimentum interuenit causſæ necessariæ, tum nõ potest non consequi certus effectus. Atque hæc interim de tertio capite Copiæ rerum, id est, de caussis annotasse satis sit, quod quidem nascitur omnino ex locis Topices, quem ex professo uocant locum causſarum materiæ, formę, efficientis & finis.

Quarta ratio.

Nec admodũ discrepat ab his quarta locupletandi ratio. Quoties non simpliciter proponimus negocium, sed enumeramus etiã illa quæ negocium comitantur, uel cõsequuntur. Quod genus sit, Bellum tibi acceptum feremus. Hoc pacto poteris ditare rem. Exhaustum in barbaros milites ærarium, fractã laboribus iuuentutem, proculcatas segetes, abacta pecora, incẽsos passim uicos ac uillas, desertos agros, euersa mœnia, cõpilatas domos, direpta phana, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot uiduas matronas, tot uirgines indigné constupratas, tot adolescen-

scentiũ licentia deprauatos mores, tantum funerũ, tantum luctus, tantum lachrymarum: Præterea extinctas artes, oppressas leges, obliteratam religionem, confusa diuina humanáq; omnia, corruptam ciuitatis disciplinam. Vniuersum inquam hoc malorum agmen, quod ex bello nascitur, tibi uni feremus acceptum, siquidem belli fueris autor.

Quarta uariandi ratio.

Quartum caput Copiæ rerum est enumeratio effectuum & consequentium. Effectus est res consequens, quæ suam antecedentem caussam sequitur suo tempore & modo. Si autẽ tot modis dicitur unum oppositorum quot modis alterum, certe cum relatiuum caussa, secundũ 12. diuisiones, diuidatur, & uariet, itaq; & eius correlatiuum Effectus similiter 12. diuisionibus uariat, quam uarietatẽ iam facile tua industria assequi & iudicare potes per Analogiã, si singulas partitiones effectuum, cum singulis caussarum compares. Cæterum consequens hoc loco uocatur quicquid comitatur & sequitur caussam uel effectum, necessario siue non necessario & contingenter. Tametsi non sit neque caussa nec effectus. Vtriusque autem, effectus scilicet & consequentis, enumeratio est uulgatissima in Historijs, in comœdijs, in narrationibus Oratorijs, & propositionibus, & prope in omni genere professionum: quippe tam late patent effectus quam caussæ, tam uaria & multa sunt antecedentia, quam consequentia. Vide narrationes

nes Ciceronianas, & Terentianas. Vide expoſitionem Ouid. de diluuio, & de incendio Phaëtontis, atq; alias Poëticas expoſitiones. Et hoc caput quartum naſcitur ex loco Topices Dialectic. qui dicitur ex profeſſo ab effectibus uel euentis. Item a conſequentibus, item ex loco, a communiter accidentibus, qui tres loci copioſiſsimam materiã huius capitis ſuppeditant: atque iſta tria Copiæ capita non ſolum ad oratoriam copiam, ſed ad inuentionem quoque Dialecticam ualent, neque enim ſuperſtitioſe Eraſmus in hoc libello elocutionis figuras a locis inuentionis (Dialecticis uel Rhetoricis) ſeparat, cum utraq; pars ſit iuxta neceſſaria ad ſcientiam copiamq; rerum. Hinc enim pleræque utilitates, commoditates, uoluptates rerum numerantur: hinc petuntur argumenta ab honeſto, ab utili, a iucundo: ueruntamen hæc tria capita ſæpiſsime commiſcentur, & conueniunt in unum aliquem locum hiſtoricum uel poëticũ, ut apud Liuium plerunque, & apud Virgilium in ſecundo Æneid. apparet, ubi antecedentia, ubi cauſſas, ubi effectus, ubi comitantia & conſequentia, ad excidium urbis Troiæ enumerat. Quod genus) Exemplum de bello quod longe copioſiſsime explicatur ab Eraſmo in declamatione, Dulce bellũ inexpertis, & in Querela pacis.

Quinta ratio.

Quinta locupletandi ratio uidetur potißimũ ad ἐνέργειαν, quam euidentiam uertunt, pertinere. Ea utemur

utemur quoties uel amplificãdi, uel ornandi, uel delectandi gratia rem non simpliciter exponemus, sed ceu coloribus expressam in tabula spectandam proponemus, ut nos depinxisse, non narrasse, lector spectasse, non legisse uideatur. Id ita præstare poterimus, si prius ipsi totam rei naturam omnesq; circunstantias, ac ueluti faciem animo lustremus, Deinde ita uerbis ac figuris idoneis effingamus, ut quam maximè fiat euidens perspicuaq; lectori. Hac uirtute præcellunt quum omnes Poëtæ, tum præcipuè Homerus, quemadmodũ suis indicabimus locis. Constat autem præcipuè descriptione rerum, temporũ, locorum, personarum.

Descriptione rei.

Rei descriptione locupletabimus orationem, quũ id quod fit aut factum est non summatim, aut tenuiter exponemus, sed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponemus, ut auditorem siue lectorem, iam extra se positum uelut in theatrum, auocet. Hanc ab effingenda rerum imagine Græci uocant Hypotyposim. Etiam si uocabulum hoc commune est, quoties aliquid oculis subijcitur. Veluti si quis expugnatam ciuitatem dicat, cuncta nimirum in summa complectitur, quæcunq; talis fortuna recipit, Vtar enim Quintiliani uerbis. At si aperias hæc q̃ uerbo uno inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes,

Hypotypo, sis

tes, & infantium, fœminarumq; ploratus, male usq; in illum diem seruati fato senes. Tum illa prophanorum sacrorumq; direptio, efferentium prædas, repetentiumq; discursus, & ante suum quisq; prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater. Et sicubi maius lucrum est, pugna interuictores. Licet enim hæc omnia complectatur euersio, minus est tamen totum dicere, quàm omnia: Hactenus Fabius. Idem huius euidentiæ citat exemplũ hoc ex Cælio in Antonium. Nanq; ipsum offendunt temulento sopore profligatũ, totis præcordijs stertentem rectuosos spiritus geminare, præclaras contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore, hostiũ aduentu percepto excitare Antoniũ conabantur. Nomen inclamabant frustra, ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurem inuocabat, uehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum cum omnium uocem tactumq; noscitaret, proximæ cuiusq; collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec uigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus Centurionum, concubinarumq; iactabatur. Nihil inquit Fabius, his nec credibilius fingi, nec uehementius exprobrari, nec manifestius ostendi potest. Refert idem descriptionem conuiuij luxuriosi. Videbar, inquit, uidere alios intrantes, alios uerò exeuntes, quosdam ex uino uacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Humus erat immunda, lutulenta uino, coronis languidulis, & spinis

nis cooperta piscium. Sed huiusmodi exemplorum nusquam nō magna copia, præsertim apud Poëtas, ut dictum est, & apud historicos Poëtis proximos. Præcipue uerò narrationes nunciorum in tragœdijs, quoniam uice spectaculi subijciuntur, dum ea referunt quæ representari in theatro aut nō possunt, aut non conuenit, hac uirtute insigniter abundant. Veluti cum in Euripidis Hecuba Talthibius narrat Hecubæ, quomodo sit occisa Polyxena, et in Iphigenia Aulidensi nuncius exponit, quomodo sit interfecta Iphigenia. Et in Troade Senecæ nuncius refert Andromachæ, quomodo perisset Astyanax ipsius filius. Hoc ad exemplū indicasse satis est, cum omnes tragœdiæ scateāt huiusmodi narrationibus. Nec refert ad hoc institutū, ueræ sint an falsæ, quemadmodum in Electra Sophoclis senex ficte narrat Clytemnestræ, quomodo in certamine perisset Orestes. M. quoq; Tull. mirus est in hoc genere artifex. Verum illud arbitror admonendum, hoc genus descriptiones præcipue quidem cōstare circunstantiarum explicatione, earum præsertim quæ rem oculis maximè subijciunt, ac moratam reddunt narrationem. Non mediocriter tamen adiuuari collationibus, similibus, dissimilibus, imaginibus, metaphoris, allegorijs, & si quæ præterea sunt figuræ, quæ rem illustrant. Quin epitheta quoq; in hunc usum plurimū ualent: Veluti cum dicimus aërios scopulos, turrigeras urbes, cœruleum aut uitreum mare, curuum aratorem, supercilioſum philosophum, patulas fagos,

atram ſpecum, & apud Homerum, Δυσηκὴς πόλεμος κορυθαίολος ἕκτορ, βροτολοιγὸς ἄρης ὁ τειχεσιπλήκτης, quo genere nuſquam non ſcatet hic Poëta. Neq; ſolum in deſcriptione complectimur quæ præceſſerint, q̃ adiuncta rei fuerint, quæ conſecuta, uerumetiam ea quæ facta non ſint, uel fieri potuiſſe, ſi hoc aut illud eueniſſet, uel fieri poſſet demonſtramus. Veluti ſi quis dicat, uide in quod diſcrimen adduxiſti Remp. qui temere congreſſus ſis cum hoſte. Etenim ſi forte fortuna ſuperaſſent hoſtes, hæc atq; hæc erant euentura. Aut, ſi quis monarchiam diſſuadeat, deſcriptione ob oculos ponat omnem tyrannidis Tragœdiam: Iamq́; auditores admoneat, ut putent ſeſe hæc omnia uidere, quæ mox paſſuri ſint, ſi Democratiam mutarint in regnum. Porrò ſi res agitur ſeria, tum eatenus adhibendæ ſint ὑποτυπώσεις quatenus ad cauſſam conducunt. Verum cum tota res ad uoluptatem ſpectat, quemadmodum in poëmatis fermè fit, & ἀπροδείξεσι, quæ exercendi oſtentandiue ingenij cauſſa tractantur, licebit effictionibus huiuſmodi liberius laſciuire. Ad hanc formã pertinent deſcriptiones Homericæ, quoties armat deos ſuos aut heroas, quoties conuiuium, quoties prælium, quoties fugã, quoties conſilium deſcribit. Quid enim iſte nõ exponit oculis, tum aptis circunſtantijs, quæ tametſi nonnunquã minutæ uidentur, tamen neſcio quo pacto mirum in modum rem oculis ſubijciunt, tum epithetis tum adhibitis ſimilibus. Præterea deſcriptiones turbinum,

tem-

tempestatum aut naufragiorum. Quales sunt apud Homerum locis compluribus, apud Virgil. lib. Aeneid. primo, apud Ouid. Metam. undecimo, pugnæ barbaricæ apud Iuuenalem. Item pestilentiæ, qualis est apud Maronem Georg. lib. 3. apud Nasonem 7. apud Senecam in Oedipo. Item apud Thucydiden. Præterea famis, cuiusmodi est insignis in quadam Quintiliani declamatione. Item prodigiorũ. Solis, eclypsium, niuis, imbrium, fulminum, tonitruum, terræ quassationũ, incendiorum, inundationũ. Quod genus apud Ouid. diluuij Deucalionei descriptio. Item seditionũ, exercituum, præliorum stragis, excidij, direptionum, monomachiæ, pugnæ naualis. Qualis est apud Lucanum lib. 3. Epuli conuiuiorum, nuptiarum, funerum, triumphorum, ludorũ, pomparum. Cuius generis est apud Plutarchum in uita M. Antonij Cleopatræ nauis, Sacrorũ, ceremoniarum, incantationum, ac maleficiorum. Qualis est apud Lucanum in sexto. Item apud Horatium in Satyris, sub persona Priapi narrãtis, quæ uiderit. Venationũ, cuiusmodi extat Adriani Cardinalis: tamet si docti negant hoc carmen illius esse. Item animantium, quod genus est torpedinis, & histricis descriptio apud Claudianum. Apud eundem, et item apud Lactantium Phœnicis. Psitaci apud Ouid. in amoribus, et apud Statium. Serpentium apud Lucanum in nono. Multorum piscium apud Oppianum, apud Plinium cum innumerabilium animantium formæ, naturæ, mores, pugnæ, cõcordiæ, tum præcipue cu

licis descriptio: apud Maronem equi ac bouis expressio, apum mira representatio. Statuarum item, qualis est in epistolis Plinianis signi senilis, tabularum & imaginum, qualis est apud Lucianum, Hercules Gallicus, apud Philostratum uaria picturarum argumenta, cuiusmodi sunt et argumenta textorum & sculpturarum, aut similium operum, quorũ apud Poëtas & historicos exempla sunt innumera. Vt apud Ouidium libro sexto Metamorph. textura Arachnes. Qualis est Clypeus Achillis ab Homero expressus, Aeneæ à Marone. Ad hæc nauis, uestis πανοπλίας, machinæ, currus, Colossi, Pyramidis, aut si quid est aliud rerum cõsimilium, quarum descriptio delectet. Equidem ad hoc genus referendũ arbitror, quoties formæ gentis, uitæq; ritus explicantur. Veluti si quis Scytharum Anthropophagorum, Indorum, Troglodytarum, aut similium gentium imaginẽ oculis exponat. Aut si uitæ militaris, philosophicæ, aulicæ, rusticanæ, priuatæ, regis simulacrum quoddã effingas. Verũ ut ista probè exprimas, non modo confert ars & ingenium, uerum etiam oculis spectasse, quæ uelis effingere, plurimũ refert. Sunt & fabulosæ rerũ descriptiones, quæ tamen ad ueras alludunt. Velut ætatis aureæ, argenteæ, ferreæ. Qualis est & apud Cebeten humanæ uitæ pictura, apud Lucianum Aulæ, calumniæ, eruditionis, aliæq; complures, apud Homerum Ossæ, Ates, & Litarum. Apud Ouidium famis, liuoris. Apud eundem, et item apud Maronem famæ. Quod si

quis

quis malit hæc ad personæ descriptionem pertinere, de qua mox dicam, equidem non magnopere repugno.

PERSONAE DESCRIPTIO.

His igitur est proxima personarũ descriptio, quam προσωπογραφίαν appellãt, tametsi nonnihil ab hac dißidet προσωπογραφία, uel hoc nomine quod latius patet. Nam famis quoq;, inuidiæ, somni, de quibus modo diximus, προσωπογραφίας, non absurdè dixeris. Proponitur enim ceu persona quædam. Cuiusmodi sunt & illæ, uirtutis ac uoluptatis, quas Prodicus sophista apud Herculem inter se se decertantes facit, ut autor est Xenophon. Item mortis ac uitæ, quas Ennius in Satyra contendentes inducit, teste Fabio. Item Calumniæ apud Lucianũ, apud eundem Eruditionis & statuariæ. Occasionis apud Ausonium. Fortunæ apud Horatium in Odis, & Q. Curtium. Cupidinis apud Moschum. Penias & Pluti apud Aristophanem. Iustitiæ apud Chrysippum referente Gellio. Philosophiæ apud Boëtium Seuerinum. Lamiæ apud Politianum. Item Musarum, Gratiarum, Furiarum, Bellonæ, Sphingis, Scyllæ, Charibdis, ac similium apud Poëtas.

Sunt quædam propriores uerò, sed tamen ad ostentationem accommodatiores. Cuiusmodi est Hippiæ descriptio apud Lucianum, & eiusdẽ apud Apuleium in floridis, sed oratori magis conueniunt illæ notationes. Sic enim appellant quoties amantis luxurioſi, auari, uoracis, temulenti, somniculoſi, garruli,

ruli, glorioſi, oſtentatoris, inuidi, ſycophãtæ, parasiti, lenoníſue perſonam depingimus. Huius generis extat exemplũ in quarto Rhetorices ad Herenniũ. Vbi ſuis notis depingitur pſeudo Plutus, diuitiarũ oſtentator cum eſſet pauper. Cæterum è comœdijs quantum libet exemplorum ſumere licebit. Nihil enim aliud agit comœdia. Extat ad hoc facientes notæ Theophraſti titulo. Mihi Grammatici cuiuſpiam uidentur magis quàm Philoſophi. Depingitur autem ab omnib. circunſtantijs, præcipue uerò ab his: A natiõe ſeu patria, ſi Pœni, Græci, Galli, Scythæ, Hyberni, Hiſpani, Scoti, Britanni, formam, cultum, uocem, linguam, geſtum, inceſſum, ritus, ingenium, ac mores expreſſeris. Fingendus autem Pœnus fœdifragus, uafer, inſolẽs, cultu ambitioſiore, atq; item de cæteris. Sunt et ſingularum ciuitatum peculiares notæ. Vt mollis Athenienſis, & ad dicendum quàm faciendum inſtructior. Seueri Romani, Parci Florentini. A ſexu, Depingitur uir ſeuerior, mulier loquacior, inconſtantior, ſuperſtitioſior.

Ab ætate tales effingimus, quales Horatius oſtendit in arte poëtica.

A fortuna Faſtuoſior inducitur diues. Humilior ac timidior pauper.

A ſtudijs ſit glorioſus, & facinorum ſuorum immodicus iactator miles, periurus leno, triſtior ruſticus, adulantior aulicus, mitior urbanus. Medicus ad quæſtum propenſior. Poëta nominis auidior, fontibus, nemoribus, ac ſeceßibus gaudens, opum & bonorum

norum ciuiliũ contemtor. Sophista loquacior quàm sapientior. Neque negligendi communes affectus, quo sit animo pater in liberos, maritus in uxorẽ, ciuis in patriam, princeps in plebem, plebs in patricios, cæteriq; quos diligentißimè tradidit in Rhetoricis suis Aristoteles. Sunt autem peculiares etiam in singulis horum differentiæ. Neq; enim satis est tenere quid seni, quid iuueni, quid seruo, quid patri familiâs, quid lenoni conueniat. Alioqui singuli horum semper sui similes inducerẽtur. At comici præcipue uarietatem in eiusdem quoq; generis personis affectasse uidentur. Quid enim dißimilius quàm Demea ac Mitio apud Terentium? Quorum hic, cum etiam grauißimè filium obiurgat, blandus est: ille cum maximè blanditur, amarulentus: Et tamen uterque senex, atq; adeo fratres. Quid diuersius quàm Chremes semper placidus ac ciuilis, & Simo uehemens ac suspicios⁹? Item quàm Pamphilus cordatus, & Carinus inops animi consilijq;? Quid tam dißimile, quàm Phædria cum uerbo pugnans: & Chærea nihil habens pensi? Multum item interest inter Dauum pertinacißimum sperandi autorem, et Byrriam nihil præter desperationem adferentem. Plurimum inter parasitum Gnatonem, & Phormionem, & ab utroq; longe dißident parasiti Plautini. Quemadmodum & huius meretrices à Terentianis plurimũ discrepant. Terentius meretrices propemodum bonas fingit, ueluti Philotim, & Bacchidem in Ecyra. Plautus senes amantes ac festiuos, &

uxoribus ueteratorie imponentes, quanquam aliàs Euclionem prodigioſe tenacẽ ac ſuſpicioſum facit.

Quod ſi perſonã tractamus ab alio occupatam, ab ijs qui priores finxerint aut deſcripſerint decorum, petendum eſt. Veluti ſi tractes Achillem, acrem, inexorabilem, ſimplicem, infenſum regibus, infenſum mendacibus, pedibus uelocem inducas oportet. Nã huiuſmodi primus finxit Homerus. Rurſum Vlyſſem uafrum, mendacem, diſſimulantem, omnia tolerantem. Agamemnonẽ animo mitiore, ſed imperij cupidũ, timentem populum, uoluptatis auidiorem quàm belli. Hectorem animo ſublimi, mortis & auguriorum negligentem, patriæ omnia poſthabentem. Aiacem factis magis quàm oratione ſtrenuum, contumeliæ ac repulſæ patientem. In ſumma, ut cuiuſq; perſonam finxit Homerus, ita Tragici poëtæ inducant oportet. Item ſi quis Ariſtidem, Themiſtoclem, Phocionem, Alcibiadem, Piſiſtratum, Iulium Cæſarem, Fabium, aut Camillum, aut Timonẽ, Socratem, Platonẽ, Epicurum cupiat effingere, ex hiſtorijs decorum petendum eſt. Quod exercitationis genus placuiſſe uidetur ijs, qui Menelai, Phœnicis, Achillis, Phalaridis, Bruti, Senecæ ac Pauli epiſtolas et orationes finxerunt. Idem ſpectandum erit ſcribenti dialogos, quibus perſonis quem tribuat ſermonem. Cæterum decorum quoq; eſt in fictis perſonis. Veluti ſi philoſophiam producas uultu conſtanti & autoritatis pleno. Muſas ſimplices ac blandiores. Gratias iunctas ac zonis ſolutis. Iuſtitiam re

ctis

ctis atq; immotis luminibus, cæteraq; huius generis, id à rerum natura, ad quas alluditur oportebit sumere. Est quoq; decorum in apologis, quod nemo recte tuebitur, nisi naturas animantium cognitas atque animaduersas habeat. Vt sciat docilem ac religiosum elephantum. Delphinum Crocodilo inimicum, hominis amantem. Aquilam in sublimi nidum ponere. Scarabeum stercora, in quibus gignit ac gignitur, ex more protrudere. Nec uideri temporib. quibus incubant aquilæ. Caßitam in segetibus oua ponere. Erinacium gaudere discursu, inimicum serpentibus. Atq; hæc quidem, hisq; reconditiora facile petuntur ex Aristotele, Plinio, Aeliano. Tractatur & hoc genus etiam ab oratoribus. Porrò durio res sunt apologi, qui rebus inanimis, ut arboribus aut saxis sermonẽ attribuunt. Sed oratorum magis peculiares sunt illæ προσωποποιίαι quoties suis ceu coloribus certa hominis persona depingitur, idq; eatenus, quatenus ad rem propositam attinet. Quemadmodum apud Salustium Catilina, apud Liuium Annibal, apud Plinium Traianus. Rarius enim incidunt, sed tamen incidunt, illæ formarum effictiones. Quod genus sit, si quis mulierẽ formosam omnibus fermè numeris exprimat, aut contrà deformem anum. Quemadmodũ Thersiten effinxit Homerus, & Græcorum multos proceres è mœnibus Helena Priamo sciscitanti indicat, et hunc imitatus Maro in sexto complures Romanos describit. Ad hanc formam præcipuè pertinet schema Διαλογισμὸς, id

Sermocinatio.

est, sermocinatio, quoties unicuiq; sermonem accommodamus, ætati, generi, patriæ uitæ instituto, animo, moribusq; congruentem: Nam huiusmodi sermones in historia licet affingere. Vnde tot Thucydidis, Saluſtij, Liuij orationes effinguntur & epistolæ & apophthegmata. Demum & cogitationes, ueluti hominis secum loquentis, quanquam hoc Poëtis familiarius. Illæ propriæ προσωποποιίας nomen merentur, quoties personam hominis procul absentis, aut iam olim defuncti, loquentem facimus, seruato decoro. Quod genus sit. Quid si nunc reuiuiscant prisci illi huius urbis optimates, uiderintq; temporum horum mores, nónne in has uoces erumperent? Deinde subijcienda oratio: Quid si nunc adesset proauus ille tuus, nónne merito his te uerbis obiurgaret? Quid si redeat in hanc lucem Camillus, nónne iure his uerbis nobiscum agat? Et iam mihi uideor audire illum sic mecum loquentem. Et fingite Platonem ipsum ad hunc modum uobiscum expostulantem. Verecundiores sunt huiusmodi prosopopœiæ, cum ea loquentes fingimus quæ uerisimile sit eos esse dicturos, si adessent. Duriores autem, sed tamen etiam in serijs orationibus, non tantum in exercitationibus adhibendæ, si quando rerum grauitas postulabit, quoties naturam, aut Rempublicam, aut prouinciam, aut patriam loquentem facimus. Vt in Catilinam fecit Cicero: Quæ tecum Catilina & quo dã modo tacita loquitur. Rursum: Etenim si patria, quæ mihi uita multò est carior, si cuncta Italia, si omnis

Prosopopœia.

mnis Respublica sic loquatur. Marce Tulli quid agis? & Socrates apud Platonem in Critone leges secum disputantes inducit. Huius generis est quoties dijs ipsis aut locis, aut alijs multis rebus orationem accommodamus. At eæ quæ proprie προσωποποιΐαι uocantur, metaphoris, similibus & collationibus fiunt illustriores. Cuius generis apud Poëtas magna uis est.

Loci descriptio.

Locupletatur oratio locorum quoq; descriptionibus, quas Græci τοπογραφίας appellant. Ab his frequenter narrationum sumitur exordium, non à Poëtis modo, uerumetiam ab historicis, & apud oratores nonnunquam incidunt. Huius generis est quoties tota loci facies, ueluti spectãda depingitur: Vt urbis, montis, regionis, fluminis, portus, uillæ, hortorum, amphiteatri, fontis, specus, templi, luci. Quæ si uera sint τοπογραφίας appellari uoluntur. Sim fictæ, τοποθεσίας. Prioris formæ sunt, Carthaginis & portus apud Maronem descriptio, apud Plinium in epistolis, Laurentis uillæ. Apud Statium Surrentinum Pollij & Tiburtinum Manlij. Posterioris, sedes somni apud Ouidium. Domus famæ & regia Solis apud eundem, inferorum & Cacidomus apud Virgilium. Tenari apud Statium, domus apud Lucianum. Regia Psyches apud Apuleiũ. Ad priùs genus referendum arbitror, Vesuuij montis incendium, à Plinio minore descriptum. Aetnæ ardentis, apud Claudianum. Tum si quis Nilum, aut antrum

Sibyl-

Sibyllæ, arcus, atq; id genus alia descripserit. Quæ quo sunt magis noua, hoc plus adferunt uoluptatis, & diutius licebit immorari, modo omnino non sint aliena.

Temporis descriptio.

Necrologia

Porrò temporis descriptionem χρονογραφίαν appellant. Vnde non raro narrationis sumitur initium. Nonnunquam delectandi duntaxat gratia adhibetur. Veluti quoties Poëtæ diem, noctem, auroram, aut crepusculum exprimunt. Quanquã ne hæ quidem omnino ociosè debent adhiberi. Quod genus est illa Virgiliana: *in 4. Aenalos.*

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, siluæq; & sæua quierant
Aequora, cum medio uoluuntur sydera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; uolucres,
Quæq; lacus late liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent somno positæ sub nocte silenti,
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Pertinet enim hæc descriptio nocturnæ quietis, ad amplificandum Didonis dolorem, qui ne tum quidem conquiescebat, cum omnia cætera quietem agerent. Nam mox sequitur: At non infelix animũ Phœnissa, nec unquam Soluitur in somnos. Veris, hyemis, autumni, æstatis, uindemiæ, iustitij, saturnalium descriptiones ad hoc genus pertinent, quæ sæpenumero ualent & ad probationem. Mixtæ sunt illæ, quoties temporum qualitatem exponimus, puta pacis, belli, seditionum, factionum, monarchiæ, democratiæ. Simul cum ostendimus, quæ uirtutes, aut quæ

uitia

uitia tum maximè ualuerint. Hæ quidem ſingillatim tractare conueniet nonnunquam exercendi ingenij gratia. Verum abſoluta deſcriptio ex his omnibus conſtat. Nam Horatius in ea quam modo citaui Satyra, primum locum exquiliarum deſcribit, deinde tempus, præterea Priapi ac maleficarum perſonas, poſtremò & ſacrificium, & fugam crepitu territarum mire exprimit.

Quinta uariandi ratio.

Quintum caput Copiæ rerum, eſt deſcriptio Rhetorica, quam Græci ἐνέργειαν a perſpicuitate & claritate numeri uocant repręſentationem uel definitionem Rhetoricam, & prorſum naſcitur ex definitione Dialect. præſertim illa, quam accidentariam deſcriptionem uocant, qua non ſolum ſpecies, ſed indiuidua quoque deſcribuntur, & definiuntur quaſi. Et nihil admodum differt hæc a definitione Dialectica, niſi copia orationis, a qua fere abſtinent Dialectici, utentes conciſa plerunque & arcta definitione. Itaque ἐνεργεία deſcriptio Rhetorica, eſt oratio exprimens rem, perſonam, affectum, mores, ſermonem, ac circunſtantiã, ita clare & copioſe, ut lectori ob oculos ea quaſi pręſens uerſetur, ueluti uiua pictura. Huius ergo officium eſt illuſtrare & depingere res quaſi, ut omnibus partibus fere expreſſe, & tanquam uiuis coloribus expolitæ ſpectentur. Cum autem deſcriptionis Rhetoricæ ſpecies numerentur circiter uiginti, ad præſens ſufficit cognoſcere undecim ſpecies, quarum

Deſcriptio Rhetorica.

DEFINITIO

Aliàs dicitur ὑποτύπωσις

ὑποτύπωσις vel ὑποτυπώσεις

rum prima est descriptio rei, quam alij ὑπογραφὴν uocant, alij ὑποτύπωσιν, id est effigurationē uocant, qua rei figura & forma depingit̄, ut est, descriptio diluuij, in 1. Metam. tempestatis in secundo eiusdem. Secūda descriptio personæ προσωποποιΐα, qua homo quispiam depingitur, ut principes Græci, totumq; apud Plutarchum in uitis, apud Æmilium Probum, apud Suetoniū. Quamuis Rhetores plerique latius utuntur uocabulo prosopopœiæ, ut complectatur mox sequentes sex quoq; species. Vide Fab. in 3. cap. 10.

χαρακτηρισμὸς

Tertia species est χαρακτηρισμὸς, effictio uel pictura corporis aut animi, ut, Dauus effingit Critonem. Chærea senem illum importunum, ut Mitio depingit Demeam & seipsum, ut Homerus in 3. Iliados depingit formam Græcorum

προσωποποιΐα

principum. Quarta est fictio personæ προσωποποιΐα. Huius prima forma est personæ fictæ descriptio Poëtis, propria, Oratoribus rara, ut Virgilius fingit Sybillam furentem in sexto, fingit personas apud inferos. Altera forma eius est, cū mutæ rei aut incorporeæ, uel homini mortuo affingimus personam, sermonem, uel affectum hominis aut animalis aut harpyis, furijs, dæmonibus, somno, fami, inuidiæ, famæ, uirtuti, iustitiæ, & similibus sermonem uel personam induunt Poëtæ & affingunt. Hanc secundam formā Rhetores proprie uocant prosopopœiā specialem. Quinta species est

ἠθοποιΐα

ἠθοποιΐα, proprietas uel expressio morum, de qua libellum scripsit Emporius sophista: & luculēte docet Fab. lib. 6. cap. 2.

&

& sequentibus. Huius Ethopœiæ, quam uocare possumus expressionem morum uel affectuum mitium, tres sunt formæ, quarum prima est significatio uel expressio morum prolixior, ut ingeniorum, artium, uirtutum, uitiorum, sic uanum ostentatorem Thrasonem exprimit Terentius, militem Plautus, seuerum Demeam, & hęc forma propria est Comœdiæ atq; Dialogis, ubi peculiariter obseruare oportet decorum & proprietatem personæ, ut apud Lucianum & Cic. Secunda forma est expressio naturaliũ propensionum & inclinationum, quales Græci uocant φυσικὰς σόργας, id est, naturales & innatas affectationes, non momentaneas, sed durabiles, ut expressio amoris paterni erga liberos. Coniugum, & amicorũ inter se. Coniunctionis, æqualium, hospitum, uicinorum. Disiunctionis, hostium inter se, in qualibus effingẽdis mirus artifex est Liuius & Herodot. Sic Homerus & Virgilius cum Ouid. Peculiariter enim Historia animorum cupiditates, consilia, & res gestas fere sine Tragicis motibus illis depingit. Tertia forma est expressio affectionum leuiorum, quæ non ita perturbant uehementer animos, neq; præcipitant, ut si quando lætiores affectus hominum erga nos alioue captamus & blandiendo elicimus, ut cum animus in spem, in lætitiam erigitur, & in risum quoq;, qualia sunt amatoria blandimenta in epistolis Ouid. & Elegijs, quales sunt officiosæ promissiones & salutationes, officiosa colloquia, ut in Epist. familiaribus apud Ciceronem

φυσικὰς σόργας

ronem & in dialogis eius, qualis est captatio benuolentiæ & fauoris: atq; hæc adeo tertia forma, peculiaris est exordijs, & in summa docet ἠθοποιΐα, quod Rhetorica sit magna pars τῆς κολακίας, id est, adulatiõis, ut alicubi Plato dicit. Sexta species descriptionis Rhetoricæ est πάθοποιΐα, id est, uehementiorum affectuum & perturbationũ expressio, de qua Macrob. lib. 4. to to præcipit. Huius sunt duæ formæ. Prima intentio, quam Græci φάντασιμ, nostri alioqui imaginationem uocant, qua metus, dolor, ira, furor, odium, inuidia, effrenis cupiditas, libido, immodica spes, immoderata lætitia, perturbatioque animi describitur & excitatur. Huius exempla sunt passim obuia in Tragœdijs Græcis & Latinis. In hac fere immodicus est Statius, uide Virgilium in quarto: Nec tibi diua parens. Item in 10. Quid me alta silentia cogis Rumpere? &c. Item in 7. Heu stirpem inuisam. Vide Ciceronem in inuectiuis Verrinis, & Philippicis. Altera forma est commiseratio dicta Græcis οἰκτρός, qua elicitur lachrymæ, uel mouetur misericordia, uel captatur uenia. Huius exempla sunt obuia in Peorationibus Ciceronianis, in Querelis apud Poëtas. In summa uero, non maior facundiæ commendatio, imo & admiratio comparatur, quam ex ἠθοποιΐα & πάθοποιΐα, si in loco adhibeatur, quarum utranque diligenter describit Aristoteles in 2. Rhetor. definiens illic mores & affectus. Item Fabius in lib. 6. capite 2. & sequentibus. Septima species descriptionis est sermocinatio,

natio, διαλογισμὸς, quoties personę affingitur oratio breuis uel longa pro decoro eius. Tales sunt conciones Liuianę & apud alios historicos. Item oratiões apud Poëtas. Huc refer illā quam Fabius appellat eloquutionem aliquam, qualis est apud Liuium legatorum Romuli. Item eiusdem Romuli allocutio, qua consolatur raptas Sabinas. Græci tale quiddam uocant προδιαλέξιν, id est, diuisionem, hoc est, informationē argumenti tractandi iusta oratione, Octaua species est μείμησις, imitatio sermonis uel morum qua non modo personæ orationem, sed etiam gestum effingimus, quale fuit quondam peculiare fabularum genus, quas pronunciabant Mimi, ut apud Macrobiū de Laberio extat. Et has prædictas scilicet sex species. Quintilianus atq; alij subijciunt prosopopœiæ. Nona species τοπογραφία, loci descriptio, ut Carthaginis in 1. Æn. Huc refer Cosmographiam & Geographiam. Decima species τοποθεσία, loci fictio, cum describitur locus, qui fortasse non est in rerum natura, quales sunt apud Lucianum in ueris narrationibus, uel saltem non est talis qualis fingitur, ut in sexto inferorum & Elisij descriptio. Huc refer Astrotesiam apud Aratum, Higinium, Manilium, Pontanum. Vndecima species, est χρονογραφία, descriptio temporis, ut noctis in 4. Æn. pacifici seculi in 4. Eclog. Virgil. Quatuor ætatum in primo Metam. Atq; hæ sunt undecim species descriptionis Rhetoricæ, quibus Græci

διαλογισμος

μειμησις

τοπογραφία

τοποθεσία

χρονογραφία

adhuc addunt nouem species, quæ non faciunt modo ad institutum, & superioribus adijciuntur.

Egressio, sexta locupletandi ratio.

Superioribus affinis sexta locupletandi ratio, quã Græci παρέκβασιν, Latini partim egressionem, alij digressionem, nonnulli excursum appellant. Ea est, definitore Quintiliano, alicuius rei, sed ad utilitatem caussæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Adhibetur aũt uel laudandi gratia (Qualis est apud M. Tullium pro Lucio Cornelio popularis illa uirtutum Cn. Pompeij commemoratio, in quam ille diuinus orator, nam Fabij uerbis utar, ueluti nomine ipso ducis, cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoauerat sermone, diuertit) aut uituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut properandi. Sumuntur autem ex ijsdem fermè locis, quos modò retulimus. Ab expositione rerum gestarum, à descriptione locorum, regionũ, personarum. Item à tractatione fabularum, apologorum. Prætereà à locis cõmunibus, quoties amplificandæ rei gratia, in gloriam, in luxuriam, libidinem, auaritiam, turpem amorem, tyrannidem, iram ac reliqua uitia dicimus, atque his caussa uelut aliquantisper omissa, diutius immoramur, aut contrà quoties frugalitatem, liberalitatem, continentiam, studia literarum, pietatem, taciturnitatem, laudibus efferimus. Hi tantum momenti habent ad copiosè dicendum, ut clari aliquot autores eos ex professo tractauerint, χρείας appel-

Παρέκβασις Egressio

appellant. Sunt & illi loci cõmunes his non diſsimiles, quoties libertatis commoda ponimus, ante oculos, cõtra ſeruitutis incommoda, Mutabilitatem fortunæ. Mortis æquã omnibus neceſsitatem, Quantum ualeat pecunia in reb. mortalium, Vitæ humanæ breuitatem, atq; ita genus alia innumera deſcribimus.

Porrò longius immorari licebit excurſionibus, uel in initio dictionis. Qualis illa Herculis Gallici apud Lucianum, & Lamiarum apud Politianum de ſcriptio. Vel in fine, quo iam feſſus recreetur auditor. Quemadmodum in Georg. feré facit Virgil. In medio, ſi quando digredi licebit, celerius eò redeundum, unde digreſſus ſis, niſi pars cauſſæ iam abſolutæ digreſsionis anſam præbebit. Veluti poſt narratam cauſſam, quoad ſecuturam argumentationem auditor reddatur alacrior. Aut poſt probationem, ſiue omnino poſt locos inamœniores, quo tædiũ ſubtilitatis diſcutiatur. Aut niſi res ipſa locos huiuſmodi ſuapte ſponte offerat, qui inuitent ad diutius immorandum.

Sexta locupletandi ratio.

Sextum caput Copię rerum, eſt Egreſsio, quã aliĳ digreſsionem, aliĳ excurſum uocant, de qua Fab. in lib. 4. cap. 3. docet abunde. Etenim egreſsio eſt ἔκβασις rerum, quo excurrimus & euagamur in aliquem locum communem, aliamue rem, ab inſtituto quaſi alienam, delectationis uel amplificationis gratia. Sic Virgilius in fine 1. Georg. egreſsionem facit in funebrem luctum de Cæſare interemto. In 2. Georg. egreditur in

laudem ruſticæ & priuatæ uitæ. In 3. Georg. expatiatur in laudem Octauij Cæſaris & obſeruantiæ ſuæ erga Cęſarem Auguſtum. In quarto Georg. excurrit in fabulam Orphei. Sic Liuius in nono ab urbe condita facit egreſsionem de Alexandro Magno, & in octauo de bello Punico digreditur in hiſtoriam Maſiniſſæ. Sic & Saluſtius alioqui breuior, tamen digreditur in principio Catilinarij in deſcriptionem ſtatus urbis Romæ, & in principio Iugurthini, digreditur in Geographiā. Et hæc digreſsio aliquando eſt neceſſaria, ſicq; etiam pars cauſſæ eſt, a qua non debuit auelli, ut apud Virgilium in primo, expoſitio Veneris de ortu Carthaginis, & de eadem apud Iuſtin. in principio 18. libri. Aliquando non eſt neceſſaria, ſed delectationis gratia inſeritur, & ſic χῆμα rerum eſt. Et prudenter oportet obſeruare, ubi maior uel antecedens debeat ampliſicari, per digreſsionem quaſi, uel ubi pręſtet nudam proponere præmiſſam concluſionis. Sic apud Ciceronem pro Roſcio, eſt digreſsio contra parricidas, pro Cælio de ſtudioſis, pro Archia, de laude literarum. Vide & declamationes Eraſmi, qui multus eſt in digreſsionibus. Cauere tamē oportet, ne excurſus ſint immodici, ne nimis prolixi aut longinqui, & peregrini ſint, quod uitiū Aſiaticis eſt peculiare. Cætera quære apud Fabium. Locis communibus) Sicubi maiorem ſyllogiſmi uel θέσιμ aliquam explicamus, uide infra in capite 8. & 11.

Septima ratio.

Septima

Septima locupletãdi ratio ſumitur ab Epithetis. Epitheton. Diomedes Epitheton facit ſpeciem Antonomaſiæ, finitq; hunc in modum: Epitheton eſt propoſita diſtinctio proprio nomini aut ornandi, aut deſtruendi, aut indicandi cauſſa. Ornandi, ut diua Camilla. Deſtruendi, ut ſcelerumq; inuentor Vlyſſes. Indicandi, ut Lariſſæus Achilles. Sumuntur Epitheta ab animo, ut Plato philoſophorũ ſapientiſſimus. A corpore: Therſites Græcorum omnium deformiſſimus: A bonis externis, neq; id ſimpliciter, nimirum ab omnibus partibus bonorum, quæ proficiſcuntur à fortuna. A genere, ut Mecœnas generoſiſſimus. Ab opibus, Crœſus regum opulentiſſimus. A forma, Nireus formoſiſſimus. A uiribus, Milo Athleta fortiſſimus. A patria, Vlyſſes Ithacenſis. Ab actu, Monſtrorum domitor Hercules. Ab euentu, Bis capti Phryges. In ſumma, ab omnibus fortunæ commodis, aut incommodis. Neque refert an hæc Epitheta ſint adiectiua nomina, nec ne, modò quocunque pacto proprietas quædam attribuetur, non perſonis tantum, uerumetiam rebus: ut, Præceps iuuenta, præceps & amens conſultor amor, eſca malorum uoluptas, moroſa ac difficilis ſenecta, uitiorũ expultrix philoſophia, humanæ uitæ ſpeculum comœdia, uitæ magiſtra hiſtoria. In poëmatis licebit naturalibus Epithetis uti: ut, Cãdida nix, liquidi fontes, frigida nox, uolubilis annus, aureus Sol. In oratione proſa non oportebit adhiberi, niſi emphaſim quandam habeant, & ad rem propoſitam pertineant. Vt nõ im

Definitio

petrabis causſam tam iniquam ab Ariſtide iuſtiſſimo. Et coram Catone ſeueriſſimo morũ cenſore audes agere Floralia? id potiſſimum fiet in citationib. exemplorum, aut ſententiarum. Ariſtarchus eruditiſſimus, & idem diligentiſſimus. Cicero eloquentiæ princeps. Plato certiſſimus autor.

Septima locupletandi ratio.

Septimum caput Copiæ rerum eſt Epithetõ, id eſt, adiectiuum nomen, aliudue tale rei additum inſtar tituli, ab aliqua proprietate uel effectu ſumtum, quod fungitur uice fere breuis deſcriptionis, ut cum Virgilius Æneam uocat inſignem pietate uirum, & Lauſum quo non ſit pulcrior alter. Oriturq; hoc caput prorſum ex loco Topices, qui uocatur a proprijs, item ab effectibus. Cauere autem oportet, ne Epitheta ſint ocioſa, aut inepta, ſed ut peculiarem quandam notam & ſignificationem naturæ proprietatiſue in illa re oſtendant. Exempla ſunt innumera & optima apud Homer. & Virgil. alioſque poëtas: nam in ſoluta oratione nõ ſunt ita libera & frequentia Epitheta, niſi ubi periphraſim faciunt. Adhibentur uero plerunque explicandi uel laudandi uel uituperandi gratia perſonis & rebus.

Cautela.

Octaua ratio.

Circumſtantiæ

Octaua dilatandi ratio ſumitur à circunſtantijs, quas Græci Periſtaſes uocant. Eæ partim ſunt rerũ, ut cauſſa, locus, occaſio, inſtrumentum, tempus, modus, atq; id genus aliæ. Partim perſonarum, ut natio,

tio, patria, sexus, ætas, educatio, & disciplina, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studium, anteacta, commotio, consilium, nomen. Conducit autem ad multa circumstantiarũ aptus ac tempestiuus usus. Primum ad amplificandum atque extenuandum, de quo mox paucis dicturi sumus. Deinde ad euidentiã, de qua paulò antè diximus. Præterea ad confirmationem & probabilitatem. Facit enim ut tota oratio densis ac crebris argumentis undiq; differta sit & communita. Quæ tametsi non explices quasiq; in aciem educas, tamen pugnant per seſe, causſamq; non mediocriter adiuuant: Vt quemadmodum, licet aliud agentem, tamẽ agnoscere liceat, palestricæ aut musicæ peritum: Ita ubiuis ex huiusmodi circumstantijs commode suo loco admixtis, Rhetorem intelligere possis. Quod quoniam per omnem orationem fusum est, exemplo breui ostendi non potest.

Octaua dilatandi ratio.

Octauum caput Copiæ rerum est circunstantia, Græcis dicta περίστασις, ex qua incredibilis Copia argumentorum atq; ornamentorum in qualibet causſa fere suppeditatur, adeo ut plera que pars argumentorum Rhetoricorum & credibilium ex hoc capite petatur. Nostrates Dialectici in Topica ponunt locum a communiter accidentibus, generalem quasi cuilibet materiæ argumentandi, quæ alioqui non satis commode & promte in alios locos Topices referri statim potest. Illo loco communiter accidentium com

prehendi & cõtineri possunt commode circumstantiæ: tametsi Dialectici signa quoq; in eum referunt, de quibus infra cap. 12. Verum circunstantia est adiectum quiddã rei extrinsecus, ita ut possit ab ea re non tantum imaginatione, sed & uere separari, cum plerunq; non necessario, sed contingenter rei applicetur. Vnde & Rhodolphus circunstantias uocat applicita rebus. Est autem magna controuersia apud Theologos quoq; & Iureconsultos, utrum & quomodo circunstantia uariet speciem facti uel rei, an nouam pariat an secus, ut Cicero quoq; in 1. Offic. disputat in cap. de Temperantia & Decoro. Item Rhetores de apte dicendo & orationis decoro, ut Fab. in 11. cap. 1. Et quidem uidetur uariari facti species, uel saltem qualitas iuxta circunstantias, ut aliud est saltare in nuptijs in spectando, quam saltare in foro uel in templo. Sed studioso Rhetoricę satis est scire qualitatem uel accidentia rerum mutari uel uariari per circunstantias: quod enim uni licet, non statim alteri quoq; licet. Non consentiunt tamen Rhetores in numero circunstantiarum, quamuis re uera nihil impedit ista diuersitas numeri, quia uerbis tantum & non re differt admodum. Ex Fabio quidẽ licet colligere duodecim circunstantias, quæ sunt persona, causa, locus, tempus, numerus, occasio, facultas, instrumentum, modus, actus, tempestiuitas & casus. Sed minui potest hic numerus, quia facultas & occasio idem est, sicut tempus & tempestiuitas, sicut modus

&

& actus sunt idem. Idem Fabius ex decem prædicamentis, uel saltem ex posterioribus sex prædicamētis Aristotelicis facit circunstantias in suo opere lib. 3. cap. 8. uerum non satisfacit Aristotelicæ sententiæ hæc expositio Fabij. Sit ergo numerus circunstantiarum nouenarius. Primo persona. Secundo causa. Tertio locus. Quarto tempus. Quinto occasio. Sexto instrumentum. Septimo modus. Octauo numerus. Nono casus. Quas nouem hoc disticho libet complecti.

Quis quoties occasio ubi cur quomodo quādo.
Casus & instrumentum cuiusq; πρόσασις esto.

Prima circunstantia persona, recipit uiginti quatuor locos circiter, enumeratos supra eodem cap. 5. qui sunt natio, patria, genus, &c. quabus persona describitur plerunque, ut apertissima & copiosissima docent exempla apud Plutarchum in uitis Imperatorum, & apud Æmilium Probum in uitis Imperatorum Græcorum, quos duos autores utile est conferre, ut uideatur discrimen inter Copiam Plutarchi & breuitatem Æmilij. Nam fere eosdē principes describit uterq;. Vide & alios historicos uel declamatores, qui integram uitam aliquot personarum descripserunt. Secunda circunstantia est causa, quæ hic significat prorsus efficientis uoluntariæ intentionem, uoluntatem, propositum, consilium, quod tendit in aliquem finem medium aut ultimū, & significat etiam usum aut finem negocij propositum, propter quem finem quispiam facit hoc aut illud. Huc ergo refertur cau-

sa uoluntaria non naturalis. Et quisq; agit quadrifariam: uel enim propter boni adeptionem, incrementum, conseruationem & usum, uel propter mali euitationem, imminutionem, liberationem & conseruationē agimus teste Fabio, & ipsa experientia. Huius rei exempla nō in oratoribus solum, sed in communi quoq; experientia sunt passim obuia. Sic Cicero prolixe argumentat Clodium fecisse Miloni insidias, quod uideret Milonem obstare suis conatibus & gloriæ. Et cōtra Clodium a Milone iure cæsum, eo quod in animo suo proposuerit Rempublicam afficere magno & insigni cōmodo, si Clodium ciuem inquietissimum e medio tolleret. Sed aduertere oportet, & probe iudicare, huiusmodi intentionem uel consilium sæpe fallere, sæpe quoque praua & erronea esse. Tum ergo non quidem consilium, sed uel opinio & error, uel affectio praua aut stulta uocabitur, ut mox infra in quinta circunstantia uidebimus. Tertia circunstantia est occasio, quam facultatem & oportunitatem & auxilia uocant alij, ut facilius est paucos a multis, improuidos ab insidiosis, pauperem a diuite opprimi, & ex hoc loco sumuntur argumenta & coniecturæ a facili, possibili, difficili. Quarta, est instrumentum quod dicitur causa efficiens, ociosum quidem, sed tamen adiuuans, ut peius est occidere ueneno quā gladio. Turpius est mori crapula quam morbo aut cura. Quinta circunstantia, est modus, ut ex insidijs, ex aperto, blanditijs, minis, criminibus

ali-

aliquem aggredi. Huc refer actum, hoc est, proxim in rebus aut factis. Huc refertur etiam scientia, ignorātia, dolus, error, necessitas, casus, culpa, furor, de quibus & Iureconsulti plurima, & Fab. in lib. 7. cap. de qualitate disserunt. Sexta est locus, qui est aut prophanus aut sacer, publicus aut priuatus, immunis aut nō immunis, saluber aut grauis, domesticus aut alienus, & sic obseruā similes differentias loci. Septima, est tēpus, ut dies sunt festi, aut profesti, tēpus pacis & belli, lętitię, luctus &c. Octaua, est numerus, ut quoties aliquod officiū uel crimē sit admissum, plurimū refert in priuatis & publicis negocijs. Maiora enim & grauiora sunt officia uel delicta, quæ ingeminantur. Nona circunstātia, est casus, id est, successus rei consilij & euentus iuxta illud:

Careat successibus opto.
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Ex his nouem circunstantijs sumuntur, ut dixi, plurima Rhetorica argumenta, ornamenta, & effectus quoq; ut probat Macrobius in 4. Opus est autem, ut has circunstantias, ualde prudenter obseruemus, ut honestum, decorū, utile, iucundum, facile, difficile, possibile, licitum, tolerabile: & contra, turpe, indecorū, pernicio-sum, iniucundū, impossibile, illicitū, intolerabile. Et ualēt circunstantiæ, plurimū ad describendum, laudandum, uituperandum, probandum, afficiendum, amplificandū, diminuendum, in affirmatiuā & negatiuam pariter partē, atq; harum alia prolixius tractari, alia breuius perstrin

gi uel

gi uel etiam omnino omitti poteſt, quia non omnes ex æquo cuilibet cauſſæ uel rei conueniunt.

Nona dilatandi ratio.

Nona dilatandi ratio cõſtat amplificatione. Eius complures formæ referuntur à Fabio. Nos eas breuiter attingemus, quæ ad præſens pertineant inſtitutum. Prima amplificandi ratio conſtat incremento. Quoties gradibus aliquot peruenitur, nõ modo ad ſummum, ſed interim quodammodo ſupra ſummum. Huius exemplum eſt apud Marcum Tullium in quinta in Verrem actione. Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, parricidium necare. Quid dicam in crucem tollere? Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt. Ad hoc genus pertinet & illud, cũ congeſtis ordine quodam circunſtantijs in contextu & curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur. Huius exemplum eſt in ſecunda Ciceroõis Philippica de uomitu Antonij. O rem non uiſu modo fœdam, ſed etiam auditu. Si inter cœnam in tuis immanib. illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu uero populi Romani, negocium publicum gerens, Magiſter equitum cui ructare turpe eſſet, is fruſtis eſculentis, uinum redolentibus, gremium ſuum & totũ tribunal impleuit. Hîc ſingulæ uoces incrementum habent. Etenim per ſe deforme fuerat, uel non in cœtu uomere, in cœtu etiam non populi, etiam non Romani, uel ſi nullum negociũ gereret, uel ſi non publicum:

licum: uel si non magister equitum. Hæc si quis diuidat, ac circa singulos gradus immoretur, augebit quidem orationis copiam, tamen minus efficaciter amplificabit. Huic contraria est comparatio. Nam ut incremento ad superiora tenditur, ita comparatio à minoribus incrementum petit. Fit autem comparatio, uel fictione uel exempli collatione. Fictione quam ὑπόθεσιν uocant, ut in prima parte exempli, quod modo retulimus ex Cicerone. Fingit enim hoc inter cœnam accidisse priuato. Eiusdem est illud in Catilinam. Serui me hercle mei, si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes tui, domum meam relinquendam putarẽ. Collatione exempli, quo ties proposito ueluti simili exemplo efficimus, ut id quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut maius etiam uideatur. Veluti Cicero pro Cluentio cum exposuisset Milesiam quandã à secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse, Quanto est, inquit, Oppianicus, in eadẽ iniuria, maiore supplicio dignus. Siquidem illa cum suo corpori uim attulisset, seipsam cruciauit. Hic autem idẽ illud effecit per alieni corporis cruciatum. In hoc genere nõ solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur, sicut hoc loco pro Milone. An uerò uir amplissimus Scipio, Tyberiũ Gracchum mediocriter labe factantem Rempub. priuatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atq; incendio uastare cupientem, nos consules perferemus? Hic & Catilina Graccho, & status Reipub. orbi terrarum, & mediocris

labe-

labefactatio cædi & incendijs & uastationi, & priuatus consulibus comparatur. Quæ si quis dilatare uelit, plenos per singula locos habeat. Amplificamus & ratiocinatione, cũ aliud crescit, & aliud augetur, hoc modo: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum uini in Hippiæ nuptijs exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu uomere postridie. Colligitur enim quantum uini biberit Antonius, qđ illa totius corporis gladiatoria firmitas non quiuerit ferre & concoquere. Ad hanc formã referendũ est quoties res atrocissimas quasq; in summam ipsi extulimus inuidiam, eleuamus consulto, quo grauiora uideantur, quæ sequuntura sunt. Quod genus est illud Ciceronis: Leuia sunt hæc in hoc reo. Metum uirgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio redemit. Humanum est. Atrocissimum quiddam expectetur necesse est, cui hæc quæ sunt atrocia, comparata, humana atque usitata uideantur. Amplificamus et congerie uerborum, ac sententiarũ idem significantium, quæ ratio finitima est figuræ σωϛοισμῷ, de qua prius dictum est. Vtitur hac Marc. Tullius in actione pro Ligario. Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas? Hic uelut aceruo creuit oratio. Idem fit interim omnib. altius atq; altius insurgentibus. Vt in hoc exemplo. Ade-

rat

rat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrór que sociorum, & ciuium Romanorũ lictor Sextius. Amplificamus etiam quasi correctione quadam, ut Cicero in Verrem, Non enim furem, sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorẽ pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumq́, non siccarium, sed crudelißimum carnificem ciuium sociorumq́ in uestrum iudicium adduximus.

Nona dilatandi ratio.

Nonum caput Copiæ rerum est amplificatio rerum, quam specialem cognominamus. Video enim Rhetores uocabulo amplificationis trifariam uti. Primo, ut significet amplificationem uerbi, de qua supra libro primo cap. 27. Secundo ut significet quamlibet rerum figuram, & quod liber schema tertij ordinis. Sic & alia capita copiæ rerum uocant amplificationem, id est, locupletandi ornandiq́ formas. Etenim hæc generalis est amplificatio rerum. Tertio, ut significet hanc specialem amplificationem, de qua in hoc cap. nono, & Fabius in 8. cap. 4. Verum hæc amplificatio specialis est χῦμα multiplex & splendidũ, quo ipsæ res augentur, maiorem speciem capiunt fere collatione alicuius splendidæ rei, aut coniectura simili & magnifica. Huius primarias formas quatuor hic Erasmus enumerat, post Fabium satis perspicue. Cæterum de amplificatione in genere sic ait Cic. in Oratore perfecto, Amplificatio augendis rebus apta, & si æquabiliter toto corpore orationis fusa esse debet,

bet, tamen cõmunibus locis maxime excellit, qui communes appellati sunt, eo quod uidẽtur multarum ĩdem esse caussarum, sed proprie singularum esse debebunt. Augendis autem rebus & contra abĩciendis, id est, diminuendis nihil est quod non perficere possit oratio, quod inter media argumenta faciendum est, quotiescunque ducitur locus & pene infinite in perorãdo. Hæc ille apud quem plurima & optima passim inuenies exempla. Et requirit amplificatio plerunq; genus dicendi copiosum & grande, tametsi leuiusculis rebus non est temere affingenda neq; immodice, ut Asiatici facere solent. Formæ autem eius sunt quatuor: scilicet, Incrementum a minoribus ad maiora. Comparatio a maioribus ad minora. Ratiocinatio a signis. Cõgeries ab enumeratione. Quæ formæ ex quibus locis Topices Dialect. nascantur facilime licet uidere. Nempe priores duæ ex loco similium. Tertia, ex signorum Rhetoricorum. Quarta, ex diuisione uel enumeratione sufficiente. Incrementum est αὔξημα rerum, quo ex minori ex aggeratione coniectura facienda est de multo maiore, atque adeo maximo, quæ coniectura magis animo æstimatur, quam uerbis exprimi queat, cum minora illa supra modum extulerimus. Exemplum habes pro Milone. Quod si scribis &c̃. usq; credenti, Et pro Roscio, Iis de rebus &c̃. usq; intellige. Item ibidem, Eo prorumpere &c̃. usq;, futura sint hæc omnia iudices imprudente Sylla, Et pro domo, Hic uis extra ordinem)

nem) Comparatio hoc loco est σχῆμα quum a maioribus exaggeratis sumitur coniectura de minoribus exaggerandis: hoc est, cum minora maioribus, facilia difficilioribus, indigna multo indignioribus comparamus, uel etiam præferimus, non argumentandi, sed tantum ornandi gratia, ut in 1. Æneid.

O terq; quaterq; beati.

Et in tertio Æneid.

O felix ante alias Priameia uirgo.

Et in quarto Georg.

Apes comparantur Quiritibus Romanis.

Ratiocinatio, est σχῆμα rerũ, quo amplificamus rem coniectura sumta ab aliquo signo, uel circunstantia maiore, quę fidem prope excedit, ut apud Virgilium in tertio Æneid. ingens corporis Polyphemi magnitudo datur cõiectanda ab his signis.

Truncam manum pinus regit & uestigia firmat.

Graditurq; per æquor

Iam mediũ, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

Iacuitq; per antrum

Immensum, saniem eructans, &c̃.

Amplificamus &c̃.) Quarta forma, quæ congeries est, ubi res plures ad idem pertinẽtes, uel diuersæ enumerantur, ut in 1. cap. ad Romanos amplificatur impietas Gentilium longa congerie, id est, enumeratione atrocium criminum, quæ sunt impietatis fructus, quum inquit Paulus: Quia Deum reprobarunt, tradidit eos in sensum reprobum &c̃. Et nascitur plane cõgeries,

ut dixi, ex diuisione Dialectica, & diuisione Rhetorica, de qua supra cap. 1. σωαθροισμῷ) id est, coaceruatione, quæ est diuersarum rerum proprie enumeratio. Correctione quadam) Hic quintus modus pertinet ad amplificationem uerborum, & ad hyperbolen, de qua supra in 1. capite 27. & 28.

Totidem autem sunt minuendi modi, quot sunt amplificandi. Pertinent ad orationis copiam & illi uulgares amplificãdi modi, quum uel aduerbijs, uel nominibus, uel alijs partibus appositis amplificamus, uel in laudem, uel in uituperium. Maiorem in modum me Cicero delectat. Dici nõ potest quàm tibi faueat socer. Verbis consequi nequeam, quàm me delectet Cicero. Verum de his augendi rationibus priore libro diximus.

Notus & usitatus est & ille modus amplificandi, cum speciem augemus generi collatam. Vt, Cum omnes disciplinæ liberales plurimum homini conciliant uel ornamenti, uel commodi, tum in primis eloquentia. Quanquam hanc quoq; rationem superius attigimus.

Decimum caput Copiæ rerũ est diminutio, quam extenuationem & eleuationem appellãt aliqui, χῆμα contrariũ superiori. Item duplex, scilicet diminutio uerbi supra in 1. cap. 29. & diminutio rei, de qua in hoc capite quarto. Et in genere, diminutio est figura, qua extenuamus & abiicimus aliquãdo rem, gratia uenustatis et modestiæ, uel contra propter contemtum rei

exte-

extenuatę efferendam. Ad diminutionem uerbi pertinent uocabula diminutiua contemtum & uilitatem significantia, ut homuncio, plebecula, fraterculus, atque alia quæ contemtum & probrum ingerunt: ut Cicero hominem semissium, terrę filium. Sic Virgil. semiuirum comitatum. Catullus percacatas cartas uocat. Sed diminutio rerum iusta sententia ac oratione personam ac rem extenuat, totidem fere modis quot formis amplificatio auget in contrarium fere sumtis. Prima forma diminutionis est per decrementum, quo schemate maioribus antea extenuatis minora deinde facile extenuantur. Sic Hannibal in primo de bello Punico in concione sua extenuat difficultatem Alpium, quæ tamen erat longe maxima, ut alios quoq; labores itineris præ illa paruos esse ostenderet. Secunda forma comparatio, ut si optimum aliquid malo compares, nobile ignobili, pulcrum sordido, ingens paruo, honestum turpi, utile pernicioso. Sic enim rei meliori ac maiori inurit̃ nota tam uili collatione, ut si dicas monetam esse tam bonam quam si sit plumbea. Huius exemplũ optimum habes pro Murena, ubi Iurisscientia extenuatur. Contrario modo quam dixi irridemus, quo & extenuamus, si parua magnis, si dissimilia inter se nulla proportione cõferamus, quasi per ironiam, ut si inepto Poëtę & uersifico dicas ipsius carmina meliora esse Ouidianis. Tertia forma, idẽ ratiocinatio, quando contemtũ efferimus rei ex aliquo signo circunstantiaue mino

re, leuiore, peiore, ut si dicam adeo fortem militem esse Thrasonem, ut crepitum foliorum & umbram suam metuat. Si dicã tanti te facio, ut ne obulo quidem redimerem uitam, bonaq; tua. Quarta forma congeries, cum multa coaceruamus utilitatem & contemtum significantia, ut conuicia, probra, contumelias, sicut Menedemus inquit, in me quiduis horum conuenit, caudex, stipes &c. Et in huiusmodi probrosa diminutione artifex est Cicero cum insectatur & conuiciatur. Tam enim bene diminuere, quam splẽdide amplificare solet, ut in oratione contra Pisonem, & de prouincijs. Item in Verrinis & Philippicis. Artifex idem est Cicero in modesta, ciuili, uerecunda, dissimulatoriaq; diminutionẽ, quali fere in exordijs, in literis officiosis, in gratiarum actionibus utimur, ut statim in Exordio primæ Epistolæ, in primo libro ad Lentulum. Caueri tamen in diminutione probrosa acerbitas nimia & libido conuiciandi, immodicaq; amarulentia, qua nihil est apud honestos uiros odiosius. Nam multo efficacior & gratior est diminutio, & offensio ironica ueteratoria, dissimulatrixq; extenuatio & irrisio, quam aperta nimis atq; irata illa insectatio. Sic irrisiones Syri multo sunt gratiosiores in Demeam quam Demeæ Tragica conuitia. Sic & Cic. falsi plerunq; in aduersarios solet ludere. Vide pro Flacco quam comiter Græculos testes irrideat. Plura huc congere ex Fabio, libro 6. capite 4. de risu & facetijs.

Deci-

Decima dilatandi ratio.

Decima dilatandi ratio inde sumitur, ut quàm maximum propositionum numerum reperiamus. Est autem propositio Rhetorica, cui probandæ adhibentur argumenta. Porrò quemadmodum inuenienda sit propositio, Fabius negat arte comprehendi posse, cæterum ingenio atq; usu constat ea facultas. Atq; inde fit ut complures eadem didicerint, generibus argumentorum similibus utantur, alius tamen alio plura quibus utatur inueniat. Sumuntur autem propositiones partim ex his, quæ sunt uulgaria, partim ex his, quæ sunt propria caussæ. Exemplum sit hoc, quod placuit Quintiliano, Cum Thebas euertisset Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisse Thebanos cõtinebatur. Eas tabulas, quòd esset usus cõmilitio Thessalorũ, donauit his ultro. Postea restituti à Cassandro reposcunt Thebani Thessalos. Res apud Amphyctionas agitur. Centum talenta et credidisse eos constat, & non recepisse. Lis omnis ex eo, quòd eas Alexander Thessalis donasse dicitur, pendet. Constat & illud, non esse ijs ab Alexandro datam pecuniam Thebanorum. In hoc igitur argumento huiusmodi propositiones ac partes, ceu columnæ reperiendæ sunt. Prima pars erit, Alexandrũ nihil egisse donando. Secunda, nõ potuisse donare. Tertia, non donasse. Ac primæ quidẽ partis, prima erit propositio pro Thebanis, iure repeti licere quod ui sit ablatum. Pro Thessalis hæc erit, tabulas non simplici-

ter ui qualibet, sed bello sublatas esse. Ius autem belli plurimum ualere in rebus humanis. Hoc regna, hoc populos, hoc fines gentium atq; urbium contineri. Huic rursum aliam propositionem opponunt Thebani. Non omnia in uictoris potestatem uenire iure belli, sed in his quæ in iudicium deduci possunt, nihil ualere ius belli, nec armis erepta, nisi armis posse retineri. Itaq; ubi illa ualeant, non esse iudicem: Vbi iudex sit, nihil illa ualere. Atq; ea quidem è caussæ circumstantijs sumitur, quibus ostendi potest, quid hæc caussa distet à cæteris. Ad huius autem propositionis confirmationem sumitur à locis exemplum simile. Ideo captiuos, si in patriam suam redierint liberos esse, quia bello parta, non nisi eadem ui possideantur. Tertia pro Thebanis propositio, ducetur & ipsa ex caussæ proprijs. In eo iudicio potissimum esse spectandam æquitatem, in quo Amphictyones iudicent. Aliam enim apud centum uiros, aliam apud iudicem priuatum, in eisdem quæstionibus esse rationem. Atq; hæc quoq; eò ualent, ut appareat hanc caussam distare à cæteris, in quibus ius belli ualere debeat. Porrò secundæ partis pro Thebanis probatio fuerit. Non potuit donari à uictore ius, propterea quòd id demum uictoris sit, quod teneat ius cum sit incorporale, apprehẽdi manu non posse. Rursum ad huius probationẽ adhibetur argumentũ à dissimili. Aliam esse conditionem hæredis, aliam uictoris. Ad illum ius, ad hunc rẽ transire. Iam ex caussæ proprijs altera sumetur pro-

propositio, superiori ueluti subseruiens. Nempe hæc: ut donemus ius aliâs ad uictorem transire, certe ius publici crediti ad uictorem transire nullo modo potuit. Propterea quòd si quid populus crediderit, id omnib. debeatur. Et quamdiu unus superfuerit, is sit totius summæ creditor. At Thebanos non omnes in Alexandri manu fuisse. Atq; hæc quidem non eget probationibus. Tertiæ partis uulgaris, hoc est cuiuis caussæ congruens, propositio erit huiusmodi. Non donauit Alexander cum tabulas donaret: neq; enim in tabulis esse ius. Eaq; propositio multis argumẽtis defendi potest. A simili, neq; enim quisquis hæreditatis habet tabulas, idem hæreditatis habet ius. Etsi fortè creditor tabulas amiserit, non continuo liberatur debitor. Altera propositio coniecturalis est. Alexandrum non hoc animo donasse Thessalis tabulas ut honoraret, sed ut deciperet. Eaq; uarijs coniecturis erit probanda. Tertia iam non proprie ad hunc gradum attinet, sed est ueluti nouæ controuersiæ initiũ. Sumitur autẽ è proprijs materiæ. Estq; huiusmodi: ut omnia donemus Thessalis, ius belli ualere in iudicijs, & apud hos iudices, & in publico credito, atq; item de cæteris, tamen si quid amisere Thebani ab Alexandro uicti, id à Cassandro restituti receperint oportet, maxime cum id uelit Cassander. Item si quis suadeat M. Tullio, ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, nempe ut uiuat exustis Philippicis, his fermè propositionibus poterit uti. Non esse cuiquam egre

gio uiro tanti emendã uitam, ut immortalem famam amittat. Huic generali subseruiet particularis è circunstantijs sumta: præsertim Ciceroni, qui tot laboribus clarißimum, semperq; uicturum nomen sibi pepererit, ac mortem esse contemnendam tot præclaris uoluminib. editis facundißime demonstrarit, maxime cum iam seni non multum æui superesse uideatur. Rursum altera principalis sumetur à circunstantijs. Nihil infelicius esse quàm Ciceronem uirum optimum debere uitam Antonio omnium peßimo. Tertia coniecturalis erit, callidè hoc agere Antonium, ut exustis prius Philippicis, in quibus intelligat & suam infamiam sempiternam, & Ciceronis immortalem gloriam esse sitam, deinde erepta uita quoq; totum extinguat Ciceronem. Item si cui matrimonium dissuadeas, his licebit uti. Prima fuerit, si pietatem spectes, matrimonium est impedimento properantibus ad Christum. Secunda, si uitæ iucunditatem, innumeras curas secum adducit & felix coniugium. Atque hîc protinus aperit se latißimus campus de comparatione commodorum cœlibatus, & incommodorum matrimonij. Tertia, si libertatem, quã multi & uitæ anteponunt, hanc in primis adimit coniugij uinculum. Deinde ad particulares uenies, quæ possunt esse innumerabiles: ut non hæc ducenda est, non hoc tempore. Aut tibi non est ducenda uxor, pauperi, seni, studioso, ualetudinario. Crescit autem numerus propositionum etiam hoc pacto, quoties à fictione incipimus. Quemadmodũ

pro

pro Milone Cicero. Fingite à Milone per insidias occisum Clodium, tamen qui ciuem tam pestilentem pro salute Reipub. periculo capitis sui sustulerit è medio, summis etiam honoribus dignus uideatur. Deinde ad seriem accedit: sed non occidit. Crescit item quoties præparandi causſa duriorem aliquam propositionem extra rem propositam præmitti-mus, quo mollior uideatur ea, quam conamur euince re. Veluti si quis in consultatione persuadere cupi-ens, ne Romanus põtifex Venetos bello adoriatur, iuxta prouerbium, quo dicitur, Iniquum esse peten-dum, ut æquum feras, sic rem prius labefactet. Sunt autores nequaquam contemnendi, qui putent impe-rium, ac prophanam ditionem nequaquam conueni re, neq; dignitati summi pontificis, neque tranquil-litati ecclesiæ, neque Christianæ pietati, cui uni re-bus omnibus neglectis, ille debet consulere. Atque hæc propositio, uelut obiter ex abundanti plurimis argumentis probari poterit. Deinde ad alterã de-scendet ad hunc modum. Hæc quidem atque huius-moli multa, alius fortasse diceret: uerum donemus conuenire, tamen longè alienũ est à clementia Chri sti uitem gerẽtis, qui dixit, Discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde: huiusmodi principatum ar-mis, tumultu, cæde, sanguine uel petere uel repete-re. Post ad tertiã ueniet, ut maximè fas sit, tamen pa rum est tutũ, propterea quòd anceps euentus belli. Vnde periculũ sit, ne dum temporarijs ac fluxis re-bus ecclesiæ statum restituere conatur, penitus sub-

uertat, atq; id quoq; compluribus exemplis ac similibus confirmari potest. Deinde digreditur ad tertiam hoc pacto, ut deceat, ut liceat, ut uincas, tamen tanta malorum colluuies etiam bellum iustißimum consequitur, ut non tanti uel prophano principi modo Christiano, debeat esse terras aut urbes aliquot ferro repetere, nedũ ei, qui sanctißimi titulum præ se fert. Posset adijci & hæc propositio è circunstantijs personæ. Vt alium pontificem deceat, Iulium tamen non decet. Si is sit Iulius, cuius mite ingenium, et singularis uitæ sanctimonia, à bello uideatur abhorrere. Quæ posteaquam argumentis probarit, tum ad id de quo proprie consultatur, descẽdet hac ratione, ut nihil horum nos deterreat, quæ commemorauimus, tamen in præsentia bellum cum Venetis suscipere parum esse consultum uidetur. Et hæc à circunstantijs sumitur. Atq; hanc propositionem rursum diuidet. Primum quòd sine summo rei Christianæ discrimine bellum id moueri non possit. Deinde quod sedes Romana, apud quã piè factis semper summa fuerunt præmia, parum meminisse uidebitur officiorum, quæ sæpenumero ea gens summo cum uitæ discrimine in Christianam contulerit religionẽ. Postremò, quòd ne caussa quidẽ idonea est, cur etiam aduersus nihil promeritos arma mouere oporteat. Nisi quis has non propositiones, sed rationes esse malit. Tametsi nihil uetat, quo minus eadem sententia propositio sit, et ratio. Item si quis persuadere studeat regi cuipiam, ne bellum suscipiat cum Chri-

Christianissimo Gallorum rege, his propositionib. munire uiam ad causſam poterit. Primum bello con flictari, non esse hominis, ad beneuolentiã nati, sed brutorum animantium, quib. natura arma quædam addidisse uidetur. Hæc est generalis. Huic subserui et altera propositio. Imò nec omnium animantium, sed ferarum duntaxat. Rursum huic tertia subser- uiet. Atq; adeo ne feræ quidem hoc pacto inter se dimicant, quo mortales. Neq; enim Tigredi cum Ti- gride bellum est, neq; Leoni cum Leone. At homo non in aliud animal æquè sæuit atq; in hominem. Tum feræ non certant, nisi aut tuendi fœtus causſa, aut famæ in rabiem actæ. Hominem inanis ambitio, ac tituli, nescio qui, leues & affectati, ad tam sangui nolenta bella concitant. Huic iam succedet quarta è circunstantijs, quasi nouus gradus. Vt hominum sit bellare, certe barbarorum est, ac feris non admodũ dissimilium, non eorũ qui legibus uiuunt. Adde quin tam, ut horum etiam sit, haudquaquam tamen Chri- stianorum. Quandoquidem Christiana religio nihil aliud est quàm pax. Licebit adijcere sextam, ut de- ceat, non expedire tamen bellum suscipere, quòd o- mnibus pensitatis, multo plus malorũ est, quæ belli causſa suscipiuntur, quam bonorum, quæ uictor et- iam consequatur. Id iam contentione erit explican dum. Septima quoq; reperietur: ut expediat, non tamen esse tutum, & ancipitem esse belli exitum. Ne que enim semper uincere, quorũ melior est causſa, aut qui superant apparatu: ipsas etiam copias in

suum

ſuum ducem nonnunquam arma uertere. Atq; hæ quidem propoſitiones magna ex parte generales ſunt. Tum ad particulares uenire licebit, quæ ſumẽ tur à proprioribus circunſtantijs. Vt omnia mitta-mus, tibi nõ eſt belligerandum, præſertim cum tali. Atq; hæc in multas diuidi poteſt, uel quia puer es, & belli imperitus, uel quia nouus rex. Atq; item de cæteris. Nam exempla rationum duntaxat oſtendo. Rurſum, nõ cum hoc rege bellandum, tam potente, tam de patre tuo benemerito, tot uinculis tibi adſtri cto, tamen in teipſum etiam officioſo. Aut nõ hoc ti tulo, nõ hoc tempore, non his præſidijs. Ad eundem modum, ſi quis ſuaſurus alicui, ne literis Græcis det operam, primum hanc tentabit propoſitionẽ. Aut non magnopere ad Chriſtianam felicitatem ullas lite ras pertinere, aut etiam officere. Eam ubi probabi lem effecerit argumentis, tum ad rem ueniet hoc pa cto: Vt demus eſſe cauſſam, cur literis cæteris opera-ram demus, certe à Græcis abſtinendum: uel quod tantum habeant negocij, ut his diſcendis uita morta lium alioqui fugax ac breuis, & imbecilla non ſuffi ciat: uel ſi ætas maxime ſufficiat, non tantum adfe-runt fructus ut operæprecium ſit eas etiam media-cribus laboribus parare. Poſtremò Græciæ ſubuer ſæ & oppreſſæ fortunam comitari fato quodam eos quoq;, qui literis huiuſmodi ſeſe dediderint. Aut ſi alijs diſcendæ ſunt, illi certe nõ eſſe diſcendas. Quæ iam è circunſtantijs ſumitur, cuiuſmodi plures ſumi poſſunt. In huiuſmodi propoſitionibus illud obſer-

uandum

uandum arbitror, ut quoad fieri potest, ita dispo-
nantur, ut à priore ad proximam quanq;, quasi gra
dibus commode liceat descendere. Qua quidem in
re mirus est Lucianus, ut in tyrannicida, quem nos
Latinum fecimus. Si tantum conatus essem facinus
tam egregiũ, cum tanto capitis discrimine, iam præ
mio dignus eram. Deinde hinc digressus. Atqui non
tentaui solum, uerumetiam filium repulsis custo-
dijs occidi, num præmium feram? Hinc rursum discedẽs.
At patrem quoq; sustuli, data mortis occasione.
Item in abdicato, quem ipsum quoq; Latinum feci-
mus. Non licet abdicare, quem semel abdicatum, de
nuo in familiam receperis. Tum si maximè liceat, ob
istam tamen caussam non licet. Postremò si caussa
maximè sit idonea, tamen ea est magnitudo superio
ris beneficij, ut eius respectu negligẽda sint delicta
patri. Quod si turba propositionum nos offendet
tribus aut quatuor uniuersam caussam complecte-
mur, ac deinde in tractando unamquanq;, si uidebi-
tur, in alias propositiones digeremus. Summas illas
nonnunquam in diuisione proponimus. Diuisionem
appello quasi limen argumentationis, aut proponi-
mus in summa, quid, quo ordine simus dicturi: non-
nunquam in ipsa caussæ tractatione, ab alia ad ali-
am, ueluti gradibus quibusdam descendimus. Aut si
natura parum inter se cohærebunt, ipsi commodis
transitionibus in hoc repertis apte connectemus.
Nam affectanti copiam, in primis illud erit spectan
dum, ut eas reperiat propositiones, quæ quicquid

ad

ad cauſſam pertinet, abſolute complectantur. Deinde ut recte diuidantur, poſtremò ut ordine quàm maximè ad cauſſam idoneo diſponantur. Siquidem eo pacto fiet, ut neq; copia rerum confuſa ſit oratio, dum ſemper habet auditor certum aliquid et in quod tendat animum, & quod meminiſſe poſit, & quod expectet. Tum is qui dicit, nuſquam hæreat, dum in promtu eſt, quo ſeſe recipiat in uiam. Sed propoſitionum inuentionem negat, ut dixi, Fabius arte tradi poſſe, cũ ea tamen tum prior ſit, tum difficilior. Verum adiuuabit principio quod ubiq; ualet plurimum, natura & ingenium. Deinde iuris prudentia, præſertim in genere iudiciali. Philoſophiæ moralis hiſtoriæ, & plurimorum autorum cognitio, in genere ſuaſorio, ac demõſtratiuo. Poſtremò rerum plurimarum uſus, exercitatio et imitatio. Nam & ſimilib. facile ſimilia aut etiam diuerſa colliguntur. Quanquam ex ipſa rei natura uulgares propoſitiones reperiri poterũt, propriæ ex circunſtantijs rei diligenter expenſis. Deniq; felix ingenium adiuuabunt Rhetorum præceptã de cauſſarum capitibus, quæ Fabius ſtatus uocat. Græci στάσεις. Porrò genus ſuaſorium proprios habet locos, unde propoſitiones petere liceat, Rectum, laudabile, utile, tutum, facile, neceſſarium, iucundum. Demonſtratiuum item ſuos habet, nempe bonorum ordines, & quæ his comprehenduntur.

Decima dilatandi ratio.

Vndecimum caput rerũ, eſt propoſitionum multi-

multiplicatio, quæ fit ita, cum unius cauſſæ ſtatus propoſitioq; cauſſa primaria pluribus alijs propoſitionibus atque argumentis explicatur ac probatur, iuſto tamen ordine, ne fiat propoſitionum cōfuſio, ut infra in nono exemplis patet in orationib. Ciceronis. Et hoc caput, ut infra dicam, proprie ſpectat ad Topicam & ad inuentionem medij, ubi docetur quo modo eadem concluſio & propoſitio inferatur & probetur ex multis medijs, id eſt, rationibus & premiſſis. Spectat item hoc caput ad diſpoſitionem, quia copia & multitudo propoſitionum atque probationum indigeſta nihilo plus ualet ad uictoriam cauſſæ, quam milites incompoſiti, atque in ſuas acies non locati. Oportet ergo huic multitudini diſpoſitionem atq; ordinem accedere, de quo inſtruendo Fabius totum fere ſeptimum librum abſumit. Cæterum propoſitio eſt oratio perfecta uerum aut falſum ſine ambiguitate ſignificans: hæc ſi illata ſit ex premiſſis, id eſt, maiore & minore, tunc uocatur concluſio, ut in ſyllogiſmo: ſin autem illata ſit ex antecedente, tum uocatur conſequens, ut in Enthymemate, inductione & exemplo. Propoſitionum autem alia eſt certa, alia incredibilis, alia falſa. Propoſitio certa eſt quæ non quidem indiget probatione, ſed alias nempe credibiles ipſa probat. Sic principia complexa de natura, aut moribus, aut ſermone, ſunt propoſitiones certæ, & nobis quidem, uel per naturam, uel per doctrinam notæ, adeo, ut nihil amplius de ijs dubitet

ſanæ

sanæ mentis homo, ut omne totum est maius sua parte, ut quodlibet est uel non est, ut uerum & falsum præsumunt congruum, & reliqua. Sic propositiones per experientiã nobis notæ sunt etiam certę, & uim quasi certissimarum habent propositionum, præcipue ad uulgus. Atq; ex his certis fiunt demonstrationes, id est, probationes necessariæ, de quibus alias apud Aristotelem & in Dialectica, ubi de materia naturali propositionum disseritur, & de demonstratione. Propositio credibilis est propositio ambigua, dubitabilis & probabilis, quę ut ipsa indiget probatione, sic aliam quoq; dubiam propositionem eadem ipsa credibiliter probare potest. Sed certam credibilibus & dubijs confirmare uelle mera est stultitia: quin contra Dialectica dubia & credibilia maxime conatur certis probare: uerum apud Rhetores dubia non semper certis, sed plerunq; credibilibus probantur & explicantur, & hinc fiunt argumenta Rhetorica, id est, credibilia, de quibus in utranque partem disputare & controuerti licet. Porro credibilia sunt duplicia: nam quædam bonis & prudentibus tantum sunt credibilia, uulgo autem & indoctis uidentur incredibilia, ut, sol est aliquoties maior quam terra, ut, aër est humidior quã aqua, ut, nihil est utile nisi quod sit honestum, ut, sola uirtus beatũ facit, & similia paradoxa, id est, inopinata & opinioni uulgi dissona. Quędam contra sunt credibilia uulgo & indoctis, sed ea reprobant boni & docti, ut uulgares & erroneæ

roneæ opiniones ex prauis affectibus & inscitia natæ, ut:

O ciues ciues quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Vt, uoluptas est summum bonum & finis hominis, ut, si ius uiolare licet, regni gratia uiolandum est, in cæteris pietatem cole. Huc adde credibilia media, quæ & doctis & indoctis probantur. Atq; hæc proprie sunt credibilia uocanda, cum priora illa fere sint uera, posteriora uero plerunq; sint falsa. Propositio falsa est, quam uel experientia, uel doctrina, uel natura reprobat & redarguit, ut ignis frigefacit. Quanquam sæpe propositio falsa apparet alicui imprudenti uera esse in speciem, sed deniq; reperitur esse falsa. Et ex huiusmodi apparentibus ueris, cæterum falsis per se fit paralogismus, id est, syllogismus sophisticus, qui imponit stultis, indoctis, uel imprudentibus. Et hanc falsam propositionē Dialectici uocant impossibilem uel remotam. Sic credibilem appellant continentem fere, certam uero necessariā. Rursum apud Dialecticos propositio alia est uniuersalis, alia indefinita, alia particularis, quarum subiectum non est singulare aut indiuiduum nomen, sed earū subiectum est nomē uniuersale & commune, scilicet generis uel speciei, ut, omnes diuites sunt animosi, ut diuitiæ faciunt animos, ut, quidam diuites sunt animosi. Alia propositio est singularis, cuius subiectum est indiuiduum & singulare nomen, ut Crassus diues est animosus. Crœsus est diues. Sic

enim quantitas propositionis plane iudicatur a subiecto in hunc modum fere apud Rhetores. Sicut duplex est quæstio, scilicet, Infinita & finita, ut, An sapienti uiro sit ducēda uxor. An diuitiæ faciant animos: & quæstio finita, id est, singularis, an Crœsus sit diues: an Cicero sit studiosis prælegendus. Ita etiam duplex est propositio Rhetorica, scilicet infinita, ut sapienti uiro est ducenda uxor: ut, diuitiæ faciunt animos, & hanc uocant θέσιν, id est, communem propositionem. Alia est propositio finita, id est, singularis, ut, Crœsus est diues, ut, Cicero est studiosis prælegendus, & hanc uocant hypothesin, id est, causſam uel propositionem singularem. Itaque ὑπόθεσις Rhetorica eadem plane est, quæ propositio singularis Dialectica. Sed θέσις Rhetorica complectitur propositionem Dialecticā uniuersalem, indefinitam & particularem, tam quam suas species, atq; hoc modo discernere ὑπόθεσιν a thesi secundū singulare & commune subiectū, uidetur mihi sane tutissimum, maximeq; perspicuum, tametsi uideam pleroſq; Rhetores propositionem cōmunem, cuius subiectum sit nomen speciei, uocare hypothesin respectu sui generis, ut hanc dicant esse thesin, sapienti est ducenda uxor. Iam uero quia sapiens alius est Politicus, alius est Philosophus, has sequentes duas propositiones uocant ὑποθέσεις, respectu prioris generalis, scilicet, Politico uiro est ducenda uxor, & Philosopho uiro est ducenda uxor. Verum hic cuiq; suum liberum permitto

mitto iudicium. Nobis interim docendi gratia sola ꝓpositio singularis Dialectica sit ὑπόθεσις Rhetorica, & propositio cõmunis ex subiecto nomine speciei, uel generis sit thesis Rhetorica. Est ergo thesis ꝓpositio uel uniuersalis, uel indefinita, uel particularis, cuius subiectum non est indiuiduum & singulare nomẽ, sed est communen nomen generis uel speciei, ut, studiosi debent perlegere Ciceronem, ut, diuitiæ addiderunt animum Crasso: & hic tametsi duo singularia nomina, uidelicet Crassi & Ciceronis ponantur, tamẽ neutra hypothesis, quia illa duo appo nuntur prædicato, sed subiecta, scilicet studiosi & diuitiæ sunt nomina communia. Sed hypothesis est propositio singularis, cuius subiectũ est nomẽ indiuiduum uel singulare, ut, Cicero est studiosis prælegendus, ut, Crassus superbit diuitijs. Sicut autem indiuidua & singularia continentur in sua specie, & communicant ex æquo naturæ suæ speciei, & explicantur per suam speciem: & sicut species continẽtur in suo genere, & communicant naturæ sui generis ex æquo, & definiuntur per suum genus, sic hypothesis, id est, propositio singularis semper nascitur, explicatur & indicat ex sua τῆσ θέσεωσ. Iam thesis est duplex, scilicet, generica, cuius subiectum est nomen generis, ut uirtus facit beatum, ut, diuitiæ faciunt animos, & thesis specifica, ut cuius subiectum est nomen speciei, ut iustitia facit beatum, ut, pecunia facit animos, ut possessiones faciũt animos. Hypothesis uero est unius formę,

ut, ergo omnis dictio et res est uel genus, uel spe cies, uel indiuiduum in prędicamento rerum o mnium ordine, sic quęlibet propositio est thesis generica uel thesis specifica, uel hypothesis, & sicut genus gignit definitq; suas species, ita the sis generica gignit, probatq; & declarat theses specificas: & rursum sicut species gignit & defi nit indiuidua sua, ita thesis specifica gignit, de clarat probatq; suas hypotheses. Sic ergo quæ libet hypothesis, id est, propositio singularis ex ponitur, confirmaturq; primo per suam thesin specificam, deinde per suam thesin generică, si cut & quodlibet indiuiduum intelligitur per su am speciem, & describitur omnibus coloribus notisq; suæ speciei. Deinde sicut & species, ita & indiuiduum cognoscitur per suæ speciei ge nus, perq; omnia ea, quæ uel ut necessario uel per accidens aut credibiliter generi conueniũt. Et hic est ascensus ille prędicamentarius, rerum- que gradus ab indiuiduis, inde per speciem spe cialissimam, per species subalternas, per genera subalterna, usque ad summum genus, hoc est, ad prædicatum, supra quod non licet ascendere. Tertio, propositionum alia est simplex & abso luta, cuius subiecto uel prædicato nulla applica tur circunstantia, ut, uoluptatem omnia appe tunt, ut, uxor est ducenda. Alia est negocialis, quam Græci πράγματικὴν, nostri circunstantiariã uocant, cuius subiecto uel prædicato una ali qua, pluresue circunstantiæ applicant, ut, uxor est ducenda sacerdoti, uidua non est ducenda iu

ueni,

ueni, & hæc diuisio magis inclarescit ex capite octauo supra eodem. His ergo partitionib. probe obseruatis accede ad institutum Erasmi de multiplicatione propositionum. Verum propositionum multiplicatio est digestio atq; diductio status & caussæ in sua capita atq; membra, id est, in suas primarias aut minus principales propositiones, & harum probationes certas & credibiles. Quomodo autem hæc multiplicatio fiat in singulis statuum generibus, egregie docet Fabius in toto fere septimo libro. Docet itē Erasmus in hoc cap. quatuor studiose apprime necessaria. Primo, referre & examinare quālibet hypothesin ad suas theses, scilicet, specificam & genericam, & quamlibet specificam thesin exigere ad suam thesin genericam. Secundo, docet circunscribere suis circunstantiis res alioqui simplices & absolutas. Nam circunstantię in rebus plurimum uariant & rerum qualitatē saltem, si non substantiā mutant, ut dictum est supra eodem cap. 8. & contra docet circunstantias abstrahere a rebus & caussis, hoc est, res simplices & circunstantias inter se conferre, & propositiones absolutas & negociales inter se comparare. De utroq; autem horum præceptorum sæpissime Cicero admonet in suis oratoriis lib. scilicet hypothesin referri debere ad suas theses, id est, caussam quamlibet, & casum, ut Iureconsulti loquuntur, factiq; speciem uel propositionem singularem, ut Dialectici loquuntur, referri debere ad suos locos communes, ad capita

generalia, hoc est, individua ad suā speciem: & deinde species ipsas ad suum genus exigere. Sicut & Cicero idem monet res ipsas quandoq; circunstantijs alligari, quandoq; a circunstantijs auelli oportere in definiendo præsertim & comparando. Tertio docet hos capite ad unam hypothesin uel caussam adferre plures probationes & argumenta, siquidem una eademq; propositio etiam minus principalis, nedum prima ria & status adeo caussæ, multis ac uarijs plerunq; potest medijs, rationibus atq; argumentis probari, explicari & ornari. Ideoq; Erasmus hoc caput nominat multiplicationem propositionum, hoc est, copiosam & expeditam inuentionem, atq; bene digestam dispositamq; densitatem præmissarum, conclusionum, antecedentium & consequentium in forma enthymematis, inductionis, & exempli. Quamuis & sæpe propositio iusta sine formis argumentorum explicatur. Quarto docet multitudinē sic inuentarum propositionum, probe digerere, & disponere suo ordine, quam dispositionem plerunque natura caussæ & prudentia scriptoris, partim etiam ars ipsa artisq; præscribit ratio. Sic enim ut supra dixi, oportet hypotheses & controuersias in singula capitula specialia & generalia & nō circunstantias diducere, ut tamen suum ordinem seriemq; teneant, ne sit propositionum rude confusumq; chaos. Agit autem hæc quatuor Erasmus exemplis magis quam præceptis, quia rerum huiusmodi iudicium & prom-

promtitudo potius a Dialectica peti debet quã a Rhetorica. Huc plurimum seruit tractatus & usus prædicabilium, & ea quę de inuentione me dij præcipiunt Dialectici.

Vndecima ratio.

Vndecima locupletandi ratio sumitur ex accumulatione copiosa probationum, & argumentorum, quas Græci πίστεις appellant. Nam ad eiusdem propositionis confirmationem uariæ rationes adhibentur, & rationes alijs argumentis confirmantur. Probationes autem partim sunt ἔντεχνοι, id est, artificiales. Partim ἄτεχνοι, id est, ab arte semotæ. Posterioris generis argumenta ducuntur potißimum à præiudicijs, à rumoribus, à tormentis, à tabulis, à iureiurando, à testibus. Prioris generis sumuntur primum ab his signis, quæ finitima sunt ἀτέχνοις. Horum alia sunt necessaria, quæ τεκμήρια uocantur. Alia non necessaria, quæ σημεῖα dicuntur. Deinde ab argumentis, nam hæc à signis distinguit Fabius. Quorum aliud est credibile, aliud ueluti propensius, aliud non repugnans. Ea plerunq; ducuntur à circunstantijs, quæ quidẽ duplices sunt personæ ac rei. Personæ fermè sunt huiusmodi: Genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, animi natura, studia, affectatio, antefacta, antedicta, commotio, consilium, nomẽ. Rei sunt hæc, caussa, locus, tempus, occasio, antecedentia rem, adiuncta, consequentia, facultas, instrumentum, modus.

Loci communes.

Sunt item loci generibus atq; etiam partibus cauſſarum omnibus communes. Nam ſuperiores etiamſi tractantur interim & alibi, tamen ad iudiciales controuerſias, & in his quidem, coniecturales ſunt accommodatiores. Ducuntur autẽ generaliter argumenta, à finitiõe ſeu fine, deſcriptione, Etymologia, quæ finitionis, ceu ſpecies quædam eſt. Ab his quæ ad naturam definitionis pertinent, Genere, ſpecie, proprio, differentibus, partitiõe, diuiſione. Cuius uariæ ſunt formæ. Ab exordio, Sũma, incremento. Ab inductione ſimilium, diſſimilium. A contrarijs, repugnantibus, conſequentibus. A relatiuis. A cauſsis. Ab euentis. A comparatione quæ trifariam ſumitur. A maiore. A minore. A pari. A iugatis. Et ſi qui ſunt alij. Nam neq; de ordine neq; de numero, neq; de uocabulis ſatis conuenit inter ſcriptores. Scripſerunt autem de his copioſiſſime Ariſtoteles ac Boëtius, ſatis accuratè Mar. Tull. ſed ſubobſcurè, breuiſſimè Quintilian. Oportebit autẽ eum qui ſemet exercet ad eloquentiã ſingulos excutere locos, ac ueluti hoſtiatim pulſare, ſi quid poſsit elici: uſus efficiet, ut deinceps ſponte occurrant. Item ab ea quæ rurſum pluribus locis eſt communis fictione. A cauſſæ proprijs.

Vndecima uariandi ratio.

Duodecimum caput Copiæ rerum eſt probatio, quę tametſi peculiaris pars ſit Rhetoricę inuentionis & orationis complectens confirmationem

tionem & refutationem, tamen ab Eraſmo numeratur hic inter capita Copiæ: quia non admodum ſuperſtitioſe oportet inuentionem ab eloquutione ſeparare, quod ad res attinet, licet uerbis orationeq; differant. Et ne cui mirum hoc uideatur, ſpectare debet conſilium Eraſmi, qui in hunc unum libellum cõgerere uoluit omnia fere, quæ ad facundiam comparandam & alendam neceſſaria ſunt. Cæterum probatio eſt dubiæ rei confirmatio uel refutatio per argumenta, uel certæ rei explicatio. Et petitur argumentatio uel probatio omnis ex octo locis generalibus Dialecticæ Topicæ, quorum plus centum ſpecies numerari poſſunt in uniuerſum. Siquidem loci argumentorum ſunt triplices, ſcilicet Rhetorici, Dialectici & Sophiſtici. Rhetorici loci in genere ſunt quatuor, ſcilicet inſtrumentũ forenſe, ſignum, circunſtantia duplex, & exemplum. Itaq; primum argumentatio petitur ex inſtrumentis, id eſt, locis forenſibus 7. de quib. uide Fab. in lib. 5. uſq; in caput 8. quorum alia ſunt τεκμήρια, id eſt, certa, alia εἰκότα, id eſt, credibilia, alia ſunt prognoſtica, id eſt, præſagia futuri euentus, de quib. Fab. in quinto, capite nono. Tertia a circunſtantijs & locis perſonæ, quorum uiginti quatuor enumerauí ſupra eodem capite quinto, in deſcriptione perſonæ. Quarto a circunſtantijs rerũ 8. ſupra enumeratis cap. 8. & a Fabio in 5. cap. 10. & ſigna circunſtantiasq; uocant Dialectici cõmuniter accidentia, ſicut antea dixi. Quinto ex locis Dialecticis certis,

unde fiunt demonstrationes. Sexto ex locis Dialecticis credibilius, & de utroq; istorum genere affatim differit Fab. in 5. cap. 10. & Rodolph. in sua Dialect. Sunt enim iuxta uulgatiorẽ opinionem in Topica Dialect. 24. loci, his nominibus appellati, scilicet definitio, genus, species, proprium, etymologia, coniugatum, uniuersale, particulare, totũ, partes, materia, forma efficiens, finis, effectus, antecedens, consequens, simile, oppositum, disparatum, exemplum, auctoritas, communiter accidẽs, diuisio. De his locis tractat & Cæsarius in tractatu nono, & Aristoteles in Topicis. Septimo argumentatio sumitur ab exemplis, quorum loci etiam sunt Rhetorici, ut ostendam infra cap. proximo & sequentibus duobus. Octauo ex locis sophisticis, unde fit paralogismus, id est, falsus syllogismus peccans in materia aut forma, apparẽs tamen prima specie bonus alicui imprudẽti & incauto. Vide Cæsarium in tractatu ultimo, atq; hæc uniuersa materia est argumentorum & totius probationis, quæ sumitur ex suis certis locis tanquam ex promtuario uel armentario sumuntur arma & instrumenta necessaria. Sumitur ex accumulatione.) Proximo capite dixit de ineundo numero probantium propositionum & probandarũ quoq;, deq; harum dispositione, sed hoc capite 12. ostendit & aperit locos Topices, unde sumatur materia istarum probationum.

Plurimũ autem ualet ad probationem, atq; adeo ad copiam, exemplorum uis, quæ Græci παραδείγ

ματα

μετα uocant, et adhibentur aut ut similia, aut dissimilia, aut contraria. Rursum aut ut maiora, aut ut minora, aut ut paria. Dissimilitudo & inæqualitas, cõstat genere, modo, tempore, loco, cæterisq; fermè circunstantijs, quas suprà recensuimus. Hoc autem genus complectitur & fabulam, & apologum, prouerbium, iudicia, parabolam seu collationem, imaginem & analogiam. Præterea si qua sunt similia. Atq; horum quidem pleraq; solent adhiberi non solum ad fidem faciendam, uerumetiam ad ornandam rem, ad illustrandam, ad augendam, ad locupletandam. Ergo si quis ex locis dictis magnam uim suppellectilis colligere uolet, quantumlibet copiosam orationem poterit efficere: neq; tamen erit inanis uerborum congeries, & uarietas excludet satietatem. Sed quemadmodum sint uel inuenienda, uel adhibenda, id non est huius instituti persequi. Verum si qs desiderabit, ex Aristotele, Hermogene, Quintiliano petat licebit, qui diligentissimè hisce de reb. conscripsere. Nos ea quæ pertinent ad copiam persequemur, sed paucis, ne librum, nõ commentarium scribere uideamur. Ergo ad parandam copiam, exempla primas tenẽt, siue deliberes, siue exhorteris, siue consoleris, siue laudes, siue uituperes. Et ut summatim dicam, siue fidẽ facere studeas, siue mouere, siue delectare. Horũ igitur ut uim quàm maximam maximeq; uariam comparare, & in promtu habere conueniet, ita uariè tractare oportebit. Varietas exemplorum ab ipso genere nonnunquam perpenditur.

ditur. Sunt enim & ante facta, et ante dicta. Et publicæ gentium consuetudines in exemplis sumuntur, & à discriminibus autorũ, puta ab historicis, à poëtis. Et ex his à Comicis, Tragicis, Epigrammaticis, Heroicis, Bucolicis. A Philosophis, et horum uariæ sunt sectæ: à Theologis, à sacris uoluminibus. A diuersitate nationum: quod genus sunt, Alia Romanorum exempla & instituta, alia Græcorum, & inter Græcos, alia Lacedæmoniorum, alia Cretensium, alia Athenienſium. Item alia Afrorum, Hebræorum, Hispanorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum. Rursum à temporis uarietate: Nam alia sunt prisca, alia mediæ antiquitatis, alia recẽtia, nonnulla etiam domestica. Præterea à qualitate rerum: nã quædam sunt militaria, quædam ciuilia: Et quædam clementer facta, quædam fortiter, quædam sapienter. Atq; item de cæteris, nam id quidem est infinitum. Postremò à conditione personarum. Alia sunt principum, iudicum, parentum, seruorum, pauperum, diuitum, mulierum, uirginum, puerorum. Hæc igitur ad unumquenq; locum plurima, uariaq; sunt adhibenda, non solum ex omni Græcorum ac Latinorum scriptorum genere collecta, uerumetiam ex barbaris annalibus. Demum é uulgi rumoribus. Mouent autem potißimum animos antiqua, illustria, nostratia, domestica, id est, suam quæq; gentem, suum quæq; genus. Aut longè minora, ut mulieris, pueri, serui, barbari.

Decimumtertium caput Copiæ rerum est exemplum

emplum, & decimumquartum caput est similitudo, & decimumquintum caput est autoritas uel iudicatio. Sic .n. iam libet in titulo tria hæc capita connectere, quę Erasmus fere promiscue tractat usq; in caput decimumsextum. Nascuntur autem hæc tria capita prorsum ex locis Topicæ, scilicet ex loco similiū & dissimilium, ab exemplo, ab oppositis uel repugnantibus, a disparatis, ab autoritate: uerum ne quem fallat æquiuocatio uocabuli, animaduertere oportet, exemplum bifariam usurpari. Primo generaliter, ut significet comparationem uel accommodationem cuiuslibet facti, rei, dictiue alieni, quod apte ad nostram caussam confertur. Sic Fabius utitur uoce exempli in libro quinto, capite undecimo, atq; huic exemplo in genere aptissime quadrant duæ regulæ Topices, quarum prior est, de similibus idem esse iudicium, posterior est de dissimilibus diuersum esse iudicium. Tu adde tertiam, pleranq; similitudinem claudicare, & magis credibilem quam certam esse. Et hæc in genere de exemplo monuisse ad præsens satis est: sic enim exemplum genus est probationis uel schematis, cui tres species subiectæ sunt, scilicet exemplū speciale, huius operis 13. caput, & similitudo, de qua infra in 15. cap. Differunt hæ tres species, non quidem tractatu uel usu, sed materia, ut in definitionib. earum patebit. Verum exemplum speciale est rei gestæ, aut ut gestæ utilis ad persuadendum & explicandū id quod intenderit cōmemoratio, et ad nostram

caussam

cauſſam accõmodatio propter ſimilitudinem & diſsimilitudinem aliquam accerſita, probandi uel ornandi gratia. Huius ergo materia eſt factum, uel res geſta ab aliquo homine, pluribus hominibus, aut ſimilibus perſonis. Huius exempli ſunt item quatuor ſpecies. Nam aliud eſt exemplum Apologicum, ex apologo Æſopi, alterius ue autoris ſumtum, ut apud Horatium: Ruſticus urbanum murem mus paupere tecto &c. Itẽ reſpondit quod ante leoni uulpes &c. Aliud eſt exemplum fabuloſum ex fabula poëtę alicuius ſumtum. Horatius: Nos numerus ſumus & fruges conſumere nati, Spõſi Penelopes &c. Aliud eſt Dramaticum, id eſt, ex argumento ficto alicuius Comœdię, uel Tragœdiæ, uel Dialogi, alterius ue narrationis fictæ petitum, ut apud Ciceronem ſæpe citatur Terent. Item ut illud Horatij, Telephus & Peleus cum pauper & exul uterq; Deponit faſtus & teſquipedalia uerba.

Aliud eſt hiſtoricum exemplum ex hiſtoria aliqua certa aut credibili adductũ, quæ ſpecies eſt uſitatiſsima. Nam firmiora exempla ex hiſtoriis quam aliunde ſuppetunt. Sic ergo uides exempla ſumi ex formis expoſitionum & narrationum, de quib. infra capite decimoſeptimo, ſed de ſimilitudine, autoritate, infra ſuo loco dicam.

Quomodo tractanda ſint exempla.

Porrò non uariantur modo, uerumetiã augentur & creſcunt tractatione. Cuius ratiões aliquot indicabimus. Primum augentur commendatione. Ea plerunq;

runq; sumitur uel à rei, uel ab autoris laude, uel gentis, unde ducitur exemplum. Veluti si quis Lacedæmonicum factum, aut dictum adhibeat, præfari poterit. Eam gentem sapientiæ, & rei militaris ac ciuilis disciplina cæteris longè antecelluisse, & exemplis pulcerrimis semper abundasse. Si quis è Plutarcho citabit exemplum, præfetur licebit, eum autorem unum omnium esse grauissimũ, quippe qui summam philosophiæ scientiam, cum historicorum eloquentia coniunxerit, ut in eo non solum historiæ fidem, uerum etiam autoritatem, & iudicium sanctissimi doctissimiq; philosophi spectare oporteat. Item si quis M. Attilij Reguli ad hostem redeuntis exemplum uelit adducere, poterit ad hunc præloqui modum: Inter tam multa Romanæ uirtutis insignia decora, nullum unquam facinus pulcrius extitit, aut etiã laudatius, quàm M. Attilij. Huiusmodi commendatiunculas licet effingere, uel lõgiores, uel breuiores, utcunq; locus postulabit. Affingendæ sunt autem, quæ maximè sint ad id quod agitur, appositæ. Veluti si in exemplo desiderabitur fides, autor à grauitate, fideq; commendetur. Si pium uideris uoles quod adfers, sumatur à pietate commendatio. Atque item de cæteris.

Secundus modus locupletandi exempla.

Locupletantur item exempla, si fusius aut latius explicentur, cum exaggerationibus atq; amplificationibus. Nam qui breuitati studebit, huic satis erit exemplum ceu notum, uerbo significasse. Id quod

facit

facit M. Tullius pro Milone. Neq; enim posit illa Hala Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule senatus nõ nefarius haberi. si sceleratos interfici nefas esset. At qui copiam affectabit, is, id quod gestum sit, locupletius narrabit. Ita ut fecit in eadem oratione Cicero. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caij Marij, propinquus eius imperatoris, ab eo interfectus est, cui uim adferebat. Et addidit Epiphonema: facere enim probus adolescens periculose quàm turpiter perpeti maluit. Atq; hunc ille summus uir scelere solutum periculo liberauit. Quanquam in his quæ ad ostentationem parata sunt, licebit diutius exemplis locupletãdis immorari, præcipuè si res sit huiusmodi, ut aliqua uoluptatis illecebra retineat auditorẽ. Quod genus fuerit, si quis persuadere studeat ad prudentiam comparandam multum conducere peregrinationes, multarum rerũ inspectionem, in Solonis laude aliquandiu commoratus, & quam ciuitatem reliquerit, & quam ob caussam, & quæ maria transierit, & quas barbaras nationes, quo capitis periculo adierit, & quibus cum sit congressus, et quid mirandum conspexerit, & quantum temporis abfuerit, & quantò illustrior simul ac sapientior in patriam redierit, fusius poterit enarrare. Cuiusmodi fermè sunt exempla de Pythagoræ, atq; Apollonij peregrinatione, apud diuum Hieronymum in præfatione, quam uniuersæ scripturæ diuinæ præponunt. Sed huiusmodi rationis commodißimum exemplum

est

est apud M. Tullium statim in principio secundi de inuentione libri, de Zeuside, qui Helenam picturus uirgines aliquot eximiæ formæ poposcit, ut ex singulis quod esset optimum eligens, absolutum formæ simulacrum ederet.

Quomodo tractanda sint exempla.

Proponit inde Erasmus tres modos, quibus amplificantur & explicantur exempla. Primus est, si dignitatem atq; autoritatem paremus bono exemplo ab honesto, nempe a persona autoris, a re ipsa, ab euentu facti & cõtra, si quam non tam numeramus malo exemplo. Item a persona autoris turpis, & a facti turpitudine, & ab euentu pernicioso. Vel a similibus circunstantijs. Secundus modus uariandi exempla est hic, quod exempla quędam breuiter attinguntur, ut apud Poëtas fere, quędam prolixe tractantur præcipue, quæ mitescere tractata possunt.

De exemplo fabuloso.

Atq; eadem dilatandi contrahendiq; ratio locum habet in fabulosis quoq; exemplis. Nam & fusius & contractius exponi poterunt, si res ac decorum patietur. Verum in his quæ omnino fide carẽt, nisi iocabimur, præfari conueniet à uiris priscis ac sapientißimis ista non sine caussa fuisse conficta, neque temere tot iam seculis magno mortalium consensu fuisse celebrata, deinde quid sibi uoluerint, interpretabimur. Veluti si quis persuadere uelit, nõ esse sectandum id, à quo natura quis abhorreat, dicet

hoc ueteres illos, ac sapientes scriptores, & perspexisse prudenter, & aptißimo figmento significasse prodita gigantum fabula, quorum temerarij conatus infeliciter cesserint. Aut si quis proponat hominem auarum, tam non habere quod habet, quàm id quod non habet, præfatus, adhibebit Tantali fabulam. Si proponat uiri sapientis esse munus, ut animi motus ratione iudicioq; coherceat, allegabit, quod est apud Homerum primo libro Iliados de Achille, iam manum admouente capulo, & Pallade à tergo reuocante. Item si quis proponat, uerã uirtutis laudem non parari, nisi qui sit multis iactatus casibus, uarijsq; exercitus periculis, cum huiusmodi quam diximus præfatione, Vlyssem adducet Homericum. Quanquam autem non ubiq; perinde obuia est allegoriæ ratio, tamen illud extra controuersiam est apud antiquitatis peritos, in omnibus ueterum Poëtarum figmentis subesse allegoriam: uel historicam, uelut in pugna Herculis cum Acheloo bicorni: uel Theologicam, ut in Proteo se uertente in omnes formas, aut Pallade é Iouis cerebro nata: uel physicam, ut in fabula Phaëtontis: uel moralem, uelut in his quos Circe poculo & uirga sua uerterat in bruta animalia, nonnunquam unum atq; alterum allegoriæ genus permixtum. In quibusdã haud magni negotij est allegoriæ sensum deprehendere. Quis enim non intelligit (nam de his quæ ad mores attinent, magis libet exempla ponere) Icarii in mare dilapsi figmentum admonere, ne quis altius efferatur,

quàm

quàm pro sorte sua? Sic nimirum fabula Phaëtontis monet, ne quis munus administrandum suscipiat maius quàm pro uiribus. Sic Salmoneus in tartara datus præceps, docet nõ esse æmulandum quod longe supra fortunam nostram habeatur. Sic Marsias excoriatus docet non esse certandum cum potentioribus. Quid autem aliud sibi uult Danaës auro deceptæ fabula, nisi quod et Flaccus interpretatur, nihil tam esse munitum, quod non expugnetur pecunia, nihil tam incorruptum, quod non muneribus uitietur? Quid Herculis labores, nisi sudoribus ac iuuandis aliis famam immortalẽ parari? Quid Midæ uotum, nisi auaros & insatiabiles suis ipsorum opib. præfocari? Quid iudicium, nisi dotibus ingenij cum pecuniæ studio nequaquam conuenire? Quid Bacchus à fulmine flagrans, in Nympharum aquas iniectus, nisi uini ardorem, sobrio alimento restinguendum esse? Quod Græco etiã epigrammate testatum est. Quid innuit Circes fabula, ueneficijs homines uertentis in feras? nisi eos qui nequaquam ratione ducuntur, id quod hominis est propriũ, sed totos sese dediderunt turpibus affectibus, iam præter hominis uocabulum nihil hominis habere, sed ad pecudũ degenerasse naturam, puta libidine in ursos, somnolentia ignauiaq; in sues, ferocia in leones, atq; idem de consimilibus. Quid Vlysses, qui solus poculo epoto, uirgaq; monstrifica percussus non est mutatus, nisi firmum illum & constantem sapientis habitum, qui nec frangi terroribus, nec ullis affectuum illecta

mentis ab honesto potest abduci? Quid Lotus semel gustata, iam non sinens abire socios, nisi dulce blandumq; turpium uoluptatum uenenum, à quo non ad modum difficile sit abstinere, relinquere postea quã gustaris, difficillimum? Quid Syrenum cantus, nisi assentationem, ut rem omnium blandißimam, ita & pestilentißimam? Quid Scylla & Charybdis angusto inter sese discrimine distantes, nisi uirtutis uiam angustam esse? hinc atq; hinc finitimis instantibus uitijs, puta inter luxum & sordes frugalitatem. Inter quæ sic est moderanda uitæ ratio, ut quoniam medium in omnibus exacté tenere difficilimum est, eò potius uergas, ubi minus sit periculi, quemadmodum fecit Vlysses. Quid moly radice nigra, sed flore lacteo herba, mortalibus inuentu difficilima, nisi sapientiam, ad quam primus aditus arduus est ac sudoris plenus, fructus suauißimi? Quid item ramus ille aureus apud Maronem, nisi sapientiam in abdito sepositam, paucisq; deprehensam? Sed ne longiores simus, huius generis interpretationem quantumlibet uim suppeditabit Eustachius enarrator Homeri. Nos quoq; quondã adolescentes hisce de rebus nõnihil attigimus in libris quos inscripsimus ἀν τιβαρβάρους. Porrò in hoc genere molliora sunt ea, quæ à Poëtis in hoc ipsum ficta constat, uelut quæ ad imitationem humanæ uitæ dijs affingunt: Quod genus cum Martem à Vulcano uinculis irretitum facit Homerus, Cũ Iuppiter ἀγκυλομήτης emisso somnio, spem inijcit capiendæ Troiæ, cum lõge aliud

ageret.

ageret. Nam hæc regum ars est, quosdam rumores data opera in uulgus spargere, cum multò aliud apud se destinarint. Atq; his etiam molliora, quæ sic à Poëtis celebrata sunt, ut ad historiam, non ad fabulas posſint referri. Qualis est Orestes parricida, cunq; hoc Pyladis amicitia. Sunt enim qui rem gestam affirment. Qualis Alcestis mariti mortem sua redimens, cuius etiam meminit Valerius Maximus. Item Codri ac Menœcei mors, Q. Curtij, Deciorúm que factis annumeratur. Et inter amicorum paria Theseus & Perithous, Castor & Pollux referuntur. Qualis item Arion à Delphino reuectus in patriam. Nam diuus Augustinus historiam autumat. Certe apud Virgilium ac præcipue Lucanum non dubium quin pleraq; ad historiam pertineant. Quanquam & Herodoti pleraq; fide carent. Et Xenophon Cyropœdiam magis ad exemplum instituendæ uitæ, quàm ad fidem historiæ scripsit. Quæ si pro ueris accipiantur, fide ualent. Sin pro fictis, cum sint à sapientißimis ac probatißimis autoribus prodita, hoc ipso ualent quod ab ijs ficta sint, quorum autoritas præcepti uigorem obtinet. Contrà sunt apud Poëtas exempla certæ atq; historicæ fidei, de Scipione, de Annibale, de Augusto, de Pompeio, de Iulio. Sunt rursus alia quæ nullus inficias eat esse ficta. Sed quoniam constat in hunc ipsum usum esse ficta, et à magnis ficta autoribus, nimirum exempli pondus habent. Quo de genere sunt inuidia dea, fama, Ate, Lite, de quibus su-

prà mẽtio facta est. Præterea personæ, quæ in Dramaticis, aut mixtis poëmatis inducuntur, præsertim comœdijs cum quibus dialogi multum habent affinitatis. Etenim si quis suadeat cauendum esse parentibus, ne si quid peccent, testibus liberis peccent, nónne exẽpli uim habebit Clitipho in scne seipsum excruciãte, loquens ad hunc modum: Perij, is mihi ubi adbibit plus paulò, sua quæ narrat facinora. Nunc ait periculum ex alijs facito, tibi quod ex usu fiet, da stutus. Næ ille haud scit quàm mihi nunc surdo narret fabulam. Aut si quis suadeat iuxta sapientis responsum, æqualem esse ducendam uxorem, alioqui non uxorem duci, sed heram, si pauper diuitem adiunxeris, nónne exempli instar habebit Chremes in Phormione Nausistratam perinde ut dominam timens? Item si quis suadeat neq; firmam satis, neq; tutam pauperi cum opulentis esse amicitiam, nónne pro exemplo ualebit Euclio in Aulularia Plautina, loquens ad hunc modum: Pauper Megadori diuitis deprecans affinitatem. Venit hoc mihi in mentẽ etc. nã locus notißimus est. Rursum ubi differas improbè facere parentes, qui sæuiunt in liberos delinquentes, cum ipsi senes peccent grauiora, nónne recte citabitur modò dicta Nausistrata, loquens hoc pacto, Adeo indignum tibi uidetur, filius homo adolescens si habet unam amicam, tu uxores duas? Nihil pudet. Quo ore illum obiurgabis? Respondẽ mihi. Sed næ ego ineptus unum aut alterum exemplum profero, cũ tota comœdia nihil aliud sit, quàm humanæ uitæ simu-

ſimulacrum. Poteram item è Tragœdijs, Eclogis, Dialogis ſimiles formas proferre. Sed in commentario abundè ſatis arbitror uiã ingenioſis indicaſſe. Equidem exiſtimo exempla non ſolum de his quæ diximus, uerumetiam à mutis animantibus, atq; etiam inanimis rectè ſumi. Quanquam uidentur ad ὁμοίωσιν magis pertinere, ueluti ſi quis propoſita, deſcriptáq; formicarum induſtria, ad rem labore parandam adhortetur. Aut ſi quis expoſita apum politia, homines ad legum ac diſciplinæ ciuilis obſeruationem extimulet. Aut ſi quis ab impietate in parentes reuocet, proferat ciconiæ pullos, qui parentes ætate defectos uiciſsim alere ac geſtare dicuntur. Aut ſi adhortans ad pietatem erga liberos, adducat aſinam per medios ignes ſuccurrentem pullis ſuis, Aut ſi quis deteſtetur ingratitudinem, adducto exemplo leonis cuius ex Appione meminit Gellius: & draconis, qui nutricium à latronibus obſeſſum eripuit, autore Plinio. Aut ſi reprehendens hominem ab amicitia alienum, qui nec amet ullum, nec à quoquam ametur, Delphini proferas exemplum, puerũ adamantis, aut aquilæ uirginis amore flagrantis, aut magnetis ferrum ad ſe trahentis. Sed hiſce de rebus plura fortaſſis, ubi de parabola diſputabimus. Nunc ad inſtitutum.

De exemplo fabuloſo.

Admonet exemplum ex fabula non ueriſimili permolliendum eſſe excuſatione, ciuſq; Mythologiam, uel allegoriam exponendam. Pro-

gymnasma Rhetores coniecturam uocant, ut quare Prometheus fingitur ignem furtim sustulisse Ioui cœlitus.

Tertius modus locupletandi exemplo.

Dilatantur exemplo utriusq; generis, hoc est, tam fabulosa, quàm historica, præter iam dictos modos etiam, parabola, quam eandem ὁμοίωσιν uocant, Cicero collationem uertit, Tum comparatione, siue contentione. Parabola est, cum accommoda similitudo, quod adductum est exemplum ostendit aut simile esse, aut dissimile, aut contrarium. Simile, ut, Non aliter quàm Camillus rem Romanam à Gallis oppressam, & in extremam perniciem adductã, sua uirtute depulsis barbaris restituit, Ita Laurentius Latinas literas inscitia ferè barbarorum depraua tas, obruptas, extinctas, in pristinum nitorem uelut ab inferis reuocauit. Dissimile. Vt non par gratia debetur Laurentio & Camillo, propterea quod hic pietate adductus, capitis sui periculo patriam à barbaris liberauit: Ille fame cupiditate commotus, uel potius quàm plurimos taxandi libidine, linguam Latinam nõ oppressam restituit, sed ad certas quasi leges redegit, quæ felicius ex eloquentium autorum lectione discebatur. Contrarium. Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit. Verres eadem socijs abstulit. Pugnant enim restituere cum auferendo, hostes cum socijs. Item Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius uirtutem filij morte mulctauit. Et apud Virgilium, At non ille satum

tum quo te mẽtiris Achilles, Talis in hoste fuit. Porrò comparatio demonstrat id quod adductum sit, aut par esse, aut minus aut maius. Minus, ut si propter matrimonia uiolata urbes euersæ sunt, quid fieri adultero par est? Item, maiores nostri sæpe pro mercatoribus & nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella gesserunt, uos tot ciuium Romanorum milibus uno nuncio, atq; uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quòd erant appellati superbius, Corynthũ patres uestri totius Græciæ lumen extinctam esse uoluerunt: uos eum regem tutum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem, uinculis ac uerberibus, atq; omni supplicio excruciatum necauit? Par, ut apud eundẽ Ciceronem. Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duob. patricijs, altero improbißimo, altero modeſtißimo atque optimo uiro peterem. Superauit tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Maius, ut pro Milone, Negant intueri lucem esse fas ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua urbe tandem hoc homines ſtultißimi disputant? Nempe ea quæ primũ iudicium uidit de capite M. Horatij fortißimi uiri, qui nondum libera ciuitate, tamẽ populi Romani comitijs liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. Ergo in eo quod proprie uocatur exemplum (est autem rei gestæ, aut perinde, ut gestæ, utilis ad persuadendum commemoratio) aut breuißimè significatur (Quod genus est illud diui Hieronymi: Memento Daretis & Entelli) aut la-

tius per collationem accõmodatur, per simile, dissimile, contrarium, per maius, & minus. Atq; ea collatio sumitur ab omnibus rerum ac personarum circunstantijs. Adiuuatur autem et orationis artificio, cum uerbis ac figuris ad id accommodis, alia consulto eleuantur, alia attolluntur. Porrò qui copiosissimè uolet exemplum tractare, is singulas similitudinis aut dissimilitudinis partes explicabit, atq; inter sese comparabit. Quemadmodum facit M. Tullius in exemplo, quod superius retulimus, de legato occiso. Subijcit enim partium collationem. Illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt, uos uitam ereptam negligetis? Ius legationis uerbo uiolatum, illi persecuti sunt: uos legatum omni supplicio interfectũ relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcerrimum fuit, tantam uocis imperij gloriam relinquere: sic uobis turpissimum sit, id quod accepistis, tueri & conseruare non posse. Quod tamen quantumlibet copiosè licebit facere, si quis plures circunstantias inter se componat. Veluti si quis hortetur aliquem, ut filij mortem moderatè ferat, & ex ethnicorum exemplis mulierem aliquã obijciat, quæ plurium liberorum mortem fortiter tulerit, postenarratam rem ita comparabit. Quod mulier imbecilla potuit, tu uir barbatus non feres? Illa cum sexu uicit & affectum matris, tu ab altero superaberis? Illa complurium liberorum iacturã animo infracto pertulit, tu unum extinctũ inconsolabiliter defles? Ad de quod illius filij simul omnes naufragio perierũt,

morte

morte uidelicet ingloria, tuus in bello fortiter pugnans occubuit. Illa non habebat cui filios honestè imputaret, tu filium impendisti patriæ. Illi uerè toti perierunt, tuus immortali gloria semper uicturus est. Illa naturæ gratias agebat, quod aliquando tot liberorum mater fuisset, tu tantum meministi te optimum perdidisse filium. Illa nõ habebat sartiendæ orbitatis spem, quippe maior quàm ut uterum iam ferre posset, tibi & uxor fœcunda, & ætas etiam num integra ualens q. Ergo quod barbara muliercula præstitit, tu uir Romanus non præstabis? Quod contemnere potuit literarum imperita, hoc te tot præditum literis, tantum philosophiæ professorem frangit? Deniq; quam animi fortitudinẽ præstitit pagana, hanc homo Christianus non exhibebit? illa credens post rogum nihil superesse, tamen luctum indecorum existimauit: tu doctus eos demũ uerè uiuere, qui cum laude excesserint ex hac uita, sine fine clamas tibi perijsse filium. Et quod illa æquo animo reddidit naturæ, tu Deo repetenti non reddis? Illa fortiter paruit necessitati, tu Deo repugnas? Ex hac forma satis opinor apparet, quibus modis oporteat exempla conferre, quanquam in ueris caussis, quoniam maior est circunstantiarum copia, facilius est inuenire uarias cõtentiones. Illud obiter admonendum, in huiusmodi contentionibus sententias & epiphonemata non inconcinne posse admisceri. Velut in hoc eodẽ exemplo, post primam collationem. Quod mulier imbecilla potuit, tu uir barbatus

batus non poteris? ſubijci poterant ſententiæ. Natu ra diſcreuit ſexum, tu non diſcernis animum. A mu liere nemo fortitudinis laudẽ expectat. Vir niſi for ti ſit animo, nec uiri nomine cenſetur. Vir utrunq; ſignificat, & ſexum robuſtiorem, & animum infra ctum. Turpiter barbam geſtat, qui pectoris robore ſuperatur à fœmina. Item poſt illã contentionem. Illa non habebat cui filium imputaret honeſtè, tu fi lium impendiſti patriæ. Poterant affingi ſententiæ fermè huiuſmodi. Magnum doloris ſolatium eſt, ha bere cui honeſtè poſsis imputare fortunam. Vt nulli iuſtius, ita nec glorioſius impenditur filius, quàm pa triæ. Rurſum poſt illam: Illi uerè totiq; perierant, tuus immortali gloria ſemper uicturus eſt. Adijci poterant huiuſmodi: Longè felicius honeſta fama, quàm hoc cõmuni ſpiritu uiuitur: Corporis uita ca lamitoſa eſt, & omnino ut nihil accidat, breuis, deni que cum pecudib. cõmunis. Illa clara, ſempiternaq;, homines in diuorum conſortium referens. Ad eundẽ modum ſingulis collationum partibus ſententiæ ſub ijci poterant. Sed hæc obiter indicaſſe ſat fuerit. Nam de ſententijs ſuo loco dicemus.

Tertius modus locupletandi exempla.

Tertius modus, quo amplificatur uel explica tur exemplum, hic eſt, cum non contenti ſimpli citer expoſuiſſe in cauſſa exemplum, copioſius illud & clarius accommodamus, atq; etiam di ſtinctius applicamus ad noſtram cauſſam: partes q; eius hunc modum Græci ἀνταπόδοσιν, noſtri

nostri uocant redditionem, & in Dialectica dici potest consequens, explicatur in exemplo, de quo Fabius in 8. cap. 3. & 4.

De parabola.

Iam uerò si quis superstitiosius parabolam ab exemplo separet, ut exemplum sit certæ rei gestæ, Parabola, similitudo sumta ab his quæ fiũt, aut quæ natura, casúue rebus adiuncta sunt: ut, Attilius ad hostes reuersus, exemplum sit seruandæ religionis ac fidei, at nauis pro uentorum ratione uelum tollens, aut contrahens, in hoc aut illud latus transferens, parabola sit, quæ doceat sapientem tempori cedere oportere, ac rebus præsentibus sese accommodare, tamẽ eadem est dilatandæ parabolæ ratio, quam in exemplo demonstrauimus. Nã aliquando uerbo notatur. Vt non intelligis tibi uertenda uela. Aut, desine lauare laterem. Vt iam uel allegoria sit, uel metaphora. Aliquando latius explicatur, & apertius ac cõmodatur. Quod facit Cicero pro Murena. Quod si é portu soluentibus, qui iam in portum ex alto inuehuntur, prædicere summo studio solent tempestatum rationem & prædonum & locorum: quod natura fert, ut his faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo metandem animo esse oportet, propè iam ex magna iactatione terrarum uidentem, in hunc cui uideo maximas tempestates esse subeundas? Rursum in eadem oratione, ut aiunt, in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint, sic nonnullos

nullos uidemus, q oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. Superiorem Ciceronis parabolam sic imitatus diuus Hieronymus in epistola quadam ad Heliodorum. Et ego non integris rate uel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum et indoctus natura præmoneo, sed quasi nuper naufragio eiectus in littus timida nauigaturis uoce denuncio. In illo æstu Charybdis luxuriæ, salutem uorat. Ibi ore uirgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylleum renidens libido blanditur. Hic barbarum littus. Hic diabolus pirata cũ socijs portat uincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi: licet in modũ stagni fusum æquor arrideat, licet uix summa iacentis elementis spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, uela suspendite. Crux antemnæ figatur in frontibus. Tranquillitas illa tempestas est. Hîc si quis singula pericula, quæ à uitijs aut improbis, aut aliunde bonis morib. imminent, uelit conferre cum singulis quæ nautis uitæ discrimen adducere solent: deinde per comparationem maius, aut minus, item dissimile aut contrarium ostendere, postremò sententijs & epiphonematis, ut inciderint exornare, nimirũ copiosissimè dilatabit orationem. Velut in hoc exemplo. Vt quo precio sior est res, hoc & diligentius solet asseruari, & impendi circunspectius, Ita temporis quo nihil est precio sius, summa habenda est ratio, ne quid effluat sine fructu. Etenim si curatores dari solẽt his, qui

qui gemmas & aurum temere profundunt, quæ tandem erit insania, tempus pulcerrimum immortalis dei munus aut ocio, aut inhonestis studijs turpiter consumere? Quid enim perdis, cum tempus perdis, nisi uitam? At uita quid esse potest carius? Et cum una gemmula perijt, iacturam uocas. Cum totus perijt dies, hoc est, bona uitæ portio, iacturam non uocas? Præsertim cum illa perdita, aliunde possint recuperari, temporis irreparabilis sit iactura. Præterea illa cum tibi pereunt, alijsq; plerunq; lucro sunt: At temporis dispendium in nullius transit compendium. Nullum est damnum, ex quo non aliquis emolumentum aliquod sentiat, præter damnum temporis. Adde his, quòd illarum opum iactura sæpe salutifuit. Nam diuitiæ plerunq; uitiorum materiam ministrant, ita ut præstet temere profudisse, quàm attentè adseruasse. Quanto cuiusq; rei usus honestior, tantò turpior profusio. At nihil pulcrius, nihil præclarius, quã bonas horas bene collocare. Illa ut quàm maximè serues, sæpenumero tamen uel casus eripit, uel homo tollit, ut iactura te calamitosum duntaxat, non etiam turpem reddat. At temporis amissio, quoniam non nisi nostro uitio contingit, nõ miseros solum, uerum & infames reddit. Pessimum infamiæ genus quoties culpa in nullum conferri potest, præterquam in eum qui patiatur malum. Illis fundos aut ædes mercari poteras, bonam mentem non poteras. Hoc præter alia animi ornamenta, parere poteras immortalitatem. Nulla est tam breuis uitæ

tæ portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poterat. Postremò de illis malè insumptis, patri fortassis rationẽ redditurus eras, de horis malè transactis, deo. Sed satis est indicasse, in quantam amplitudinem dilatari possit collatio, si quis ad eum modum singulas circunstantias uelit componere, atq; ornare. De dissimili eadem est tractandi ratio, cuius hoc sit exemplum. Neq; enim ut nauis utilior noua quàm uetus, sic & amicitia. Nec ut laudanda, quæ pecuniam pluribus largitur, ita, & quæ formam. Neq; enim ut in cursu melior est, qui lampadẽ accipit, quàm is qui tradit, Ita in bello melior est imperator qui exercitum accipit, quàm qui tradit: Porrò quemadmodum ab omni genere rerum collationes duci possint, superiori cõmentario demonstratum est.

De *parabola.*

Decimumquartũ caput Copiæ rerum est parabola, quam alij similitudinem, plerique rectius comparationem uocant. Ea quidem est collatio rei mutæ, uel inanimatæ, uel incorporeæ ad nostram caussam & institutum accõmodata, propter simile aut dissimile aliquid. Sicut ergo exemplũ a facto hominis & persona historiæ aut fabulosæ fictæq; petitur, sic comparatio a qualibet re præter hominem, & præter hominis factum sumitur: tametsi, ut Fabius admonet in sexto, capite undecimo, non superstitiose separari debent exemplum & cõparatio, quæ Rhetores docendi magis gratia propter uarietatem eorum

rum seiunxerunt quam reuera. Et comparationis sunt quatuor species, scilicet similitudo specialis, qua similis res nostræ caussæ confertur. Analogia, quę est multiplex comparatio, in qua totum toti, partes partibus conferuntur, & singulis singula redduntur, tanquam similia, ut si quis comparet humanū corpus ad Reipublicæ corpus, is analogiam faciat, in qua singulas partes comparabit ad partes Reipub. ut si caput significet Magistratum, humeri & pectus homines militares, manus et pedes homines artifices, gula & uenter significet locupletes & ociosos, qui tamen & uictum & sumtum ciuitati suppeditent. Tales sunt multæ similitudines compositæ in Euangelica historia, ubi plura pluribus conferuntur, & quam supra in tertio modo reddítionem exempli uocamus, hanc analogiam, id est, proportionem uariæ similitudinis hoc loco appellamus. εἰκὼν, id est, imago & ficta similitudo, quæ cum descriptione quadam oculis subiícitur, & imaginem rei collatæ quasi uiuam exprimit. Tametsi hæc eadem plane uideatur, quæ analogia, nisi q̃d alicubi potest carere redditione elocutio. ἀντίθεσις est diuersarum rerum oppositio, ut dissimilium rerum comparatio. Iam uero diuersa alia sunt disparata, ut individua unius speciei, nedum plurium, ut plures species unius generis, nedū plurium, ut hoc diuersitas dispar est inter plura quam bina. Alia autem diuersa sunt opposita, q̃ Cicero repugnantia uocat, scilicet relatiua, ut pater filius: contra

a ria,

ria, ut bonus malus. Priuatiua, ut doctus indoctus. Contradictoria, ut gloria est appetenda, gloria non est appetenda: atqui oppositio non est nisi inter bina. Atq; hic aduerte duas regulas: diuersa & opposita sibi collata magis elucescere. Secunda, opposita, eidem subiecto simul inesse non posse, eiusdem respectu. Erasmus autem promiscue, ut dixi, has species tractat, quia magnam affinitatem habent inter se, quoniam & plura hic repetit de exemplo, significans proculdubio non ita superstitiose comparationem & exemplum separari, ne dum prædictas quatuor comparationis species ita subtiliter discerni. Simpliciter enim comparatio est uel similiũ collatio, & quæ uocatur homiosis, id est, simili tudo, uel comparatio, & diuersorum collatio inter se quæ uocatur antithesis, id est, oppositio uel contentio, & quæ in genere similitudo appellatur. Vtriusq; formæ, & præsertim prioris pulcerrima exempla copiose enumerat Erasmus in libro similium.

De imagine.

Εἰκὼν, quam Latini uocant imaginem collationi uidetur affinis, quàm si explices fit collatio. Velut si dicas, ut asinus fuste non depellitur pabulo, nisi satur: ita bellator nõ conquiescit à cæde, donec expleuerit animũ suum, Collatio est. Sin dixeris aliquem more draconis aut leonis in hostes insilijsse, εἰκὼν est. Aut Achillem ignis aut solis instar armis relucentem ueniisse in præliũ, imago potius est quàm simili-

militudo. In utroq;, ut creberrimus ita felicißimus est Homerus. Tametsi εἰκὼν magis ad euidentiam aut grauitatem, aut iucunditatem orationis facit, quàm ad probationem. Cæterum quanquam exemplorum & similium usus ad eadem ista confert, tamen ad faciendam fidem non uulgariter adiuuant, præsertim cum per inductionem quam Græci uocant ἐπαγωγὴν adhibentur. Quo in genere plurimus est Socrates Platonicus. Exemplum per inductionem adhibebitur hoc modo. Dic mihi quem tandem fructum attulit Demostheni insignis eloquentia? Nempe præter alia incommoda, infeliciſsimum & miserandum exitum. Quid autem præmij Tyb. & C. Gracchis attulit? nimirum cædem & miseram, nec satis honestam. Quid porrò illi tantopere laudato Antonio? Certe & hic latronum sicis crudeliſsimè confoſſus est. Age Ciceroni eloquentiæ parenti, quam mercedem attulit? Nónne mortem & acerbam & miserandam? I nunc & tot uigilijs ad summam eloquentiæ laudem enitere, quæ præstantißimis quibusq; uiris semper exitio fuit. Simile adhibetur per inductionem hoc modo. De nauigando num melius disputabit nauita, quàm medicus, an non medicus rectius de medendi ratione differet, quàm pictor? Num pictor de colorum & umbrarum, ac linearum ratione melius dicet, quàm sutor? Num auriga de ratione moderandi currum melius, quàm nauta? Ea si plurima conferantur, faciunt, ut omnino probabile uideatur, unumquenque melius de ea re

dicturum esse quàm melius norit. Deinde ad rem ac commodatur similitudo. At quid orator, qui de omni re profitetur se optimè dicturum? Notum est exemplum de Aspasia, & Aeschine.

De contentione demonstratiua.

Est & generalis quædam contentio, præsertim in genere demonstratiuo, quoties laudandi uituperandiue gratia personam cum persona conferimus. Veluti si quis Iulium pontificem Romanum laudaturus, eum cum C. Iulio Cæsare componat, atq; illius benefacta cum huius comparet. Aut contrà uituperaturus malefacta cum malefactis conferat. Item si quis Maximilianum laudaturus, eum cõponat cum M. Antonio imperatore. Est et rerum comparatio, quod genus est si quis historiam laudans, eius utilitates comparet cum eorum benefactis qui re bellica rempublicam auxerunt. Aut poëticam laudare cupiens, huius commoda cum philosophiæ commodis committat atq; expendat. Est & unius ad multa comparatio. Vt si quis historiæ laudes exaggerare cupiens, eam cum laudatißimis quibusq; disciplinis comparet. Atq; in his duplex ratio. Aut enim alterius partis bona eleuas, alterius amplificas. Aut alterius partis sic exaggeras laudes, ut præferas tamen, aut certe æques, quod laudandũ susceperis. In uituperando attollis uitia, sed sic ut scelestiorem tamen, aut æque scelestum ostendas quem insectaris. In his illud obseruandum, ut quæ adhibentur ad comparationem, sint tum confessa, tum insignia. Vt, si bonũ prin-

principem conferas cum Traiano aut Antonio Philosopho. Contrà malum cum Nerone aut Caligula. Rursus si hominem maledicum conferas cum Zoilo & Hyperbolo, aut hominem obtrectatorem cum Dipsade aut Regulo, hominem uoluptatib. effœminatum cum Sardanapalo. Crescet autem comparationis copia, si, quemadmodũ modo attigi, ad unius hominis aut rei laudem seu uituperationem, personæ complures, aut res adhibeantur. Veluti si quis principem laudaturus è multis excerpat, quod in quoq; maximè excelluit, è Iulio Cæsare felicitatem animiq; præsentiam, ex Alexandro magnanimitatem, ex Augusto urbanitatem, ex Tito seniore ciuilitatem, ex Traiano sanctimoniam & clementiam, ex Antonio gloriæ contemtum, atq; item de cæteris. Similiter & in uituperando. Præterea si iracundiã detestans conferas eam cum enormi temulentia, cum phreneſi, cum morbo comitiali aut dæmoniaco. Aut si linguæ uirulentiam damnans, componas eam cum halitu hominis pestilentia laborantis, cũ afflatu serpentum, quibus est uenenum præsentißimum, cum exhalatione quorundam lacuum aut ſpecuum subitam mortem adferente.

De contentione demonstratiua.

Cum admonuerit breuissimis uerbis de imagine, iam indicat exemplum, & comparationẽ quandoq; esse partẽ causſę, cum adhibentẽ gratia probandi, quandoq; esse χῆματα, cum adhibentur ornandi causſa præter necessitatem.

De iudicijs.

Ad exemplorum genus, ut diximus, referuntur & iudicia, quæ Græci κρίσεις appellãt. Eæ sunt sententiæ scriptorum illustrium, gentium, uirorum sapientum, aut clarorum ciuium. Ex antiquis ac celebratis poëtis magna uis iudiciorum colligitur. Item ex historiographis, ex philosophis, ex arcanis literis. Nam his rursum eadẽ uarietas, quæ in exemplis ostensa est. Sunt & apud Græcos, qui in his undecunq; colligendis laborarunt, quorum de numero Stobæus quidam. Idem ualent sapientum apophthegmata. Cuiusmodi sunt illa celebrium uirorũ dicta, & quæ referuntur à Plutarcho: Et hoc uarium genus est. Etenim si spectemus rem, sunt militaria, sunt philosophica. Si personas, sunt regum, sunt sapientum, sunt popularium. Si qualitatem, sunt grauiter dicta, sunt facetè dicta, sunt acutè dicta. Huc pertinent & prouerbia, uel ab autorib. sumta, uel uulgò iactata. Nam publica gentium instituta, non uideo quid ab exemplis differãt. Certè oracula & responsa numinum, iudicijs subijciuntur. Veluti si Socratem probes sapientem, quod ita Apollinis oraculo sit iudicatum.

De sententijs.

Est sententiarum genus, non illud quidem petitum ab autoribus, sed à nobis ad præsentis rei commoditatem confictum. Eas licebit omnibus orationis partibus admiscere. Atq; adeò unus locus complures sæpenumero sententias parit. Incidunt enim &

in

in enarrando, & in mouendis affectibus, non solum in probationibus. Quinetiam sæpenumero transiti ones per sententias fiunt. Quæ si in loco adhibeantur, haud mediocrem orationi copiam adiungent, neq; id sine grauitate aut gratia. Sunt autem sententiarum uariæ formæ. Siquidē aliæ sunt καθολικαί, ut inuidentia ipsa sui supplicium est. Aliæ non placent nisi ad rem relatæ. Vt nihil tam populare quā bonitas est. Aliæ quæ ad personam referantur. Vt princeps qui uult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. Rursum alia simplex: Vt, Omnia uincit amor. Alia rationem habet subiectā aut admixtam, ut in omni certamine qui opulentior est, etiamsi accepit iniuriam, tamen quia plus potest, facere uidetur. Quædam duplices sunt ex partibus contrarijs, nulla tamen addita ratione. Vt, Obsequium amicos, ueritas odium parit. Quædam ex diuersis. Mors misera non est, aditus ad mortem miser est. Huic generi si ad utranq; partem ratio subijciatur, quadripartita fuerit sententia, ad hunc modum: Qui adolescentium peccatis ignoſci oportere putant, fallūtur. Hæc prima sententiæ pars. Ei subnectitur ratio, propterea quod ætas est impedimēto bonis studijs. Deinde tertia pars erit. At hi sapienter cogitant, qui adolescentes maximè castigant. Et rursum additur ratio. Vt quibus uirtutibus omnem uitam tueri poßint, eas in ætate maturrima uelint cōparare. Id exemplum etiamsi est in Rhetorica ad Herennium scripta, tamen mihi sanè nō admodum arridet.

At non est arduum aliud huiusmodi fingere: Iuuentutem decet industria. Adijcitur ratio. Nã turpe sit eas dotes, quas natura ad bonas artes comparandas illis annis attribuit, in ocio fœdisq; uoluptatibus consumere. At senectutem opulentia decet. Huic quoq; subijcitur ratio, quo uidelicet ætas naturæ præsidijs destitutior, exterarum rerum adminiculis utcunq; fulciatur. Item aliud: Senectus inops calamitosa, indocta turpis. Nam & miserum est, tum egere, quum imbecillitas naturæ, pecuniæ subsidia præcipue requirit. Et turpe, tum res optimas nescire, cum nec discere decorum est, et docere pulcerrimũ. Rursum est sententia recta. Vt, Tam deest auaro quod habet quàm quod non habet. Est figurata. Vt seruare potui, pdere an poßim rogas? simplex erat, facilius est perdere, quàm seruare. Est communis rerum. Vt nocere facile est, prodesse difficilius. Est ad personas accommodata, ut iam minus appareat sententia, ut est illud M. Ciceronis: Nihil habet Cæsar, nec fortuna tua maius, quàm ut poßis, nec natura melius, quàm ut uelis seruare. Est illud etiã tacitum, & quasi dißimulatum sententiæ genus apud Maronem. Et cæco carpitur igni. Explicuit enim Ouidius. Tectus magis æstuat ignis. Item in narrando, Pars maior uicit meliorem. Explicabis, si dixeris, fere fit, ut pars maior uincat meliorẽ. Iam aliud sententiæ genus, quod ἐπιφώνημα Græci, Fabius acclamationẽ appellat. Ea est rei narratæ uel probatæ summa acclamatio. Narratæ, ut apud Virgilium:

lium: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Probatæ apud M. Tullium pro Ligario: Quorum igitur impunitas Cæsar tuæ clementiæ laus est, eorũ te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Neq; tamen quoduis epiphonema continuo sententia est, etiamsi plerunq; est, uerum quicquid in clausula argutè additum, ferit aurẽ, ἐπιφώνημα dici potest. Quod genus proprium est epigrammatis, ut in epigrammate, de oue lupi catulum uberibus alente. Natura haud unquã uertitur officijs. Vnde apud Martialem sæpenumero carmen epiphonemate claditur. Vt: Aut uigila aut dormi Nasidiene tibi. Item: Vis dicam quid sis? magnus es ardelio. Vtitur & Valerius Maximus frequẽter hoc genere. Item Seneca suas epistolas ferè claudit epiphonemate. Neq; defuerunt quibus epiphonematum usus adeò impensè placuit, ut omni loco, omni sensui clausulã acclamatoriam subijciendam existimarint. Sed ut sententiarum omnium, ita & acclamationum debet esse modus, ut ibi demum adhibeas, ubi locus postulat, aut certe patitur. Est Noëma sententiæ genus quod non dicitur, sed intelligitur. Quod genus est illud dictũ in quandã agentem cum sorore Talionis, quod sibi dormienti pollicem resciderat, cum illa fratrem sæpius à ludo gladiatorio redemisset. Eras dignus ut haberes integram manum: nam intelligitur, ut rursum in ludo depugnares. Simile est illud Hortensij, Ni fallor, qui negabat se unquam cum matre aut sorore rediisse in gratiam: intelligitur enim unquam

illi cum matre aut sorore incidisse dissidiũ. Sunt no ua sententiarum genera, ex inopinato, & ex alio re latis, & ex alio translatis, ex geminatione, ex con trarijs. Quorũ exempla si quis desideret, ex Quin tiliano petat licebit.

De iudicijs.

Decimumquintum caput Copiæ rerum est iudicatio quæ rectius uocatur autoritas. Græci κρίσιν, id est, iudicium appellant, & Dialect. locum Topices ab autoritate, cuius regulã hanc tradunt. Peritissimo cuique in sua professione maxime credendum esse. Verum autoritas est aliena instituti uel dicti sententiæue collatio ad nostram caussam accommodata propter similem aut dissimile quippiã. Huius species cum & Erasmus & Fabius in octauo, cap. 5. plures pernumeret, tamen septem præcipuę sunt. Prima γνῶμη, id est, sententia moralis uulgata tanquam commune principium ad mores pertinens, ut labor improb. omnia uincit, quales sunt Salomonis, uel Catonis sententię. Item apud Phocilidem & Theognidem poëtam, & tota Æthica huiusmodi sententijs est refertissima. Secunda prolepsis, id est, sententia communis uel regula generalis ad nostrum uel sermonem pertinens, quod præcipuum didacticum complexum alias uocatur, quales sunt catholicæ & communes regulæ, in Physicis, in Mathematicis, in artib. dicendi, inq; alijs professionibus natura uel doctrina cognitæ. Ex huiusmodi sententijs sumitur fere maior in qualibet demonstratione, quas alioqui

axio-

axiomata, hoc est, dignitates uocant, tanquam fide dignissimas sententias. De his amplius tractatur ab Arist. & alijs in materia syllogismi demonstratiui, quomodo principia alia sint communia, quæ per naturam quasi cognita, ualent in omnes professiones & actiones. Alia uero sunt propria per doctrinam cognita, quæ in suam quanq; professionem ualent, ut generales regulæ singularum artium. Tertia παροιμία, id est, prouerbium uel adagium, de quo abunde Erasmus in principio adagiorū. Quarta χρεία, quę est breuissima expositio alicuius facti uel dicti cum autoris nomine citato, plerunq; sententiosa, quandoq; etiam non sententiosa: ut si dicam, recte iudicabat Iugurtha Romam esse uenalem, si modo emtorē haberet. Item, bene dixit Plato, mutatis cantibus musicorum in ciuitate mutari quoq; eisdem mores. χρεῖαν Cicero in præfatione tertij Officiorum pertractat, Scipionem dicere solitum se nunquam minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus. Quinta ἐνθύμημα, est sententia ex contrarijs, ut si bonis placere magna laus est, certe malis hominibus probari ignominia est. Item: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Neq; est hic ἐνθύμημα species argumentationis Dialecticæ. Sexta αἶνος est dictum uel sententia ex apologo sumta, qualia sunt epimythia, id est, apologationes & allegoriæ interpretantes apologos, & eorum usum indicantes. Septimum oraculum χρησμός, id est, dictum ab ore Dei

re Dei exceptū, uel ex mandato Dei prolatum, qualia sunt omnia fere quæ in Bibliis dicuntur & præcipiuntur. Sic multa oracula Deorum prophanorum citantur a Gentilibus & Ecclesia sticis scriptoribus. Talia item sunt oracula & responsa Prophetarum & Sybillarum. Verum ex his septem speciebus prima, secunda, & septima species, fere demonstrationis cuiuslibet maiorem suppeditant præmissam. Si quæ uero nominentur species aliæ sententiarum, illę connumerari possunt prædictis septem, sicut apophthegma, id est, dicterium refertur ad χρείαν. Epiphonema ad sententiam. Sic & noëma, quod est sententiosum scomma detortum in personam aliquam, cuius mores uel ineptiæ notantur, ut in quarta Decade Liuius inquit, Athenienses interim uerbis & concionibus bellum gerebāt cum Philippo, quo noëmate Liuius falsè notat imbellem loquacitatem Græculorum, & dicitur noëma ab intellectu, quia peculiarem quendam habet intellectum & emphasim ad notandum aliquem.

De expolitione.

Cum hoc sententiarum genere, quod superius ostendimus, ex quatuor constare partibus, cognationem habere uidetur expolitio. Sic enim uocant quoties eodem in loco diutius commoramur, & eandem sententiam alijs atq; alijs modis uariamus, simul & locupletamus. Commutatione uerborum, cum eadē res alijs atq; alijs uerbis alijsq; figuris, sæpius effertur.

fertur. Commutatione pronunciationis cum alio atque alio uultu, gestu, uoce. Commutatione tractationis, cum quod iam sub persona nostra diximus, idem alium, sed paulò aliter dicentem facimus. Vel cum quod sedatius est disputatum, id acrius atq; inflammatius efferimus. Verum copiosissima expolitio septem constat partibus. Propositione, ratione, dupli ci sententia, cui ratio item duplex subijci potest, cõtrario, simili exemplo, conclusione. Exemplum erit huiusmodi. Sapiens nullum pro republica uitabit periculum. Ideo quod sæpe fit, ut cum pro Republica perire noluerit, necessario cum Republica pereat. Et quoniam sunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est. Hæc est prima pars qua tota res simpliciter exposita est, & rationibus confirmata, cui subditur duplex sententia ducta totidem aut pluribus rationibus. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro republica subeundum est, stulte faciunt. Hæc est sententia, cui subnectitur ratio. Nam neq; effugere id possunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. Deinde additur altera sententiæ pars è contrario. At qui patriæ pericula suo periculo propellunt, hi sapientes putandi sunt. Mox adijciuntur rationes, cum & eum quem debent honorem Reipublicæ reddunt, et pro multis perire malunt, quàm cum multis. Iam adiungitur hic contrarium. Etenim uehementer est iniquum uitam à natura acceptam per patriam cum seruaueris naturæ cum cogat reddere, patriæ cum

roget

roget nõ dare. Et cum poßis cum ſumma uirtute & honore pro patria interire, malle per dedecus & ignauiam uiuere, pro amicis & parentibus ac cæteris neceſſarijs adire periculum cum uelis, pro Republica in qua & hoc, & illud ſanctiſsimum patriæ nomen continetur, nolle in diſcrimen uenire. Deinde adhibetur ſimile. Itaq; uti contemnendus eſt, qui nauigando, ſe quàm nauim mauult incolumem. Ita uituperandus qui in Reipub. diſcrimine, ſuæ ſaluti plus quàm communi conſulit. Additur collatio ſimilitudinis, à maiori. Naue fracta multi incolumes fuerunt. Ex naufragio patriæ, ſaluus nemo poteſt enatare. Sub hæc exemplum annectitur. Quod mihi uidetur Decius intellexiſſe, qui ſe deuouiſſe dicitur, & pro legionibus ſe in hoſtes immiſiſſe medios. Huic annectuntur ſententiæ, unde uitam amiſit, non perdidit. Re enim uilißima maximam redemit. Vitam dedit, accepit patriã. Amiſit animam, potitus eſt gloria, quæ cum ſumma laude prodita uetuſtate, quotidie magis enitescit. Demum apponitur concluſio tanquam epilogus. Quod ſi pro republica debere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum, hi ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculum uitant. Ergo conueniet huiuſmodi thematis exercere pueros, qui ad copiã parandam inſtituuntur. Quanquam ne hoc quidẽ exemplum ex Herenniana Rhetorica mihi magnopere probatur, niſi quod utcunque rationem indicat. Poteſt autem copioſius etiã tracta-

tractari, si plures sententias & rationes, si plura similia, si exempla plura congeras.

De *expolitione.*

Decimum sextum caput Copiæ rerum est expolitio, quam Græci ἀνάπαυσιν uocant, quasi operis & rei absolutam perfectionem: & expolitio est synonymia pluribus explicata uerbis, sensibus figurisq; idem significantibus, & in rebus cognatis finitimisq; commoratio prolixa: uel expolitio est rerum figura, quum uersamus sæpe diuersis modis eadem & in una re hæremus, atq; in eadem commoramur sententia, ita tamen ut aliud atq; aliud dicere uideamur. Hæc definitio elicitur ex Oratore perfecto Ciceronis, & ex quarto ad Herennium. Huius figuræ expolitionis Cicero ostendit duplicem usum, cum dicit eam primo ualere plurimum in exponenda explicandaq; re, & ad illustrandum id quod exponitur: atq; ita primum inseruit descriptioni, de qua supra eodem capite 5. & expolitioni, de qua infra 17. Secundo, expolitionem ualere ad amplificandum, ut ijs qui audient illud quod augebimus tantum & tam illustre esse uideatur, quantum efficere poterit oratio & exprimere: & ita secundo inseruit hæc amplificationi, de qua supra eodem capite nono. Non enim solummodo quatuor sunt formæ amplificationis supra enumeratę cap. 9. sed plures adeo. Et sunt qui expolitionem idem esse dicant cum amplificatione: ueruntamen adeo differt expolitio ab amplificatione, ut syntomia, id est, breuitas

tas expolitioni contraria, differt à diminutione. In summa ergo expolitio ualet ad detinendum auditorem diu in eadem materia, citra fatigatio nem tamen & tædium, quod facile pellit oratio nis figurarumq; uarietas, tractandiq; diuersitas. Cæterum expolitio est duplex secundum Ciceronem. Primo, cum eandem rem diuerse & commutate dicimus. Secundo, cum de eadem re commutate dicimus. Prior species uocatur expolitio per synonymiam, & fit bifariam. Primo, commutatis uerbis per synonymiam uocabulorum uel constructionis, de qua supra in primo, cap. 11. ut est in 13. Metam. in querela Hecub.

Nata iaces, uideoq; meum tua uulnera pectus.
Et ne perdiderint quenquam sine cæde meorꝝ.
Tu quoq; uulnus habes. Et postea.
Cecidisti & fœmina ferro.
Postq; tot amissos, tu nunc quæ sola leuabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti &c̃.

Sic enim dolor facit loquaces & disertos. Secundo fit commutato gestu & pronunciatione uariata: sic Roscius actor fabularum solebat cũ Cicerone domi certare, utrum ille sæpius gestu & actione corporis, an Cicero crebrius eandem sententiã uariaret & mutaret per synonymiam. Tertio fit mutata tractatione per figuras, si eandem sententiam primo uerbis propriis & sine figura, deinde figuratis uerbis & tropis schematibusq; primi secundiq; ordinis, quasi per synonymiam figuram mutatam efferamus, & iis præsertim figuris mutemus uarie, quæ auditorem uel

uel dicentem quoq; exuſcitent atq; expergefaciant, ut eſt communicatio, interrogatio, ſubiectio, apoſtrophe, comprecatio & ſimiles figuræ. De hac autem prima expolitionis ſpecie per ſynonymiam, ppríe docetur ſupra in primo toto libro, eiusq; proponuntur ab Eraſmo exempla, & experientiæ capite triceſimo, & alibi: & omnino plurima exempla eius paſsim inueniuntur apud autores copioſos, ut apud Ouidium, Eraſmum, Ciceronem in epiſtolis quoq;: quin & apud Terentium alioqui preſſiorem, ut in Andria actu primo, ſcena quinta, Querela Pamphili, in actu 4. ſcena prima, Querela Carini. & in actu quinto, ſcena tertia, obiurgatio Simonis: in Eunucho actu primo ſcena ſecunda, Excuſatio Thaidis: & in actu 5. ſcena 9. geſticulatio Chęreæ. Et hæc ſatis de expolitione ſynonymiæ, quam & interpretationem uocant, & eius plurimus eſt uſus in Grammatica expolitione autorum & commentariorum, & in paraphraſi líberiore, ut apud Eraſmum. Altera ſpecies uocatur expolitio rerum, multo copioſior nō ſolum in uerbis ſynonymis, ſed in rebus quoq; cognatis & finitimis commorās diutius, quam de eadem re uocant. Atque hæc ſane nihil fere aliud eſt quam expolita probatio, uel argumentatio explicata. Nam in hac orationis parte uerſatur plurimum. Cuius expolitionis ordine docendi gratia talem indicant ſeptenarium, ut patebit in exemplo Eraſmi ex Cicerone. Primo, ponitur propoſitio complectens rem expoliendam. Se-

cundo, ratio eius propositionis tanquam in syllogismo minor subnectitur, & potest hæc ratio simplex aut multiplex esse. Tertio, moralis sententia sequitur gratiosa & popularis, tanquam maior in syllogismo, uel qua propositio aut ratio tam probetur quam illustretur. Et hæc sententia uel absolute, uel item cum summa ratione additur. Quarto, sequitur contrarium siue sententiæ siue rationis illustrandæ caussa, quod erit quasi per impossibile syllogismum reducere, uel quasi ex oppositis illustrare. Quinto, similitudo illustris accommodatur ex re aliqua simili. Sexto, exemplũ facti simplex aut multiplex subiungitur: etenim expolitioni plurimum inseruit exemplũ, comparatio & autoritas. Septimo, conclusio uel syllogismus ad finem ponitur, continens repetitionem breuem rationum, propositionis, comparationis & exempli. Eritque hæc conclusio quasi epilogus totius argumentationis & loci expoliti. Non tamen superstitiose istum septenarium numerum uel ordinem obseruare semper necesse est, quia pluribus etiam figuris aut paucioribus & diuerso quoque ordine res augetur & expolitur, ut apparebit in exemplis infra allegatis. Genus dicendi requirit expolitio plerunque non admodũ grande, sed medium illud & temperatum: cæterum copiosum, quale est Erasmi, qui in expoliendo & commorando est mirabiliter felix & frequẽs, ut in tyrannicida, in bello. Inuenies tamen alicubi apud Ciceronem & Virgilium, ut mox in propositione

positione & inuocatione Æneid. grandi genere explicatas expolitiones, quæ faciunt ad amplificationem, quod genus familiare est Statio in Thebaide & Achilleide. Exempla uero huius figuræ passim apud Ciceronem inuenies, ut pro Quintio, uide quomodo exponat propositionem illam, nihil debuisse Quintium ipsi Neuio: quia neminem toto biennio Neuius alioquin auarissimus compellarit de debito. Et hoc exemplum pertinet ad primam speciem. Aliud exemplum pertinens ad hanc secundam speciem, habes pro Roscio Amerino, ubi docet accusatorem esse debere ueracem, non calumniatorem: & pro eodem Roscio pulcerrimum est exemplum expolitæ huius sententiæ, crimen parricidij non temere in hominem cadere, ubi grandi oratione utitur. exemplum est item pro Cælio de Clodiæ improbitate, & Cælij innocentia ual de commodum. Solet autem Cicero in secunda specie expositionis fere pulcris & connexis periodis decurrere, atq; ita rei expolitæ non tantum lux & ornatus, uerumetiam autoritas gratiaq; comparatur. Finitima porro est expolitioni commoratio a Græcis uocata ἐπεξεργασία, cum in argumento uel loco firmiore uel illustriore, quo tota causa continetur & splendet, manemus diutius, & eodem sæpius redimus. Estq; hæc propria orationis figura tanquam sanguis diffusus per totū corpus, nam est commoratio pars causæ potius quam schema. Sic Cicero locum de insidiatore, & locum de suspicionibus

nibus in Miloniana ualde urget: sic Vlysses suã prudentiam, suaq; consilia sæpe ingerit, in decimotertio Metamorph. Sic Moses in Deuter. passim beneficia Dei erga Hebræos, & minas Dei contra contumaces ingerit & inculcat. Et nim in qualibet bona oratiõe sic caput caussę petimus, & urgemus. Et quidem separo commorationẽ ab expolitione magis secundum autorem libri ad Herenniũ, quam ex animi mei sententia, quia parum caute mihi uidentur seiungi figuræ alioqui affines & similes, cum hæc superstitiosa distinctio impediat discentem potius quam expediat. Dicerem ergo idem esse expolitionem & commorationem, ut utranq; etiam supra complexus sum una definitione. Fabius quidem commorationem uocat repetitionem eiusdem probationis exabundanti, id est, expolitionem, quæ primas certe obtinet propemodum inter figuras, inseruiens peculiariter styli exercitationi, ut ait Cicero, quare diligenter hanc formam in bonis autorib. obseruare, imitari, exercereq; debemus, cum sit ad parandam copiam & ad quamlibet rem illustrandam, perspicueq; exprimendam maxime utilis. Verum in ea cauere oportet. Primo ne expolitio per synonymiam aberret in ταυτολογίαν, quæ est fastidiosa, ingeminatio, & tædiosa repetitio eiusdem rei uel sententiæ, nulla commutatione uerborum, nullaq; orationis uarietate culta. Secundo, ne in re tenui operosam expolitionem rerum faciamus, quam περισσολογίαν, id est, superua-

caneam

caneam operam, nimisq; curiosam & immodicam loquacitatem uocant, & hoc uitium illis cauendum est denicq;, qui serio declamare uel dicere uolunt, quia priuatim intra parietes de re tenui ludere uerbosius & loquacius non inutile est, sed mire copiam adiuuat. Verum hæc utraq; uitia non cauere, est audientem obtundere non rem expolire, nedum gratiam rei conciliare, quæ tamen sunt obuia incautius, ut supra in primo, capite octauo dictum est satis. Expolitioni diuersa uirtus orationis est breuitas, quam Græci συντομίαν, id est, concisam uel pressam orationem uocant. Ea quidem apta est exprimendæ rei, & ad docendum mire utilis, qua utimur cum aliquid breuiter significare, perspicue, uel dissimulare malumus quam explicare. Hanc comitatur uel simplicitas uel obscuritas, iuxta illud: Breuis esse laboro, obscurus fio. Videndum est autem ut rei celeritatem & breuitatem significemus crebris commatibus atq; membris, cuiusmodi orationem in cõcisis argumentis & demonstrationibus uti solemus, ubi ex aperto aduersariũ inuadimus, & re magis quam uerbis expugnamus. Est etiam narrationibus quandoq; necessaria breuitas, ut Fabius libro 4. capite 2. ostendit. Et familiaris est syntomia illis, quos uocant uulgo Atticos, id est, utentes breui & tenui subtilicq; genere orationis, qui breuiter rem absoluunt, & perspicue paucis exponunt quid uelint, neq; diu immorantur eidem rei tractandæ, qualis est Aristoteles, Salu-

stius, Æmilius Probus, Iustinus, Terentius, atq; alij huius generis autores. Est autem cauenda obscuritas, uicinum quidem, sed diuersum uitium breuitatis, ut ne omittamus necessaria, sicut in expolitione cauere oportet, ne uersemur in superuacaneis & ociosis: atq; hæc de expolitione & breuitate ad præsens dicta sufficiant. Quod autem Erasmus hoc loco de expolitione sententiæ tantum loquitur, & iudicationis, non referri debet ad solas sententias tractandas & expoliendas, sed omnino cuilibet argumento accommodari debet quod potest commode explicari tractariq; uerbose. Reliqua autem de his schematibus uitijsq; diuersis facile per usum & per exercitationem styli, & obseruationem autorum intelligantur.

De apologis.

Ad fabulosorum genus proxime accedunt apologi, nisi quòd & delectant uehementius, & efficacius persuadent. Delectant, morum facetâ quadam imitatione, faciunt fidẽ, quia uerum ueluti ponunt ante oculos. Capiuntur his præcipue rustici & imperiti, & si quis alius est, qui mores aurei seculi sapit. Celebrantur apologi maxime Aesopi nomine, qui unus è sapientum numero ob hoc ipsum est habitus. Etiã si Quintilianus ab Hesiodo scriptas fuisse, certe maioris cuiuspiam ingenij opus existimat. Quo minus mirandum, si Menenius Agrippa plebẽ Romanam à periculosissima seditione reuocauit, cõficto in id apologo de corporis humani membris aduersus uentrem

trem conſpirantibus, ut refert Titus Liuius. Et Themiſtocles Athenienſibus perſuaſit, ne nouarent magiſtratus, fabula de Vulpe muſicis obſita. Quin liberum eſt cuiq; pro re confingere genus huiuſmodi. Verum ut aptè confingas, cum ingenio ualeas oportet, tum animantiũ naturas (ſunt autem infinitæ uarietatis) penitus animaduerſas habeas neceſſe eſt. Porrò quod ad uſum attinet, ſignificantur uerbo, quemadmodum exempla, maxime ſi notus ſit apologus, ueluti ſi dicas: Si tua ſcripta lacerant ac damnãt imperiti, noli laborare, certe doctiſſimo cuiq; maximè probantur. Quid enim mirum, ſi gemmam aſper natur Gallus Aeſopicus? Aut ſi quis dicat, Nullus hoſtis quantumlibet impotens humilisq; negligendus aut contemnendus eſt, poſteaquam nec Scarabæum impunè cõtemſit Aquila Aeſopica. Aut hoc pacto, Tuis ipſius benefactis nitere, non maiorum ſplendore, ne tibi uſu ueniat quod Aeſopi corniculæ. Dilatentur autem præfatione cõmendationis. Commendamus tum autorem ipſum, tum Apologorum genus. Ita ut fecit Aulus Gellius in explicanda Caſitæ fabula, Acſopus ille è Phrygia fabulator, et cætera. Nam locus in promtu eſt. Deinde ſi deſcribẽdis animantium, aut rerum formis ac naturis, quos inducis, longius immoraberis. Quandoquidẽ hoc iam ipſum & cum uoluptate accipitur, & ad eruditionem liberalem pertinet. Veluti ſi Scarabæi formam, deinde quemadmodum è ſtercoribus naſcatur, & quo pacto poſterioribus pedibus erectis ſtercora protru-

dat, atq; id genus alia describas. Ad eundem modum Aquilam regnum in auium genus obtinere, armigeram esse Iouis, non offendi fulmine, nõ conniuere ad ardẽtißimos Solis radios, pernicißimo uolatu ultra nubes ferri. Deniq; quæcunq; uel ad Scarabæorum humilitatem exaggerandam, uel Aquilæ generositatem attollendã pertineant. Quod quidem argumentum nos per lusum tractauimus in proverbijs. Atq; hac in re non prætermittendum, si quid animanti cuipiam fabulis Poëtarum est attributum. Quod genus è Lycaone natos lupos, ex adolescente perdicem, cygnum Apollini sacrum esse, & sub fatalem horã suauißimè canere, coruum eiusdem fuisse nuncium, et ob cessationem ex albo nigrum factum. Aut si quid proditum est historijs, insigniter ab his factum, uelut de aquila quæ uirginem adamauit, apud Plinium. De Bucephalo Alexandri magni equo, atq; item de cæteris, nam rationem duntaxat ostendimus. Deinde cum ad ipsum apologum erit uentum, fusius ac latius narrare licebit. Id fiet citra tædium, si facetã quadam imitatione quod est in hominum uita, ad fabulæ mores accõmodabimus. Præterea si ad eandem rationem sermones, sententias, dictaq; effingemus. Exemplum aptißimum est apud Horatium in Satyr. Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cauo, ueterum uetus hospes amicum Asper & attentus, quæsitus ut tamẽ artum Solueret hospitijs animum, & cætera, nam in promtu locus est. Est item exemplum dilatati apologi apud

gi apud Apuleium de coruo & uulpe: rursum apud Aulum Gellium de cassita auicula. Cæterum quod ἐπιμύθιον uocant, id est, apologi interpretationẽ, non admodum refert initio ponas aut in fine. Quan quam & hinc incipere licebit, & in hanc desinere, modo sermonis accedat uarietas.

De somnijs.

Affinguntur à nonnullis somnia quoq; quæ fortassis adhibenda non sunt, nisi in ostentatione, quod genus Luciani somnium. Aut quoties ea pro ueris uisis, hortãdi deterrendiue gratia narramus. Tale est Prodici figmentum de Hercule ambigente, utrã uitæ uiam ingrederetur, uirtutis arduam, an uoluptatis procliuem. Simile de Momo qui hoc reprehendit in homine, quod demiurgos illi finxisset cor sinuosum, nec addidisset fenestram in boue, quod in summis cornibus non addidisset oculos, ut uideret quid feriret. Huiusmodi uidetur illud diui Hieronymi, de sese flagris cæso quod Ciceronianus esset. Et nos item pueri in hoc genere lusimus.

De fictis narrationibus.

Iam fictæ narrationes rerum gestarum, si persuadendi gratia pro ueris adhibeantur, quàm maximè fieri potest, ad ueri similitudinem componantur oportet. Sunt autem ex arte Rhetorica notæ partes, quibus probabilitas cõstat. Cuiusmodi est fabula de Memmio apud Ciceronem, & fortasse de Vulteio apud Horatium. Genus hoc uideo nonnullis nimium placuisse, qui uulgi credulitate freti, stultissima quæ

dã miraculorum ostenta pro certissimis inuexerunt Christianorum literis. Porrò quæ risus caussa finguntur, quo lõgius absunt à uero, hoc magis demulcent animos, modò ne sint anicularum similia deliramentis, & eruditis allusionibus doctas etiam aures capere possint. Quo de genere sunt Luciani ueræ narrationes, & ad huius exemplum effictus asinus Apuleij. Præterea Icaro Menippus, & reliqua Luciani pleraq;. Item argumenta fermè omnia ueteris comœdiæ, quæ non imagine ueri, sed allusionibus et allegorijs delectant. Nã illud fictionis genus, quod ad simulacrum rerum adumbratur, haud dubium est, quin ad parabolam pertineat. Exemplum huius est apud Platonem de specu, in quo uincti quidam umbris perinde ut ipsis rebus delectantur.

De Allegorijs Theologicis.

At quoties ad pietatem adhortamur, aut dehortamur, plurimum adiumenti conferent exempla ueteris ac noui testamenti, id est, Euangeliorum. Quæ per allegoriam uariè tractantur, & eadẽ modò ad mores hominum, modò ad corpus ecclesiæ Christo capiti connexum & cohærens, modò ad cœlestem illam communionem, rursum ad prisca nascẽtis fidei tempora, & ad hæc nostra possunt accommodari. Sed hisce de rebus copiosius & exactius disseremus in libello, quem instituimus de Theologicis allegorijs. Atq; hæc fermè omnia ad exemplorum genus referuntur, in quib. fumus paulò diutius immorati, quòd ex hoc potissimum mundo copiæ supellex de-

proma-

promatur. Sed priusquam ab his digrediamur, uisum est etiam nonnulla paucis admonere.

De Apologis.

Decimumseptimum caput Copiæ rerum est expositio uel narratio Græcis uocata exegesis. Quamuis autem Erasmus hoc loco de apologo præcipit, & allegoria, & reuera de apologico & allegorico exemplo tractando loquitur, neq; eius institutum est nouum hic caput Copiæ tradere, tamen usus & experientia docet, expositionem esse peculiare caput Copiæ rerum, quæ non semper necessitatis uel exempli caussa tanquam pars argumenti propositi, uerum & sæpe ornatus gratia inseritur orationi tanquam schema, ut tædium fallat auditoris. Verum expositio est rei gestæ, uel fictæ narratio. Huius cum numerentur quinq; species in libro ad Herennium, nos tamen ex sententia Erasmi tres addimus. Prima species expositionis apologus, est fabella, in qua rebus inanimatis uel mutis animalibus colloquia, affectus, & negocia hominum affingimus, ut apud Æsopum supra capite decimotertio dictum est. Secunda species μῦθος fabula, est narratio poëtica, qua nō ueras, sed procul a ueritate remotas, immo plerunq; ne ueriſimiles quidem res complectitur, ut apud Ouid. in Metam. apud Lucianum in ueris narrationibus. Tametsi aliquando poëtæ ueras quoq; res scribant, ut Lucan. & Virgil. quibus admiscent in loco fabulas delectandi gratia. Tertia species drama argumentum, est actuosa expositio, continens

tinens rem fictam quidem, sed tamen uerisimilem pleraq; parte, & quæ fieri sic potuerit & accidere, ut in Comœdijs et Dialogis, ut in Bucolicis & Eclogis, nam Tragœdiæ partim fabulam, partim δρᾶμα habent. Quarta species historia, est expositio rerum uere gestarum, uoluptatis & utilitatis caussa scripta, unde uirtutum, uitiorum, consiliorum, euentuum, dictorum, fortunæq; exempla imitanda aut fugienda sumuntur, ut apud Liuium, Salustium, Herodotum, Diodorum, & alios historicos Græcos Latinosque ueteres ac nouos. Quinta species narratio Rhetorica, est expositio facti perspicua & breuis, in qua probationis capita & materies argumentorum continentur & proponuntur, inde in probatione explicanda, de qua infra capite penult. & Fabius in 4. cap. 2. toto. Huius exempla sunt plurima & optima apud Ciceronem in orationibus pleriscq;. Item apud Declamatores & alios Oratores. Cõuenit autem experiri priores species quatuor diligenter ideo, ut deinde commodius Rhetoricam narrationem in causssis scholasticis uel Ciuilibus exponere possimus, atq; assuefiamus ad dicendi perspicuitatem & exponendi ordinẽ, quia nihil est difficilius quam bene & perspicue narrare, ut inquit Cicero. Sexta species ἠθοποιΐα, quæ & ἠθολογία uocatur, de qua supra eodem cap. quinto, eam in personis & affectibus positam sic describit Cicero in primo ad Herennium dicens, illud genus narrationis, quod in personis positũ est, nempe ἠθοποιΐα, id est,

est, proprietas morum & affectuum debet habe re sermonis festiuitatem, animorum dissimilitu dinem, grauitatem, lenitatem, spem, metum, su spicionem, desiderium, dissimulationem, erro-rem, misericordiam, ueniam, rerum uarietates, fortunæ commutationem, insperatum incom-modum, subitam lætitiam, iucundum exitum. Verum hæc in experiendo transigentur, quæ quidem omnia pertinent ad descriptionem mo rum, & affectuum, præcipue leniorum. Sed de hac ἠθοποιΐα extat libellus Emporij Sophistæ Græci, & etiam supra eodem, cap. 5. satis dictum est. Septima species est ἀλληγορία, quam Latini allusionem uocant, hæc quidem nō est simplex narratio, sed est alienæ expositionis interpreta-tio & accommodatio, alludens ad rem ab alio narratam, & ad præsentes mores uel affectus, uel ad naturam. Sic allegoria alienam narratio-nem transfert ad suum institutum, indicans eius usum cum apologum exponis, & accōmodas ad mores nostros, ut cum fabula exponitur & refertur, uel ad mores, uel ad naturam, quæ spe-cies allegoriæ uocatur mythologia, id est, fabu læ interpretatio & accōmodatio, de qua supra eodem, capite decimotertio satis docuit, & eius exempla plurima habentur apud Bocatium in genealogijs, qui plerasq; fabulas erudite, tamet si non satis bona oratione exponit. Sic Horatius, ut dixi, fabulam Homericam de porcis re-fert ad otiosos & uoluptuarios homines. Nos numerus sumus, & fruges consumere nati. Sic

Pro-

Propertius libro secundo Elegiarum de amore fabulam Cupidinis exponit. Est & altera species allegoriæ, σφαλολογίαν, id est, diuinatoriã expositionem appellare possumus, eam, si quę prodigia, signa, somnia, responsa, ostẽta interpretatur, coniectans ex alijs futuros euentus aliunde quippiam latens. Sic Silius Italicus in primo exponit somnium Hannibalis profecturi in Italiã, quod etiam Liuius in primo de bello Punico. Sic Anchises exponit oraculum Apollinis de Italia petenda in tertio Æneidos, & extat Græci cuiusdam iustus commentarius de expositione somniorum. Huc refer etiam Chiromantiam & Physiognomoniam, aliasq; species mantices, id est, diuinationis, cuius plurima exempla numerat Cicero in libro de diuinatiõe. Et Valerius libro primo, capite quinto de auspicijs, de ominibus, de somnijs. Sic & Ecclesiastici scriptores sæpe utuntur allegoria, quum historiam uel prophetiam aliquam, aut parabolam exponunt aliorsum, quam uerba eius sonent, ut apud Lucã exponitur parabola de seminante, apud Matthæũ parabola de uinea & latronibus: apud diuũ Petrum de diluuio & arca, referẽt ad baptismum. Verum de his consule potius ipsos Ecclesiasticos. Octaua species expolitionis est ἐξηγησία, id est, enarratio, quę est alienæ sententiæ uel scripti simplex expositio, propria Grammaticis illis quos commentarios uel commentatores uocamus, qualis est Seruius & Donatus, & Virgilius, Asconius, ut in orationes Ciceronis, Macrobius in

in somnium Scipionis, alijq; commentarij in aliorum scriptorum opera. Huius enarrationis sunt tres modi. Primus quum iustum aliquem uel longiorem atq; ampliorem locum alieni scripti, quam breuissimis uerbis summatim & perspicue exponimus, ut fere Asconius in orationibus, ut Iureconsulti in summarijs legum suarum. Secundus modus, cum alienam sententiam totidem fere uerbis, sed alijs tamen, & synonymis exponimus, quæ proprie uocatur interpretatio. Sic etiam cum Græca aut uernacula Latine reddimus. Atq; in hac interpretatione obseruare debemus proprietatem sermonis & sententiæ. Tertius modus, cum alienam sententiam iusto commentario & paraphrasi, id est, liberiore & copiosiore expositione explicamus, multaq; de nostro declarandi gratia addimus, petita tamen ex finitimo. Talis est commentarius Macrobij in somnium. Tales sunt plerique alij commentarij ueteres: ubi tamen cauere debet, maxime ne inhæreamus diu in illis quę sunt alioquí perspicua, & contra ne obiter & neglecte transeamus obscuriora, & ea quæ indigent altiore indagine. Huius autem uniuersæ narrationis officium pertinet ad alteram speciem Grammaticæ, quæ inde nomen habet exegeticę, quod sit expositoria, de qua Fabius in primo libro, admonet eius esse indicare œconomiam quoq;, id est, dispositionem uel artificium scriptorum. Verum hæc de octo formis expositionis dixisse modo satis est.

Ratio

Ratio colligendi exemplа.

Iam primum quemadmodum unumquodlibet horum uariè poßit accommodari per ſimilitudinem, per contrarium, per comparationem, per hyperbolen, per epitheton, per imaginem, per metaphorã, per allegoriam ſuperiori commentario demonſtratum eſt. Nunc qua ratione fieri poßit, ut ampliſſimam horum uim in promtu, ac uelut in numerato poßimus habere, indicabimus. Conſilium quidem non perinde magnificum ut frugiferum. quod utinam iuuenes olim ipſi fuiſſemus ſecuti (nam tum quoque ueniebat in mentem) uideo quantum momenti literulis noſtris fuerit acceſſurum. Attamen candidi eſt ingenij non inuidere bonæ ſpei iuuenibus, quod tibi uel negarit fortuna, uel non pararit diligentia. Ergo qui deſtinauit per omne genus autorũ lectionе graſſari, (nam id omnino ſemel in uita faciendũ, ei qui uelit inter eruditos haberi) prius ſibi quam plurimos comparabit locos. Eos ſumet partim à generibus ac partibus uitiorum uirtutumq;, partim ab his, quæ ſunt in rebus mortalium præcipua, quæque frequentiſſime ſolent in ſuadendo incidere: eáque conueniet iuxta rationem affinitatis & pugnantiæ digerere. Nam & quæ inter ſe cognatæ ſunt, ultrò admonent quid conſequatur. Et contrariorum eadem eſt memoria. Puta ſit exempli cauſſa primus locus pietas & impietas. huic ſubijcientur ſpecies inter ſe cognatæ. Prima eſt pietas in Deũ, Secunda in patriam, Tertia in parentes, aut liberos, aut etiã

in

in eos quos oportet parentum loco colere, ueluti præceptores, & quorum beneficio seruati sumus. Ex aduerso est impietas. Iam *his cognata superstitio, adijcienda igitur. Atq; hic aperit sese campus latißimus de prodigiosis deorum cultibus, ac uarijs diuersarum gentium ceremonijs. Item inepta parentum in liberos indulgentia, quæ falsa est pietas. Sit proximus si uidetur titulus, Fides: hanc in species seces licebit. Est fiducia erga Deũ, est fides humana, est fides in amicos, fides seruorum in dominos, fides in hostes, totidemq; de perfidia. Item sit titulus beneficentia: Huic quum suas species subieceris, restat gratitudo, non illa quidem huic subiecta, neq; rursum contraria, sed adhærens, estq; ea ueluti consequens. Hæc per omnes locos tractari possunt. Primum quid sit pietas, quomodo differat à cæteris uirtutibus, quid habeat peculiare, quibus officijs præstetur aut uioletur, quibus rebus alatur aut corrumpatur, quid fructus homini pariat. Hìc sese aperit campus exemplorum ac iudiciorum. Sed uirtutum ac uitiorum ordinem sibi quisq; suo fingat arbitrio, uel è Cicerone, siue malit è Valerio Maximo, aut ex Aristotele, aut ex diuo Thoma petat. Deniq; si malit, elementorum ordinem sequatur. Neq; enim id magni refert, quanquam nolim illum omnes huius generis particulas tam minutim concisas in ordines referre, uerum eas duntaxat, quæ uideantur frequenter in dicendo usu uenire. Id autem uel ex locis causarum licebit cognoscere, nempe demonstratorijs,*

rijs, ſuaſorijs, & iudicialibus. Quod genus fermè ſunt tituli apud Valerium Maximum, & nonnulli apud Plinium. Cæterum quæ extra uitiorum ac uirtutum genera ſumuntur, partim pertinent ad exempla, partim ad locos communes. Prioris generis fermè ſunt huiuſmodi. Inſignis longæuitas, uiuida ſenectus, ſenilis iuuenta, inſignis felicitas, inſignis memoria, ſubita rerum cõmutatio, ſubita mors, mors ſpontanea, mors prodigioſa, partus prodigioſi, inſignis eloquentia, inſignis opulẽtia. Ex humili genere clari, uafricies ingenij, inſigne corporis robur, inſignis forma, egregium ingenium in deformi corpore, atq; id genus innumera alia. Quorum ſingulis oportebit ſubijcere, quæ cum his pugnant, quæq; cum his habent affinitatem, ut inſigni eloquentiæ, opponitur inſignis infantia. Finitima ſunt, uocalitas, felicitas in geſticulando, hiſtrionica, & ſi qua ſunt huiuſmodi. Poſterioris autem generis ſunt iſtiuſmodi. Plurimum intereſt, quibus ſtudijs puer adſueſcas. Magni refert, quibus cum uiuas. Suum cuiq; pulcrum. Facilis offenſa, reconciliatio difficilis. Tutiſſimum eſt nulli credere. Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus: Bis dat qui cito dat. Fortunam ſui cuiq; mores parant. Et lentæ regum iræ. Et periculoſa principũ amicitia. Et dulce inexpertis bellũ. Et infida ſocietas regni. Et optimum ſenectæ uiaticum eruditio. Sed quid ego hæc recenſere pergo, cum ſint ſexcenta millia. Ergo ex his ea ſunt deligenda, quæ uidebuntur ad dicendum maximè com-

commoda. Ad hunc gregem pertinent & illa comparatiua. Cœlibatus ne felicior, an coniugium? Vita priuata, an secus? Potior monarchia, an democratia? Vita studiosorũ an idiotarum? Tum aũt ex superioribus, si qua sunt quæ uirtuti, aut uitio uidebuntur esse confinia, ea licebit suo titulo subijcere. Vt illa, Bis dat qui cito dat. Et nihil carius constat, quã quod precibus emitur. Et beneficium dando accepit, qui digno dedit. Et nihil tam perit, quàm quod confertur in ingratum. Et beneficij gratiam perdidit, quisquis exprobrauit. Hæc atque huiusmodi ad liberalitatis titulum referri possunt. Verum ne indigesta rerum turba pariat confusionem, profuerit titulos q̃ latius patent, in aliquot secare partes. Liberalitatis titulum, ut exempli causſa loquamur, ita licebit partiri. Si subieceris, Beneficium promte citóque datum, Beneficium aptum, beneficium digno aut indigno collatum. Beneficium exprobratum, Beneficium mutuum. Et si qua iudicabuntur magis idonea. Nam nos indicandi gratia duntaxat hæc ponimus. Ergo posteaquam tibi titulos compararis, quot erunt satis, eosq̃ in ordinem quem uoles digesſeris, deinde singulis suas partes subieceris, rursum partibus addideris locos cõmunes, siue sententias. Iam quicquid usquam obuium erit in ullis autoribus, præcipuè si sit insignius, mox suo loco annotabis, siue erit fabula, siue apologus, siue exemplũ, siue casus nouus, siue sententia, siue lepide aut alioqui mire dictum, siue paræmia, siue metaphora, aut

parabola. Atq; ad eum modum pariter fiet, ut & altius insideant animo quæ legeris, & adsuescas uti lectionis opibus. Sunt enim qui plurima teneant ueluti in mundo reposita, cum in dicendo scribendoq; miré sint inopes ac nudi. Postremò utcunq; postulat occasio, ad manum erit dicendi supellex certis ueluti nidis constitutis, unde quæ uoles petas. Porrò nulla disciplina tam semota est à Rhetorica, unde non facias locos tuos locupletiores. Nã à Mathematicis, quæ remotißimæ uidentur, sumuntur similitudines. Quandoquidem cum sphæra undiq; sui simili, cumq; tetragono quocunq; cadat pariter quatuor angulis nixo, confertur sapiens suis opibus felix nec aliunde pendens, & quæcunq; inciderit fortunæ procella, sua uirtute firmus & immobilis. Vt ne dicam interim, quod Theologi mysteriorum enarrationem frequenter à Mathematicis petunt, propter arcanam quandam rerũ, ac numerorum analogiã. Nam à Physicis non solum parabolæ, uerumetiam exempla quædam petuntur. Parabola fuerit, si dicas, Quemadmodũ fulmen summos montes frequentißimè ferit, ita summa potestas, grauißimis casibus est obnoxia. Item quemadmodum fulmen æs liquefacit, intacta cære, ita principum animus in rebelles et obsistentes sæuire debet, in cæteros uti clementia. Exemplo fuerint Elephanti pudore in abdito coëuntes, si quis etiam in coniugatis modestiam, ac uoluptatis dißimulationẽ desideret. Et Delphini fœtus adultos diutius comitantes, nec sinentes paruulos suos im-

os ingredi, nisi grandior aliquis ceu pædagogus adsit & custos, si quis admoneat quãta cura seruari atq; instituti debeat à parentibus prima illa & lubrica puerorum ætas. Itaq; studiosus ille uelut apicula diligens, per omnes autorum hortos uolitabit, flosculis omnibus assultabit, undiq; succi nonnihil colligens, quod in suum deferat aluearium. Et quoniã tanta est in his rerum fœcunditas, ut omnia decerpi non possint, certè præcipua deliget, & ad operis sui structuram accommodabit. Sunt autem quæ eadem non solum ad diuersos uerum ad cõtrarios usus quadrare possint, eoq; diuersis annotanda locis. Quod genus si de insanabili cupiditate hominis auari agas, rectè accommodabis Charybdis fabulam. Rursum, si de inexpiabili uentris ingluuie, aut libidine mulieris inexhausta, nimirum cõueniet eadem. Item apologus Aesopi de hirco ac uulpe simul in puteũ descendentibus, quadrabit uel in prospicientiam, qua fit, ut nõ aggrediare negocium, nisi prius apud te perpenderis, qua ratione queas explicare: Vel in fictum amicorum genus, qui cum uideantur amici commodis consulere maximè, tamen agunt suum negocium. Præterea ex morte Socratis non solum ducitur exemplum, mortem non esse formidandam uiro bono, cum ille tam alacri uultu cicutam biberit: uerumetiam uirtutem inuidiæ obnoxiam, neque satis tutam esse in turba malorum. Rursum inutile, uel potius perniciosum esse philosophiæ studiũ, nisi te ad mores communes deflexeris. Iámq; hoc ipsum

psum factum trahi potest & in laudem Socratis & in uituperiũ. Laudandus enim, qui nulla sua culpa, sed sola inuidia damnatus, tam fortiter mortem neglexerit. Vituperandus qui inutili philosophiæ studio neglectuq; morum communium, amicis acerbissimum luctum, uxori liberisq; calamitatem, sibi exitium conciliarit: cum alij soleant utiles esse patriæ, suis præsidio simul & ornamento: eoq; uere sapientis esse, relictis aliquando tetricis illis sapientiæ decretis, uulgi studijs & opinionibus accommodare sese, temporiq; quod aiunt seruire. Iam si partes exempli circunspicias, quot locos licebit elicere? Accusatus per inuidiam ab Anyto & Melyto perditissimis ciuibus. Locus communis est, Veritas odiũ parit. Item alter, insignis uirtus conciliat inuidiam. Rursum alius, Apud iudices plerunq; plus ualet nobilitatis ratio quàm respectus honesti. Rursum alius, Nihil impudentius opulentia, si cum improbis moribus copuletur. Quid enim absurdius, quàm omni facinore dedecorosos, Socratem in ius uocare? Rursum alius locus, Non quidlibet cuiuis decorum est. Eoq; Socrates non abijcit sese ad iudicum pedes: neq; enim conueniebat, ut qui per omnem uitam docuerit mortem non esse formidandam, nisi turpis esset, eum nunc ueluti ob mortis metũ abiectum, supplicem esse. Quæ eadem caussa commouit, ut neque in iudicium declinaret, neq; in media caussa exilium eligeret, neq; postremò cum liceret, è carcere uellet effugere, ne ipse à seipso discrepare uidere-

deretur. Atq; hæc quidem una pars est. Deinde cum moriturus tam otiose, tamq; placidè disputat, cum non alio uultu cicutam bibit, quàm quo uinum solet, cum mox emoriturus iocatur in Phædonẽ, admonens ut gallum persoluat Aesculapio, locus est, Mortem etiam optabilem esse ijs, qui sibi uitæ integrè actæ conscij sunt. Rursum aliter locus. Cuiusmodi fuerit hominis uita, id in morte potißimum apparere. Rursum, Constantis suiq; perpetuò similis exemplum est. Etenim cuiusmodi fuerat in omni uita Socratis uultus oratioq;, talis erat & morituro. Tertia pars est. Dum in carcere agit Socrates, interim nusquam Alcibiades, nusquam Agæthon, nusquam Phædrus, sed Crito, Phædon, Simias. Atque hic locus est, in periculis demum apparere qui sint ueri amici: nam uulgares illi sibi tum consulunt, cum in officijs communibus adsunt. Quarta pars est, Cũ amicis de animæ immortalitate multa disputat, uxorem ac liberos cum pauca mandasset, dimittit. Locus est, philosophum leuiter tangi oportere uulgaribus affectibus, id quod mirè congruit cum doctrina Christi. Quinta pars est, Statim à morte Socratis uersus est in accusatores populi furor. Socrati desiderato aurea posita statua. Locus erit, Vulgus temere odisse & amare. Rursum alius, Virtutem præsentem odimus, sublatã ex oculis quærimus inuidi. Rursum alius, Fucatam gloriam unà cum uita perire, uirtutis splendorẽ à morte maximè inclarescere. Hinc arbitror liquere, in quot usus idẽ exemplum poßit

accommodari. Similiter & in parabola fiet, uelut in nauigatione, quot similia duci poterunt? Vt optimum gubernatorẽ tempestas, ita optimum imperatorem aduersæ res declarant. Item, ut nemo clauum committit amicissimo, sed nauigandi peritissimo, ita nemo Reip. gubernacula mãdabit ei cui studeat maxime, sed quem maxime iudicarit idoneũ. Rursum, Quemadmodum uentis nimium secundis nautæ uela contrahunt, cum parum prosperi sunt, tum latius pandunt sinus: Ita cum res uehementer succedunt, temperandus est animus ne insolescat: contrà, cum inimica est fortuna, tum fortitudine ac spe secuturæ felicitatis, dilatandus ac fulciendus. Item quoties rectum cursum per tempestatem tenere non licet, tum obliquis flexibus eò nihilo secius, quò peruenire uelimus cõtendere oportebit. Item quoties artem uincit tempestatis impotentia, tum ancorã iaciunt nautæ, uelis collectis: Ita uæsanienti multitudini nonnunquam cedendum est, donec oratione tractabilis esse incipiat. Item quemadmodum nauta non semper eodem modo tenet uelum, uerum nunc tollit in altum, nunc contrahit, nunc in hoc latus, nunc in illud transfert, utcunq; uentorum ratio postulat: Ita sapiens non in omni loco, omniq; tempore & negocio simili uitæ tenore debet uti, sed uultum, orationem, mores præsentibus reb. accommodare. Item sicut in magnis tempestatibus peritissimi nautæ, uel ab imperito nonnunquam admoneri sese patiuntur, quod alijs alia soleant in his casibus in mentem uenire:

re: Ita bonus rex in magnis Reip. periculis, nullius consiliũ audire grauabitur. Item ut minimo periculo nauigatur, eo gubernatore, qui maximis sit iactatus periculis: Ita tutißimus est ciuitatis status eo principe, qui grauißimis casibus sit exercitatus. Item, ut qui clauum regit, non satis arbitratur se suo fungi officio, nisi circumactis oculis, quid cuiq; faciendum, admonuerit: Ita principem non agit, nisi qui magistratuum etiam inferiorum officia moderatur ac præstat. Item, qu: madmodum insaniat nauta, si propter odium aliquorum, quos naui uehit, nauim perire sinat, qua perdita, nec ipse poßit esse incolumis: Ita sanæ mentis non sit, qui ob factiones, patriæ incolumitatem non tueatur, quæ nisi sit incolumis, nec ipse incolumis esse poßit. Item ut non nisi sæuissimis tempestatibus sacrã ancoram nautæ iacere solent, ita non est, nisi in prauißimis periculis ac rebus propè desperatis, ad extrema remedia ueniendum. Sed næ ego ineptus, qui ista persequar, cum iam uideas aliquot similitudinum milia hinc sumi posse. Nonnunquam eadem quoq; collationis pars ad diuersa trahitur. Quod genus sit, Si lunæ crebras mutationes uel ad fortunæ uices accommodes, uel ad humanæ uitæ instabilitatem, uel ad stultorum inconstantiam. Quin eadem quoq; sententia uarios in usus deflectitur, ut Facundus comes in uia pro uehiculo est. Iucundior est uita, si nõ solus agas, sed cum lepidis ac festiuis amicis consuetudinem habeas. Rursum, semper bonus aliquis liber circunferendus, cu-

ius lectione tædiũ discutias. Item: si te lætus animus comitetur & bene sibi conscius, nulla pars uitæ sentiet tædium, hic optimus est uiæ comes, si læta narret. Sin turpium factorum memoriam tibi refricet, tædio enecat. Eadem est prouerbiorum & apophthegmatum ratio, quorum usum ostendimus in principio collectaneorum prouerbialium. Proinde quædam erunt eadem diuersis adscribenda locis, aut annotanda certè. Nam sat erit aliquando tribus significasse uerbis, adscriptis autorum locis, unde peti possunt, præsertim si paucis exponi non queant. Sed iam quo res exemplo magis fiat perspicua, sit titulus inconstantia, aut morum inæqualitas, experiamurq́;, quot res ad hunc conferri poßint. Primum è Poëtarum fabulis petam Mercuriũ uarias formas sumere solitum, ut est uafer Deus nunc apud superos, nunc apud inferos, nunc apud mortales agentem, uarijs etiam fungentem officijs, nunc Ganymedis agentem parteis, porrigendo Ioui pocula, nunc nuncia perferentem, nunc animas deducentem ad Charontem, nunc negociatoribus ac patronis operam dantem, nũc cithara utentem, nunc uirga, galero etiam bicolore, postremò uarijs gaudentem cognominibus. Ea sunt apud Aristophanem in Pluto, dicitur enim στροφαῖος, δόλιος, ἡσεμόνιος, ἐναγόνιος. *apud Homerum, & apud Hesiodum* διάκτορος ἀρσιφόντης. *Dicitur & Cyllenius, &* ἐρίθνιος. *Petam Vertumnum Deum, cui etiam inde nomen, quòd subinde uertat formã. Petam Proteũ,*

omnia

omnia uertentem sese in miracula rerum. Petam Empusam ex Aristophanis ranis, id est, dæmonis genus, identidem alia atq; alia specie sese offerentis. Item Morphea quoscunq; uelit uultus induere solitum. Item Circen ueneficijs ac magica uirga homines in uarias ferarum formas uertentem. Nam improbi secum non constant, sed diuersis agitantur affectibus. Petam καιρὸν uolubilem Deum, nunquam sui similem, & huic similem si uidebitur, Rhamnusiam. Petam Iouem, nunc aquilam, nunc cygnum, nunc taurum, nunc aureum imbrem factum. Præterea chimæram capite leonis, uentre uirgineo, cauda draconis. Ac uarium illud portentū, quod fingit Horatius in ipsa statim fronte artis poëticæ. Adducam & Ianū bifrontem, & triformem Geryonem, & Bacchum, cui Poëtæ tribuunt εὐκθεαν, hoc est morum leuitatem ac facilitatem, ac talē in ranis fingit Aristophanes, Et si qua sunt alia apud illos, quæ prodigiosæ uarietatis imaginem habent. Adducam et Vlyssem, quamlibet pro tempore personam gerētem. Vnde & πολύτροπον statim in operis initio uocat Homerus. Deinde à Physicis petam lunæ similitudinem, nunquam eodem uultu nobis redeūtis, nunc semiplenæ, nunc plenæ, nunc emorientis, nunc renascentis, nunc pallentis, nunc rubentis, nunc albicantis, nunc antecedentis solem, nunc à tergo sequentis. Petam similitudinem cœli uerni aut autumnalis, nunc nubili, nunc sereni, nunc tranquilli, nunc uentis commoti. Petam collationem maris assiduè uicibus æstuarijs

decur-

decurrentis, ac recurrentis, præcipuè Euripi mira celeritate septies die ac nocte reciprocãtis. Addam polypum, cuius mutabilitas etiam prouerbio locum fecit. Addam Chamæleontem colorem subinde mutantem. Item Pantherã ac Pardum uersicoloribus, maculis uariegatum, aut si quod est aliud animal huiusmodi. Item anguillam lubricam. Adiungam pueritiæ in horas mutatum ingenium. Adijciã mulieris peculiarem inconstantiam, uulgus leui momento mobile. Præterea argenti uiui mirã mobilitatem, Arundinem ad omnem auram facilè mobilem. Foliorum arentium, plumæ ramentæq; leuitatem. Ceræ flexibilem ac mollem naturam. Somniorum inconstantiam, rotæ uolubilitatem. Adducam laminam, quæ summis turrium, ac templorum fastigijs solet imponi, quo uentum circumactu suo indicet. Adducam bilibrem, facili momento huc atq; illuc uergentem. Adducam opus uermiculatum, uersicoloribus tesselis miram uarietatem ostentans. Quædam etiam ingenio finguntur. Veluti si quis comparet inconstantis hominis animum, nunc hoc, nunc illud cogitantis, speculo rotundo in foro frequentißimo suspenso, quod huc & illuc discurrante turba, figuris innumeris uarietur. aut uitro, quod quencunq; colorem subieceris, eum imitari uidetur. Aut pensili chalybi, quod hinc atq; hinc admotis magnetibus, quorum alter alliciat ad sese, alter depellat, leui momento nunc huc nunc illuc rapiatur, nec unquam conquiescat. Aut sphæræ in plano uolubili. Iam ex historijs

mutuo

mutuo sumam Græcorũ genuinam leuitatem, quam describit Iuuenalis, Lubricam Allobrogum fidem, Pœnos simili morum inconstantia. Scythas indies mutatis pascuis nullã certam incolentes sedem, Virgam Moysi subinde in aliam atq; aliam uersam speciem. Aristippum quamuis agentem personam, ut quem omnis, ut inquit Flaccus, decuit color, nũc Cynico utentem pallio, nunc regia purpura. Item ἡμίλευκον illum, de quo meminit Lucianus. Catilinam uario ingenio, ex Salustio. Hannibalẽ ex T. Liuio, ex Valerio Maximo, quibus altius fuit uitæ tenor in adolescentia atque in senectute. Rursum ex tertia Horatij Satyra Tigellium. Nil æquale homini fuit illi, sæpe uelut qui currebat fugiẽs hostem, persæpe uelut qui Iunonis sacra ferret &c. E comœdijs exẽplum sumetur muliebris incõstantiæ. Sostrata in Adelphis, An mi homo sanus ne es? an hoc perferendum tibi uidetur esse uspiam? Ac paulò post: Ah mi nime gentium non faciam, proferam. Amantium inconstantiam exprimet Phædria, è rure repentè rediens. Puerilem inconstantiam Antipho ex Phormione. Sed hoc persequi longum est. Ex tragœdijs mutuabor Phædram uariatis secum sententijs, nunc uolentem, nunc nolentem. Medeam item ante filiorum cædem, diuersis agitatam affectibus. Ab Ouidio Biblidem, Narcissum. A Marone Didonem, iam Aenea parante discessum. Atq; hoc genus innumerabiles personas passim exhibẽt poëtæ. Ex Apologis allegabo rusticum illum, qui satyro admirante, eodem

dem ex ore modò calidum, modò frigidum efflabat. & si qui sunt alij. Nam in præsentia rationem duntaxat ostendimus. E prouerbijs mutuabor τὴν παναγαῖαν ἄρτεμιν. Item ἀνέμου πεδίον. Et εὖ μεταβολώτερος κοθόρνου. Et ὕδρου ποικιλότερος, & λιβυκὸν θηρίον, aliaq; consimilia. Nam ipsi in prouerbijs locos adiunximus unde ista peti poßint. Et saxum quod subinde uoluitur, non obducitur musco. Et arbor quæ subinde transplantatur, non grandescit. Rursum ex Apophthegmatis addam illud dictum in Ciceronem, Duabus sedere sellis. Et in eundem à Salustio scriptum: Aliud stans, aliud sedens loquitur. Ex Homero ἀλλοπρόσαλλον. Sic enim uocat Martem incertarum partium, quiq; nunc cum his sentit nunc cum illis. Ex Ouidio, ni fallor, Et tantum constans in leuitate sua. Ex Horatio, Leuior cortice, Et: Mutat quadrata rotũdis. Et: Romæ Tybur amo, uentosus Tybure Romam. Ex Plauto, Tipula leuior. E Terẽtij Phormione, Volo nolo, nolo uolo, quod dictum est, non dictum est &c. Ex Euripide πλάγια γὰρ φρονεῖς τὰ μὲν νῦν τὰ δὲ παλαι τὰ δ' αὐτίκα. Iam apparet opinor, quanta huius quoq; generis supellex ex tot Scriptoribus colligi poßit. Eadem est sententiarum ratio, quas non tantum ab autoribus sumere, uerumetiam pro re nouas parere licet. Quibus omnibus si totidem opponas contraria, deinde subiunxeris utrinq; finitima, nimirum quã immensus orationis penus futurus sit uides. At quum tam uarius sit usus, id quod diligentius

osten-

ostendemus in opere de ratione conscribendarum epistolarum, nihil erit quod non aliquo pacto possis ad locupletandam orationem accommodare. Quandoquidem contraria quoq; adhibentur uel per ironiam, uel per dissimile, uel per comparationem. Per ironiam, ut si quis hominem nunquam sui similem Socratem appellet, qui in omni uita semper eodē uisus est uultu. Per dissimile, ut si dicas, C. Iulium Cæsarem nullius unquam facti pœnituit. Hic nihil unquā decreuit, quod non mox rescinderit. Per comparationem si dicas, Quàm Cato ille, quem Cicero præfractum uocat, à sententia non potuit abduci, tam hic non potest in eadem retineri sententia. Porrò finitima quæ sunt, facili deflexu ad uicina trahuntur. Quod genus Persianum illud: Tecum habita. Nam etsi propriè quadrat in eum qui maiora molitur, quàm pro sorte sua, tamen quia non esse sua sorte contentum, cum inconstantia cognationem habet, huc torqueri poterit, præsertim cum Seneca scribat. Plurimum argumentum compositæ mentis existimo posse consistere, & secum morari. Quin eadem simul & in laudem torqueri possunt. Vt si omnium horarum hominem, uersatiliq; ac dextro ingenio laudes, ex inconstantiæ peculio sumes Polypum, ad speciem subiecti soli mutantem colorem. Sumes Euripū, ac negabis mare hoc esse tam uersatile, quàm huius sit ingenium. Sumes flammam stare nesciam, Sumes cœlum subinde alia facie. Sumes arundinem utcunq; flauerint aurę, flectentē sese. Dices

sapien-

ſapientis eſſe pro re nata, pro tempore, pro loco mutare ſententiam, ac uitæ rationem, Stupida ſaxa, ac brutam tellurem unam non moueri. Cæterum ex animantibus, ut quo dq; præſtantißimum eſt, ita maxime mobile eſſe. In uniuerſa natura, quo quicquam præclarius eſt, hoc à quiete longius abeſſe. Infima eſt quæ non mouetur terra. At mobilis aqua, mobilior aër, ignis hoc quoq; mobilior, cœlum quàm maxime mobile. Proinde mentem hominis, auram atq; ignem ab antiquis uocari. Contrà ſtultos, tardos, ſtupidos, lapides, plumbum. In quas res maxime cadit conſtantiæ uocabulum. Per huiuſmodi locos pleraq; è conſtantiæ ſupellectile ad uituperandum traxeris, & ex inconſtantiæ ad laudem detorſeris. Verum de his ut modo dictum eſt, aliâs tempeſtiuius. Nunc reliquas dilatandi ſermonis rationes perſequamur.

Ratio colligendi exempla. XVIII. Caput Copiæ Rerum.

Decimumoctauum caput Copiæ rerum eſt locus communis, quem ſupra in Catalogo cognominaui Θέσιμ Græce, non quod idem prorſus ſit Θέσις & locus communis, ſed quia magnam affinitatem inter ſe habeāt, cum Θέσις ut ſupra eodem cap. undecimo abunde dixi, ſit propoſitio adeoq; thema complexum. Sed locus communis ſit propriè thema incomplexum, id eſt, pars Θέσεως, ſcilicet propoſitionis, ſubiectū commune & uniuerſale, & ſæpe prædicatum com-

commune, ex quibus oportet componi quamlibet thesin. ut felicitas & uirtus, sunt duo loci communes, ex quibus tanquam partibus recte componitur, ut propositio ex subiecto communi & prædicato, hæc thesis: felicitas est in uirtute. Sic ergo pleraſq; theses licet diuidere in duos pluresue locos communes, sicut ptopositio diuiditur in suas partes, scilicet in subiectum & prædicatum, de quorum utroque sic dicatur seorsim, tanquam de thematis incomplexis id appellatur tractatio loci communis, ut si de felicitate seorsim & de uirtute seorsim disseratur, id uocabitur tractatio duorum locorum communium, scilicet felicitatis & uirtutis, & quanquã non ita superstitiose loquantur omnes Rhetores de discrimine theseos locíq; communis, tamen utile esse iudico quamlibet puerilem hanc differentiam, & quidem certam obseruare inter thesin & locum communem, cum sæpe de istorum duorum discrimine multi dubitent, & quasi nodum quærant in scyrpo. Itaq; locus communis, est thema incomplexum, non indiuiduum: sed commune uocabulum, ex quo componitur thesis tanquã ex subiecto de re aliqua bona malaue aut media, q̃d thema inseritur causſæ, ornandi uel docẽdi gratia, ut infra patebit in plurimis exemplis Eralmi. Quod autem ad præsens caput copiæ attinet, tametsi professionum singularum peculiares sint loci communes & theses, tanquam primaria capita, ut in physica, in iuriscientia, in medicina singuli proprie ritu

li significant locum communem suæ professio nis, tamẽ satis interim est scire duplicem esse locum communẽ, scilicet Rhetoricum & forensem. Cognominatur autem forensis locus communis, incertus locus a Cicerone in primo Rhetoricorum, eo quod ambigue & incerte soleat in utranque partem tractari in foro ac iudicio atq; ciuili causa, ut cum in foro dicunt pro testibus, & contra testes, pro tabulis & contra tabulas, ut apud Ciceronem pro Flacco. Item pro fama, & contra famam, ut pro Cælio. Item pro iudice & contra iudicem, pro patrono & contra patronum, qualia plurima in utranq; partem ambigua disputantur a Iureconsultis in exceptionibus dilatoriis & declinatoriis, & a Fabio in prioribus Capitibus libri quinti, ubi de locis & instrumentis forensib. docet, ut etiam supra eodem capite admonuit. Cæterum ad Rhetoricam nostram & copiam hi loci incerti & forenses nihil admodum pertinent, quia scholastici exerceri debent potius in demõstratiuis, deliberatiuis, didacticisq; causis quam in ciuilibus, tametsi aliquando in scholasticis quoq; materiis incidunt controuersiæ de instrumentis & locis forensibus, ut apud Teren. in Phormione, apud Fab. in declamationibus. Veruntamen nos hoc capite loquimur proprie de loco cõmuni Rhetorico, ne professiones uideamur uelle confundere atque commiscere. Voco autem Rhetoricum locum communem, non quodlibet principium incomplexum ex quauis professione, sed

id

id demum quod spectat ad humanitatis studia, nempe ad professionem poëticam, historicam & oratoriam, & præcipue ad philosophiam moralem. Nam infinitum esset & immensum opus, si congerere coneris omnes omnium facultatū & artiū locos, principia, & capita in unum commentarium. Seligenda sunt ergo demū ea capita, ut dixi, quorum est plurimus usus in nostris studijs humanioribus: Reliqua uero, hoc est, sua permittamus Theologis, Iureconsultis, Medicis, Physicis, & Mathematicis: & quidē longe satius est paucos certosq; numero locos probe tenere & perdidicisse, quā uix posse multos numerare, nedum pernoscere. Primum itaq; generalissimos locos constituam modice tanquam prima capita. Deinde istorum species certo numero minime tamen superstitioso proponam. Tertio denicq; indicabo triplicem modum tractandi locos communes, eorumq; usum maxime necessarium studiosis. Sint ergo primarij loci communes hi:

1. Deus. 2. natura. 3. homo. 4. animus. 5. sermo. 6. affectus. 7. uirtus. 8. prudentia. 9. iustitia. 10. res publica & politia. 11. fortitudo. 12. temperantia. Sub his 12. locis primarijs recensentur & alij loci communes Rhetorici circiter 180. ut eorum sit hęc series & catalogus: 1. Deus. 2. pietas & impietas. 3. superstitio. 4. ceremoniæ. 5. prodigia & miracula. 6. diuinatio. 7. fatum. 8. necessitas. 9. fortuna & casus. 10. fortuna bona. 11. fortuna mala. 12. felicitas & infelicitas. 13. pœnæ flagitiorum ul

tio, diuina. 14. natura. 15. mundus. 16. cœlum. 17. elementa. 18. terræ, regiones, & urbes. 19. regionum populorum, uarij mores, & ritus atq; mutationes. 20. meteora. 21. metalla & metallaria. 22. lapides & gemmæ. 23. liquores & unguenta succi, uinum, potus. 24. plantæ. 25. fruges. 26. animantia. 27. uita. 28. mors. 29. testamenta. 30. ætas. 31. temporum res gestæ. 32. ualetudo. 33. uictus. 34. medicinæ. 35. homo. 36. anima. 37. corpus. 38. sensus. 39. labor. 40. otium & negligentia. 41. consuetudo. 42. quæstus. 43. diuitiæ. 44. paupertas. 45. luxus. 46. forma uel deformitas corporis. 47. animus & ratio. 48. sapientia & intellectus. 49. exercitatio & meditatio. 50. ingenium & indoles. 51. Philosophia, id est, uerborum ac rerum scientia & copia. 52. artes liberales literariæ. 53. artes mechanicæ ingenuæ. 54. artes sordidæ, & quęstuariæ opificia. 55. iustitia. 56. sermo. 57. institutio & disciplina. 58. præceptores. 59. discipuli. 60. facundia. 61. comitas. 62. facetię. 63. garrulitas & taciturnitas. 64. infacundia. 65. affectus. 66. uoluntas & liberum arbitrium. 67. spes. 68. lætitia. 69. timor. 70. dolor. 71. bona conscientia. 72. mala conscientia. 73. uirtus. 74. modus uel mediocritas. 75. officium. 76. decorum & ordo. 77. gloria & autoritas. 78. fama. 79. uitiũ. 80. turpitudo & flagitiositas. 81. infamia. 82. prudentia. 83. consilium & deliberatio. 84. temeritas. 85. ueritas. 86. mendacium. 87. curiositas. 88. error. 89. stoliditas & socordia. 90. iustitia. 91. iniustitia. 92. fides. 93. dolus. 94. suspicio. 95. perfidia.

fidia. 96. pietas erga suos, ut coniuges, liberos, parentes & cæt. 97. cognationes & affinitates. 98. impietas in suos. 99. caritas & humanitas. 100. inhumanitas & morositas. 101. facilitas & clementia. 102. seueritas. 103. ira, odium & inuidia. 104. crudelitas. 105. liberalitas & beneficētia. 106. gratitudo. 107. ingratitudo 108. auaritia. 109. prodigalitas. 110. magnificentia. 111. iniuria & malignitas. 112. calumnia & obtrectatio. 113. amicitias 114. inimicitiæ. 115. adulatio. 116. simulatio & hypocrisis. 117. respublica & politia. 118. societas humana. 119. regnum. 120. tyrannis. 121. aristocratia. 122. oligarchia. 123. democratia. 124. timocratia. 125. magistratus. 126. iura & leges & statuta & cō suetudines. 127. pacta & cōtractus. 128. iuris scientia. 129. rerum ciuilium usus & experientia. 130. mores & discrimina ciuium & popularium. 131. iudicia. 132. licētia. 133. crimina & flagitia. 134. pœnæ capitales. 135. mulcta & notę censoriæ. 136. sacerdotes & sacra. 137. senatus. 138. optimates. 139. equestres & generis nobilitas. 140. plebei et ignobilitas generis. 141. seruitus. 142. pax. 143. factiōes inter optimates & inter nobiles & bella ciuilia. 144. seditio. 145. bellum. 146. scientia rei militaris & disciplina militaris. 147. agricultura. 148. ædificia & opera priuata, publicaq;. 149. uita priuata. 150. fortitudo. 151. ignauia. 152. constantia & leuitas animi. 153. patiētia & mollicies. 154. popularitas & ambitio. 155. repulsæ. 156. pietas erga patriam. 157. fortitudo muliebris. 158. temperantia. 159. uerecundia & impudentia. 160. castitas &

amor honestus.161.coniugium & liberi.162. cœ libatus.163.amor inhonestus.164.sobrietas.165. crapula et ebrietas.166.modestia et grauitas mo rum.167.libido & dissoluti mores.168.superbia. 169. ciuilitas. 170. candor & libertas in sermone uel actione.171.ludus.172.uoluptas licita.173.uo luptas turpis.174.societas honesta. 175. societas praua.176.res fatales.177.res naturales.178.res uoluntariæ.179.res artificiales.180.res fortuitæ.

Atq; hic fere Catalogus est capitum & loco rum communium Rhetoricorum. *Si* qui uero alij reperiuntur affines aut diuersi, illi poterunt his commodissime subnecti, quia ex eisdem lo cis contraria sumuntur, pro ut contrariorum eadem est ratio. Consulto autem omisi locos *communes & principia incomplexa* aliarum professionum, imo necessario omisi. quia pecu liarem eorum tractatum sua quæq; professio requirit, ut ante dixi, ipsaq; rerum experientia docet. Cæterum est triplex modus tractandi lo cum communē, scilicet Iuuenilis, Dialecticus, & Rhetoricus, quorum unusquisque exerceri potest a mediocriter studioso, & rerum perito, *in* quolibet loco communi, haud quidem sine plurimo fructu.

Tractatio iuuenilis est, cum sub titulo alicu ius loci communis uel theseos congerit studio sus iuuenis exempla, sentētias & autoritates ad eundem locum pertinentes, ex quibuslibet bo nis autoribus, qua ratione utitur ille qui rapso diam collegit Polyantheam, secundū ordinem alpha-

alphabeti, & qui Elucidarium Poëtarum composuit.

De hac etiam Eraſmus hoc capite præcipue admonet. Voco autē hunc locum tractandi, iuuenilem, quia utiliter permittitur imperitis adhuc Dialecticæ & Rhetoricæ iuuenibus & pueris, adeo præſertim, ut ſi non tam commentario quam ipſi memoriæ inſcribant eiuſmodi ſententias, exempla, & precepta de locis communibus: ut ſunt Catonis & Mimi, Septem ſapientū, Heſiodi, Theognidis, Phocylidis, Salomonis, & ſapientum ſententiæ atq; dicteria, qualia plurima Eraſmus nuper collegit in lib. Apophthegmatum, ut ſunt apologi Æſopi, & fabellæ poëtarum pudicę, præſertim ex Comœdijs, ut ſunt hiſtorię, & exempla apud Valerium Maximum & Sabellicum in libris exemplorum, atq; apud alios eius generis ſcriptores, qualis eſt præcipue Plutarchus. Poteſt autem exemplum aut ſententia breuiter annotari nomine autoris citato, idque χρεῖα erit, de qua ſupra eodem capite decimotertio, uel iuſta oratione commutatis uerbis ſub titulo ſuo aut aliorum deſcribit, quæ exercitatio apud ueteres etiam fuit uſitata. Non mediocre uero iuuenem inde ſequitur commodū, ſi ſit aliqua ſcientia rerum & exercitatio ſtyli, & diligentia legendi & obſeruandi, atq; promtitudo in poſterum argumentandi per ſyllogiſmum, cuius maior ſæpe eſt theſis ex locis communibus compoſita, uel per inductionem & exemplū, ubi uere theſin elicimus ex hypotheſi.

Tractatio Dialecticæ est, quando aliquem locum communem uel thesin ordine suo ac methodo dialecticaq; uia recte docendi, per suas quæstiones inquirimus & perdiscimus, hæc magis seria & grauior requirens aliquam Dialecticæ peritiam & prudentiam. Cæterum methodus est compendiaria docēdi uia, qua itur recta per quæstiones Dialecticas ad cognitionem cuiusq; thematis propositi, ut de proposito themate simplici quæratur.

1. An sit.
2. Quid sit.
3. Quæ partes.
4. Quæ species.
5. Quæ causæ.
6. Qui effectus.
7. Quæ propria.
8. Quæ accidentia.
9. Quæ affinia.
10. Quæ diuersa.
11. Quæ circunstantiæ.
12. Quæ exempla.

Etenim hæ sunt fere duodecim quæstiones Dialect. uel methodicæ, quas Aristoteles in principio 2. Posteriorum quaternario numero breuius describit. Variat tamen sæpissime & numerus & ordo istarum quęstionum, pręcipue apud Rhetores pro natura thematis, & pro captu auditoris. neq; enim omnes quęstiones in quamlibet causam quadrant uel desiderantur: neq; idem numerus ordine obseruatur superstitiose in quouis argumento proposito: neque sunt quæstiones multæ & superuacuæ proponendæ de rebus ociosis, uel alioqui natura & experientia cognitis & protritis, sed de ignotis demū & grauibus causis scitu tractatuq; dignis inquirendum est diligenter, quarum cognitio discen

tis

tis animum reddat prudentiorem & utiliter adiuuet. Vt enim de lana caprina rixari, uel disserere de asini umbra, ridiculum. ita utilia & necessaria neglecte segniterq; inuestigare aut omittere, mere stultum est, imo exitiabile studijs nostris, quanquam accidit plerunque nobis, ut necessaria ignoremus, quia non necessaria didicerimus. Et cum tot circiter sunt quæstiones methodicæ de themate simplici & incomplexo, tamen coniunctum & incomplexum thema, id est, propositio & thesis habet proprie unicam quæstionem, scilicet uerum an falsum sit (ut in Analyticis posterioribus uocat) quod sit. Ita enim inquit dicere q̃d sit, est affirmare uel negare quippiam esse uerum aut falsum: ueritas autem & falsitas thesium & propositionum suis partibus suisq; argumentis probatur aut improbatur & explicatur, ut supra eodem capite undecimo & duodecimo ostendimus, & in Dialectica absolutius docetur. Resoluitur autem thesis tractanda aut probãda in suos locos communes plures, uel unum, sicut propositio quælibet resoluitur in suum subiectum & prædicatum, tanquã in partes suas, quæ singulæ partes theseos, tunc fient simplicia themata & loci cõmunes, terminiq; incomplexi. ut: an affectus cadat in uirum sapientem, id est, uerumne an falsum est, quod sit cadens in uirum sapientem affectus. Hanc thesin resoluẽs, inuenies duos locos communes Rhetoricos ex media Philosophia morali petitos, qui sunt affectus tanquam subie

ctum theseos, & uir sapiens tanquam prædicatum. Iam erit tibi bis eundum per supra enumeratas duodecim quæstiones, ut an sit affectus, qui sit affectus, quæ partes & cæt. Et rursum de altero quæras. Primo, an sit ullus uir sapiens secundum Stoicos. Secundo, quid sit uir sapiens. Quæ sint causſæ uiri sapientis Stoici, atq; hinc ipse iam uides usum locorum communium & thesium in Copia dicendi, nempe ex his locis tanquam ex largissimo fonte effluere immensam dicendi differendiq; copiam & uberrimum orationis flumen, id quod in arte resolutoria de methodo manifestius dicet. Est autem prorsus necessarius iste quęstionũ usus, ut Cicero quoq; testatur in quarta Academica dicens: Quærendi initium ratio attulit, qua perfecit uirtutẽ (sci entiam) cum esset ipsa ratio confirmata quęrendo: quæstio aũt est appetitio cognitionis, quæstionisq; finis est inuentio. Hæc ille. Porro quo magis multiplex est thesis, & plus uerborum habet, & plures locos communes principiaq; incomplexa plura continet, atq; maiorem numerum quæstionum, & ampliorem materiam dicendi copiamq; suppeditat. Sic thesis propositione Hypothetica constans, multo est ditior & argumentosior Categorica: ut,

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.

In hac thesi hypothetica copulatiua continentur septem loci communes, scilicet primum moderatio, secundo mens humana, tertio fatum,

tum, quarto fortuna, quinto modus, sexto superbia, septimo fortuna. & magis est multiplex quam hæc thesis Categorica:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis.

Vel quam illa,

Fortuna quem nimium fouet, stultum facit.

Iam si in ista hypothetica thesi: Nescia mens hom. &c. Septies per duodecim quæstiones methodicas orationis certe infinitam copiam rerũ & orationis inuenies. Hæc fortasse nimis uerbose libuit hic repetere ex media arte Dialectica, uti etiam experirentur iuniores, quantus sit elementorum & præceptorum Dialect. usus & praxis in uniuersa orationis rerumq; copia paranda & tractanda, utq; in tota adeo Rhetorica nullo modo Dialectica, ut iudicant imperiti, copiam rerum aut uerborum diminuit, imo & auget & confirmat eam maxime, adeo ut profiteri libere ausim Atticum, id est, bonum Oratorem fieri sine Dialectica posse neminem. Verum Asiatici, id est, mali Oratores, sunt etiam mali Dialectici. Etenim Dialecticus imperitus & negligens, cæterum copiosus loquutor, non potest non esse Asiaticus & rerum inanis orator, quem nimia copia reddit plane inopem & infantem, quia dat sine mente sonũ. Cæterum exempla tractationis Dialecticę locorũ communium & thesium, plurima habes apud Aristotelem in Physicis, præcipue apud Thomam Aquinatem in Summa, ubi plerosque Theologiæ & Ethicæ, & reliquæ philosophiæ locos principiaque metho-

methodice pertractat. Tractatio Rhetorica locorum communiũ inuentione nihil uel parum differt a Dialectica, modo tractandi, sed tantum elocutione, quam requirit Rhetorica longe copiosiorem magisq; illustratam expolitionibus, amplificationibus, circunstãtijs, comparationibus & cęteris rerum schematis: & sæpissime Cicero suis orationibus inserit locos & theses illustres & amplificatas. Sed in Dialogis & libris Officiorum temperat sibi nonnihil a grandiorib. & ambitiosis figuris & ornamentis, quia dialogus, ut habet quidem speciem disputationis Rhetoricę, id est, copiosioris, tamen requirit sermonem sedatum ac familiariorem, ut in illis apparet. Plato tamen Cicerone Fabioq; præstantius alicubi splendidiusq; spiritu orationis elatiore fertur, & tantum eloquentiæ suæ institorem agit, cum Aristoteles contra in suis libris sit mirabilis dissimulator, utens Attico illo tenui & ueteratorio genere dicendi, quem Aristotelem, dicunt, primum inuenisse modum tractandi locos communes atq; theses, id quod ego de Dialectica tractatione facilime admitto, eum exercere solitũ suos discipulos huiusmodi usu principiorum Philosophiæ & tractatu methodico, qualem in eius operibus, hodieq; deprehendimus manifeste, nempe ordinem docẽdi ac uiã, per prędictas quęstiones demonstratiuas & Dialecticas. sed Rhetoricũ modum plane antiquiorem esse oportet, cum is sæpissime apud Platonem & apud Xenophontẽ inueniatur, & apud

uete-

ueteres quoq; Poëtas. Siquidem Hesiodus multus est in thesibus, & Euripides, alijsq; magni Rhetores in choris fere expoliunt uel amplificant aliquē locum communē uel thesin. Quod uero toties hic denuo thesium facimus mentionem, ita debet accipi, neutrum sine altero posse recte ac sane intelligi aut tractari, tametsi supra eodem capite undecimo, separatim de thesi & in hoc capite 18. seorsim de loco communi doceatur propter uarietatem & amplitudinē utriusq; materiæ, quam confuse uno capite completi esset difficilimum & prolixum, cum & Dialectica sua principia incomplexa separet a complexis. Porro usus locorum communium & thesium, ut dixi, non modo incredibilis est & immensus, uerumetiam maxime necessarius omnibus. Nā uere hoc asserere possumus, nihil prorsum neq; recte dicere neq; intelligere, nedum uel tantillum bene dicere aut tollerabiliter scribere studiosum posse serio, absq; methodica istorum cognitione, quantumlibet sibi & indoctis uideatur esse doctus & sapiēs, id quod experientia arguit quotidiana, cum uidemus non satis istorum peritos uix unum atq; alterum uersum commode posse de illo argumento thema teq; sibi proposito dicere, quamlibet diu multumq; cogitent atq; meditentur. Cuius inscitiæ culpa residet in solo neglectu principiorum istorum Philosophiæ, & partium eius. Sicut ergo studiosus tum demum se profecisse aliquid, imo & multum putabit, cum hos locos atque

ex

ex his compositis theses poterit assequi & intelligere, & uel mediocriter tractare, quorum notitia est elementorum & principiorum Ethicæ Physicæq; cognitio, ut saltem capita primaria istarum professionum iuuenes non negligant, sed ea uel a Peripateticis, uel a Cicerone percipiant. Hæc quidem ad præsens uerbosius, uerum ut spero utilius quoq; de loco communi & de thesi admonere uolui, qui & quot sint loci communes Rhetorici, quotuplex sit modus tractandi eos, qui sit ipsorum usus plus quam necessarius studiosis. Iam inde Eraſmum ipsum & eius exempla audiemus.

De *partium Rhetoricarum multiplicatione.*

Crescet oratio numero partium orationis. Vt enim qui breuissimus esse studet, quã potest paucissimis utitur partibus. Ita qui dilatare cupiet, etiã legitimis illis & arte præscriptis partibus aliquid accessionis curabit adiungere. Nã cum in summa tria sint Oratoris officia, docere delectare, flectere, cui placet breuitas, is uno contentus tantum docebit, quod fit narrando & argumentando, cui copia, simul omnibus utetur, idq; in omnibus orationis partibus, non solum in peroratione aut exordio. Rursum *qui studet breuitati, poterit narratiõe, aut hac quoque prætermissa si causſæ ratio patietur, esse contentus sola probatione. Atq; hæc etiam ut omitti tota non potest, ita potest coarctari cohiberiq;. Contrà qui copiam affectabit, nõ modò sex illis utetur, Exordio, narratione, diuisione, cõfirmatione, confu-*

confutatione, peroratione, sed & suo loco latius explicabit exordiorum locos, & in tota oratione, quoties causſa præbebit opportunitatẽ, exordiola quædam admiſcebit, quibus fauorem, attentionem, docilitatem retineat atq; remoueat, aut tædium diſcutiat, aut quæ dicturus ſit præmolliat. Incidunt autẽ huiuſmodi perſæpe. Docilitatem potiſſimũ renouamus commodis tranſitionibus, quarum formulas aliquot ſuperiore commentario propoſuimus. Quod genus fuerit, Audiſtis largitiõe, corruptela, ſanguine, ſtupro ac fœdiſſimis artibus paratum honorem. Nunc oſtendam illud, quod turpiter eſt adeptus, turpius adminiſtraſſe. Attentio renouatur hiſce fermè modis: Magna ſunt hæc, ſed leuia præ his quæ nunc dicturus ſum. Et, nunc ad ipſum rei caput accedo. Proinde quæſo, ut hæc animis quàm maximè attentis audiatis: Et, Sed his longius fortaſſe ſum immoratus, cætera paucis ac dilucide expediam, Si mihi, ſicut antehac feciſtis, aures atq; animos præbere uelitis: Et, altius paulò repetam, ſed ita uerba ſum facturus, ut neq; ſine fructu, neq; ſine uoluptate ſitis audituri. Atque id genus alijs modis, nam bis mille pro rei natura fingi poſſunt. Tædiũ diſcutitur aut excluditur hoc pacto: Rogo diligenter auſcultetis. Prima fortaſſe fronte minutũ uidetur quod tracto, uerum ſi pauliſper attendetis, intelligetis nimirum ſub hac ſpecie maxima Reip. pericula occultari. Et quæſo, patiamini pauliſper, mox aperiam quorſum hæc ſpectẽt. Et, nunc rem ante hac inauditam audietis.

tis. Et, rem accipietis omnium maximè ridiculam. Porrò fauor ijsdem rationibus renouatur, quib. paratur. Insuper & argumentamur aliquoties in exordio. Si quid erit amoliendũ, quod alioqui sit offuturum reliqua diſſerenti. Verum id nõ niſi conſilio ex rei circunſtantijs ſumto. Narratio uehementer locupletatur ſchemate, quod quidam appellant ſermocinationem, qua uni aut pluribus perſonis affingimus ſermonem congruentem. Veluti cum Homerus Iliados χ facit Priamum ſenem, Hectorem dehortantem à prælio, poſt hunc Hecubã. Item Iliados ϛ Andromachen uxorem deterrentem à prælio, atq; his reſpondentem Hectorem, mirè ſeruato cuiuſq; perſonæ decoro. Neq; quicquam eſt admirabilius in hiſtoriarum ſcriptoribus, nam hiſtoricis hoc omnium ſuffragijs permiſſum eſt, orationem perſonis affingere, de ethnicis loquor: an idem liceat Chriſtianis in dubio eſt, niſi quod ſimile factum uidetur in hiſtoria ſeptem Macchabæorũ, ac præter alios qui martyrum uitas conſcripſerunt. Idem ſibi permiſiſſe uidetur diuus Ambroſius in uita beatæ Agnetis. Narratio præterquam quòd aliquando fuſius explicatur, & omnibus argumentis atq; effectibus expletur, etiã creſcit ἐπισυναγωγῇ. Ea eſt, ut oſtendit Fabius, repetita narratio, quoties res paucis, ac ſimpliciter expoſita, denuo fuſius & ornatius eadem enarratur. Id quod fit uel inuidiæ, uel miſerationis cauſſa. Præterea creſcit item egreſſione ſubiecta. Quod ita demum permittit Fabius, ſi excurſus ille ſic adhæreat,

reat, ut sit quasi narrationis finis. Veluti si atrox fuerit circa finem narratio, prosequamur eam uelu ti spiritu protinus erumpente indignatione. Atq; id quidē in caussis serijs ac periculosis. Cæterum in re ad ostentationē parata nihil uetat, quo minus ex= posita re, in locum aliquem quam maximè plausibi= lem & amœnum expatieris: quo simul & narratio= nis tædium abstergeas, & uoluptate sermonis ad fu= turam probationem reddas alacriores. Hi loci cuius modi sint, superius est demonstratū. Propositio di= latabitur primum, si pro simplici, duplici, aut multi plici utemur, etiam si una sit satis, propterea quod alios alia mouēt. Vt si fecisset, præmio magis quàm supplicio dignus erat. Aut res hæc nec est honesta, nec expedit, nec sine summo periculo fieri potest. Quod si maximè sit honesta, maximè expediat, ma= ximè sit tuta, tamen fieri nō potest, ut cōsequamur. Deinde, si non nudam omnino, sed argumentis obi= ter interiectis, & affectibus accensam proferemus. Qualis est illa Ciceronis pro Milone. Hæc sicut ex posui, ita gesta sunt iudices. Insidiator superatus, ui uicta uis, uel potius oppressa uirtute, audacia est. Deinde miscet affectus. Nihil dico quid Respublica consecuta sit, nihil quid uos, nihil quid omnes boni, nihil sanè id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit, quin unà Remp. uós que seruaret. Deinde argumenta congerit. Si id iu= re non posset, nihil habeo quod defendam, Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos genti

bus, feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper uim, quacunq; ope possint, à corpore, à capite, de uita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententijs esse pereundum. Mox redit ad affectus. Quod si ita putasset, certè optabilius Miloni fuit iugulum dare P. Clodio non semel ab illo, neq; tum primum petitum, quàm iugulari à uobis, quia se illi iugulandum non tradidisset. Atq; item in sequentibus controuersiam constituens, nam locus est notus, repetit summam argumentorum, quibus usus fuerat in exordio. Id tametsi magis licuit Ciceroni, propterea quod in exordio quæstiones aliquot tractauerat, tamen idem & alibi continget uerbis commode interiectis, maximè in enumeratione aut expositione, quæ est altera diuisionis pars, de qua supra nonnihil attigimus, cum de propositionibus ageremus. Quod genus fuerit, si dissuasurus Ciceroni, ne uitam ab Antonio accipiat, exustis Philippicis, sic proponas. Primum illud uide mi Cicero, num te dignũ sit, ut immortalem ingenij tui famam, tot paratam sudoribus, quaq; tuos omnes illustrasti, ob tantulum æui, quod tam grandi longum superesse non potest, exusto pulcerrimo omnium monumento repente aboleas. Deinde num forti uiro, qui semper omnia post habuerit libertati, ferendum sit, ut uitam rerum omnium optimã, & in qua sunt omnia, debeat ei portento, cui quouis etiam nomine obnoxius esse nemo

liber

liber uelit. Postremo uideat, ne parum prudentis sit in re tanta fidem habere hosti perfidißimo, qui nec amicis unquam fidem seruarit. Neque perspicere, quod uel cæco appareat, nihil aliud agere uersutißimum carnificem Antonium, nisi ut totum extinguat Ciceronem. Nam simpliciter proponi poterat hoc modo, Primum non est tanti uita. Deinde miserum, debere uitam inimico. Postremo decipere cupit Antonius, non seruare. Quod si qua propositio durior uidebitur, eam oportebit, uelut exordiolo præmollire. Vt si proposueris laudare Platonis dogma de uxoribus communibus, ut hoc exempli caussa sumatur, dices te nõ fugere, quod rem omnium sententia absurdißimam polliceri uideris. Verum illud orabis, ut tantisper iudicium suum differant, donec argumentorum summam audierint: nihil diffidere te, quin penitus exposita re sint in diuersam sentẽtiam pedibus ituri. Tantum illud cogitent, hoc quicquid est, non esse temere dictum à tanto Philosopho, quique cæteris in rebus ob excellentiam ingenij, diuini cognomen promeruit. Verum quod in formis hominum, idem in rerum iudicio usu uenire. Quasdam si procul et oscitanter aspicias, nihil uenustius, fuco uidelicet oculis imponente. Sin propius ac fixius contempleris, iam quod paulò antè mire blandiebatur oculis, maiorẽ in modum incipit displicere. Silenis, nisi explices, quid magis ridiculũ? Sin explices, quid augustius? Adeo ueritas latet in abdito, nec oportet in dijudicandis rebus populum autorem sequi, cui

ſemper peßima pro optimis probari conſueuerint. Ergo ſepoſita pauliſper recepta illa, & animis penitus infixa opinione, rem ipſam iudicio perpendant, nec prius in hanc aut hanc partem flectat animum, quàm totum argumentorum orbẽ acceperint. Quædam enim fore, quæ per ſe ſtulta uideri poßint, uerum ſi quis inter ſe coniuncta perceperit, is demum ueri concentum & harmoniam ſenſurus eſt. Huiuſmodi præfatiuncula pro cauſſæ natura cõmode affecta, nonnunquam expedit auditoris animum ad ſecuturam argumentationem præparare. Iam uerò probationes, præter eas locupletandi rationes, quas ſuperius oſtendimus creſcunt labefactatiõe, ſeu præparatione & aſſeueratione. Labefactamus autem ſeu præparamus duobus modis. Propoſitionibus. Nunc autem uoco propoſitiones, non quæ ſummam cauſſæ complectantur, ſed ueluti ſingularium partium collectiones ſeu concluſiones, quas oratoribus mos eſt initio argumentorum proponere, & eaſdem in fine uehementius per affectus aut per epilogum repetere. De hoc genere dictum eſt ſuperioribus titulis. Præterea cum ita proponimus, ut ipſa orationis figura fidem abrogemus, aut cõciliemus. Cuiuſmodi eſt illud Ciceronis pro Milone: Sed antequam ad eam rationem ueniam, quæ eſt propria noſtræ quæſtiõis, uidentur ea eſſe refutanda, quæ in ſenatu ſæpe ab inimicis & improbis iactata ſunt, & in concione etiã paulò ante ab accuſatoribus. Cum inimicos et improbos nominat, iam hoc ipſo non parum

rum fidei abrogauit aduersariorum propositioni. Deinde propositionem ipsam per ironiam eleuat: Negant intueri lucem fas ei, qui à se hominem occisum fateatur. Nam atrocitas illa uerborum, Negant intueri lucem fas, pro eo quod erat, puniendus est, cum irrisione pronunciánda est. Adiunguntur huiusmodi præparationes singulis etiam collectionum partibus. Quandoquidem eodem in loco Tullius exemplis refutaturus, quod erat propositum, ita præparauit: In qua tandem urbe homines stultissimi hoc disputant? Deinde adiungit exemplum M. Horatij, quum sororẽ occidisset, absoluti. His non absimiles sunt asseuerationes, quæ quum argumenta non sint, tamen sæpenumero pondus habent argumenti, si probationibus admisceantur. Vt quis tam cæcus, qui hoc non uideat? Quis tam impudens, ut neget? Et illud: Stultius est q̃ ut refelli debeat. Quis enim non intelligit? &c. Et perfrica faciem, & aude negare. Hæc cum ita sint, quæ tandem impudentia est &c. Locupletantur et singulæ collectiones epilogis particularibus, quæ summam rationem paucis comprehensam, auditori denuo sub oculos reuocant, ut maiore cum fide conclusio succedat, qua quidem in re frequẽs est M. Tullius, propterea quòd latius explicet argumentationis aciem. Huius generis exemplũ erit illud ex oratione pro Pompeio: Quare uidete, num dubitandum uobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in qua gloria nominis uestri, salus sociorum, uectigalia maxima, fortunæ plurimorũ ciuiũ,

cum Repub. defenduntur. Deniq; crescunt & excursionibus per amplificationem, ut singulis probationibus suos affectus adijciamus, ad quod propriè destinata est conclusio. Quam si copiosam esse uolemus, geminam efficiemus, ut simul & per epilogum præcipua argumenta recenseantur, & affectuum omne genus per omnes locos tractetur. Eos ex Aristotele & Quintiliano petere licebit. Quin & Poëtæ in hoc genere miri sunt. Vehementiores quos Græci πάθη uocãt, suppeditant Ilias Homeri ac Tragœdiæ: moderatiores illos, qui delectant potius quàm perturbant, subministrant Odyssea Homeri & Comœdiæ, Quanquam in Iliade, Græcorumq; tragœdijs sæpe miscentur ἤθη, sic enim Græci uocant affectus Comicos, Latinorum Tragœdia parcius hoc genere utitur. Inter affectus autem ponenda delectatio, quanquam hæc non in peroratione tantum, uerum in tota oratione, cum res refert, debet admisceri. Porrò quid cuiq; iucundum sit, Aristoteles in affectuum locis diligenter prosequitur: & de facetijs M. Tullius, Quintilianus de risu scripsere, traditis iocandi rationibus. Delectatio quæ petitur è Comicis affectibus, præcipuè locum habet in narratione, uel quia rem ueluti subijciunt oculis, uel quia ab omnibus agnoscuntur. Quis enim non cum uoluptate legat, quomodo apud Homerũ Andromache Hectori armato occurrit ad portam ciuitatis, qua proditurus erat in prælium non sola, neq; enim id decet pudicas matronas, sed comitabantur pedissequæ puerum

puerum in ulnis gestans Astyanactem Hectoris filium, patri unice carum, & quod addit Homerus, pulcro sideri adsimilem, quo per hunc uxor expugnaret affectus mariti. Hector tacite arrisit conspecto puero: Andromache propius adstans, dextram porrexit, ac nominatim compellauit. Dein post affictam utriq; congruentem orationem, cum Hector infantem appeteret osculaturus: ille territus armorum splendore, ac crista é galeæ fastigio minitante, clamans reflexit se in sinum nutricis. Hîc risit uterque, pater & mater. At Hector sublatam é capite galeam humi deposuit, atq; ita puerum amplexus, osculatus est. Mox ei fausta precatus, tradidit matri: illa eum excepit in sinum bene olentem, Δακρυόεν γελάσασα, id est, lacrymabile ridens. Ea res Hectori mouit misericordiam, atq; uxorem manu sustentans consolatur, nomine eam appellans, mox reponit galeam. Illa marito obtemperans, domum se recipit: ibi muliebri fletu complentur omnia, quod crederent eum ex eo prælio non rediturum. Itaq; spirantem adhuc pro mortuo deflent. Interim non mediocrem addunt gratiam intermixta epitheta. Κορυθαίολος ἕκτωρ. Et: οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος ἕκτωρ. Et: εὐζώνοιο τιθήνης. Et: λόφον ἱππιοχαίτην. Et: πατὴρ τε φίλος καὶ πότνια μήτηρ. Et: κόρυθα παμφανόωσαν, καὶ φίλον υἱόν. Et: ἀλόχοιο φίλης, & quod indicauimus, κηώδεϊ κόλπῳ Et: κόρυθα ἵππουριν. Hæc uirtus præcipué in caussa est, cur nemo legens Homerum saturatur, sed perpe

tua uoluptate ducitur. Hi sunt affectus de quib. scribit Horatius, Morata recte fabula nullius Veneris, sine pondere & arte, Valdius oblectat populum, meliusq; moratur, Quàm uersus inopes rerum, nugæq; canoræ. Sunt huiusmodi narrationes aliquot insignes apud M. Tull. Velut in Philippica secũda de Antonio: Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur &c. nam indicasse locum satis est. Sunt in eadem oratione & aliæ, quomodo capite inuoluto ad amicam literas amatorias pertulerit: quomodo consul in lupercalib. cucurrerit. Delectant et illa, cum non actio tantum, sed ágentium gestus quoq; describitur. Quale est illud in Pisonem. Ita enim sunt præscripta scitè & literatè, ut scriba ad ærarium qui eas retulit, præscriptis rationib. secum ipse, caput sinistra perfricans commurmuratus sit: Ratio quidem me hercle apparet argentum οἴχεται. Rursus illud: Respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. Quanquam hæc interim & ad fidem orationis faciunt, cum ea quæ uelut extra narrationis necessitatem adijciuntur, simplicitatis habent speciem. Fabius miratur narrationem M. Tullij pro Milone: Milo quum in senatu fuisset eo die quo à senatu dimissus est, domum uenit, calceos & uestimenta mutauit, Paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.

De partium Rhetoricarum multiplicatione.

Deci-

Decimumnonum caput Copiæ rerum est multiplicatio partium orationis Rhetoricæ, & cum hoc caput præcipuum sit inuentionis non elocutionis, plane uides Erasmum non admodum separare in hoc cõmentario partes inuentionis a partibus figurisq; elocutionis, cum utraq; ex æquo pertineat ad scientiam copiamq; rerum, ut sæpissime iam dictum est. Sunt autem partes orationis Rhetoricæ, scilicet, Prima est exordium, de qua Fabius in quarto capite. Secunda est narratio, de qua Fabius in secũdo, cui in capite tertio subnectit digressionem, de qua supra eodem capite 6. Tertia est propositio cum partitione, de quibus Fabius in 4. capite 4. & 5. Quarta pars est probatio continens confirmationem nostratium dictorum, & refutationem aduersariorum obiectorum, de qua utraq; Fabius in libro quinto toto, & Dialect. & Topica, & supra eodem capite 12. Quinta pars est peroratio, de qua Fabius in 6. cap. 1. & sequentibus de his partibus. Vide etiam Rhetoricam ad Herennium & Ciceronem de Inuentione, & 2. de Oratore & in partitionibus & alios Rhetores. Summatim uero docet Erasmus in hoc cap. 19. in oratione breui exordia uel perorationes aut breuiter absolui, aut omnino non adhiberi, quandoque etiam unam pluresue ex alijs partibus breuius institui. Contra uero in longa oratione omnes uel saltem pleraſque has partes tractare prolixius adiectis pluribus schematis, & insertis quoque affectibus. De quibus supra eodem capite

pite quinto, ubi de ἠθοποιΐα & παθοποιΐα diximus. Vtriusq; autem modi exempla passim obuia sunt apud autores, ut breuitatis in epistolis familiaribus & apud Poëtas historicosq;, ubi plerunq; partes istæ pressius tractantur & partius. *Sed prolixitatis exempla habes in orationibus iustis causisq; pertractatis, ut apud Ciceronem in orationibus, & Erasmus in declamationibus. Et alibi ubi plures & longiores partes adhibentur orationis pro conditione modoq; caussæ. Cætera uero omnino a Rhetoribus require.*

Sunt item & figuræ, quæ ad orationis iucunditatem pertinent, quas non magni negotij est ex artis præceptis petere, & à nobis nisi multis uerbis referri non poterant. Delectant & allusiones, sed agnoscentem duntaxat, itaq; in loco sunt adhibendæ.

Vigesimum & ultimum caput Copiæ rerum est κῶμα Rhetoricum tertij ordinis, qualia argumenta rerum & orationis uocantur, quorum alias nulla est speciatim mentio in hoc secundo commentario facta ab Erasmo. Ideoq; oportuit hoc caput Copiæ supperaddere ad finem & nomenclatura explicare: siquidē Erasmus paucissimis uerbis tantū perstringit. Alij uero Rhetores uerbose pertractant inter κώματα. Erit ergo hoc ultimum caput, quasi generale caput & locus communis ex arte Rhetorica, in quod referas quælibet κώματα rerum, sententiarum figuras & ornamenta, quorum non meminit Erasmus

mus in hoc secundo lib. figillatim. Sed alij Rhetores ea recensent, definiunt & explicant appositis exemplis. Cęterum schematis uocabulo isti utuntur quinquefariam. Primo enim generaliter schema significat quemlibet habitum aut formā, cum in alijs rebus, tum in oratione sensui obiectam, & natura ingenioue aut fortuito inditam, qualis a Dialecticis uocatur quarta species qualitatis, & in prædicamento habitus. Sic genus dicendi appellant σχῆμα, id est, figuram orationis rectam uel obliquam, simplicem aut uariam, figuratam, aut non figuratam, quales formas & characteres orationis triplici genere Fabius in 12. capite 10. comprehendit. Secundo quælibet dictionis uel orationis figura Grāmatica uel Rhetorica, propria uel impropria uocatur σχῆμα, sic Synonymia & Enallage, sic Metaplasmi & Grammaticę figuræ constructionis & Syllepsis, Zeugma &c̄. Sic tropi dictionis & orationis uocantur schemata, ne dum sequentia trium ordinum. Tertio significat figuram dictionis Rhetoricam primi ordinis, quod caput erat sextum Copiæ uerborum supra in 1. capite 30. & Fabius in 9. cap. 3. Quarto schema significat figuram orationis Rhetoricā secundi ordinis, quod caput septimum erat Copiæ uerborum supra in 2. cap. 32. ut Fabius in 9. cap. 2. Quinto σχῆμα significat Rhetoricam rerum figurā tertij ordinis. quale nunc 20. caput Copiæ rerum ponitur. & huiusmodi schemata tertij ordinis a Rhetorib. appellātur uarijs nominibus, ut a Fabio alicubi argu-

argumenta, utpote quando ſunt partes cauſſarum quę non poſſunt omitti commode, alicubi uocantur ornamenta & amplificationum formæ & uirtutes orationis, & lumina, & colores, ſcilicet quando non ſunt partes cauſſarum, & eximi uel omitti poſſunt, hoc eſt, quando non probandi, ſed ornandi gratia cauſsis inſeruntur, ut apud Fabium in octauo cap. 3. ad finem uſq; libri eiuſdem, & in 9. capite 2. aperte uidetur. Cicero uocat exornationes ſententiarum, id eſt, ſenſuum in oratione, & figuras ſententiarum, ut in Oratore perfecto. Alij nominant argumenta rerum, quod his nō tantum orationis, ſed & cauſſæ corpus augeatur, & increſcat. Talia pleraque Eraſmus in hoc ſecundo commentario recenſuit, hoc tamen modo ut non admodum ſeparārit partes cauſſarum, id eſt, argumenta & locos inuentionis a ſchematibus, id eſt, ornamentis & locis elocutionis. Quæ uero omiſit ipſe conſulto remittens nos ad alios Rhetores, eorum præcipua hic ſubiungam nomina tantum, nō item definitiones eorum neque exempla recenſens, ab alijs quærenda. Præter ergo enumerata in hoc ſecundo libro Copiæ ſchemata rerum tertij ordinis 19. & ſatis perſpicue uerboſeque deſcripta recenſeri adhuc & annumerari in hoc 20. caput Copiæ rerum generale, quaſi hæc ſequentia rerum ſchemata tertij ordinis poſſunt. Primo ſynonymia ſupra in primo, capite undecimo 121. & ſecundo, capite decimoſexto. Secundo κλῖμαξ uel gradatio affinis ſoriti dialectico,

Tertio

Tertio commutatio. Quarto obiectio. Quinto responsio. Sexto præteritio. Septimo occupatio, id est, tacitæ obiectionis refutatio uel declinatio. Octauo correctio. Nono parenthesis. Decimo reiectio. Vndecimo ætiologia, id est, causæ dictio uel ratio. Duodecimo confessio. Decimotertio ἀπολογία, uel excusatio. Decimoquarto necessitas. Decimoquinto translatio. Decimosexto deprecatio, & de his quinq; proximis Fabius in septimo, capite sexto satis tradit. Decimoseptimo color, qui est proprie ficta & commentitia ueteratoriaq; narratio, aut simulata & obliqua defensio alicuius suspectæ caussę uel perperam facti uel malę propositionis apud Fabium in tertio, capite 10. & in quarto, cap. 2. & in 9. cap. 2. ubi de figuratis caussis adeoq; de suspectis caussis prudenter adderet, quomodo illiusmodi uitiosæ caussę diligenter & callide sint fucandę & tegendæ. Sicut merces uitiosę fucantur, ut ne uitia pateant emtoribus. Quare etiam malas caussas uocant Rhetores figuratas caussas, quod commentitio colore sint pingendæ & adornandæ. Constat autem color longe pluribus alijs schematis, præsertim qualia ad simulandum dissimulandumque omnia, ad fallendum auditores cautos quoque, nedum improuidos ualent, efficaciaq; sunt. Decimooctauo permutatio uel antiphrasis, cum uirtutes proximorū uitiorum nominibus aut contrariorum appellamus serio, propter inuidiam & odium uel irridendi gratia, ut si quis liberalem prodigum aut

ava-

auarum, si quis fortem temerariũ aut ignauum uocet, uel cum uitia appellamus uirtutum nominibus. Decimonono inuersio. Vigesimo expolitiõ, de qua uide ad Herenniũ in quarto. Vigesimo primo emphasis. Vigesimosecundo simulatio, huc alĩ annumerant collectionem, id est, argumentationis quamlibet speciem, ut syllog. enthymema, inductionem, consequentiam, consummationem, id est, argumentationem, qua plura argumẽta ad diuersi syllogismi unam eandemq; conclusionem inferunt & probant, ut supra dixi capite proximo, & supra eodem, capite 12. & 11. Verum hæc atq; similia uel argumenta uel schemata, potius quære a Dialecticis, & ad Heren. in 4. circa finem, apud Fab. in 9. capite 2. & in 5. capite 10. Apud Græcos Rhetores, quorum ualde uerbosum de schematibus tractatum descripsit Trapezontius in suis Rhetoricis. Vide & Rutilium & Aquilam in libello de schematibus, qui longe plura enumerat. Sed tamen ualde prudenter cauendum est, ne immodicum numerum congeramus schematum & figurarum, quia multitudo parit confusionem, ne superstitiosa diligentia figuras cognatas præcipue seperemus, ne etiam in legẽdis autoribus amittamus eorum sententiã interim, dum schemata & exornatiunculas sectamur, subtiliterq; nimis immoramur eis. Quamuis præcipuam curam adhibere debet studiosus huic tertio schematum ordini, qui copiam rerum atq; orationis mirabiliter auget. Vtile est etiam diligentius obse

obſeruare metaphoras inſigniores, magisq; illuſtres. Quomodo uero ſchemata tertij ordinis peraq; ex locis Topicæ Dialect. naſcantur, ex ſuperioribus ſatis apparet. Et quidem de uerborum atq; rerum copia hactenus qua potuimus diligentia explicuimus Eraſmi utrunque commentarium, cuius aliorumq; Rhetorum præceptis, ut lectio diligensq; obſeruatio bonorum autorum accedat oportet. Nam ſine uſu & experientia omnes omnium artium nedum Rhetor. Dialecticæq; præceptiones & regulæ ſunt mutilæ, & prorſum inutiles & ſuperuacuæ. Cæterum utriuſq; Copiæ optimum exemplar, & ideo in quolibet fere ſcripto & orationis genere a Cicerone adhibetur.

Peroratio & concluſio huius operis, qua oſtendit ſuperiora præcepta eſſe neceſſaria, nedum utilia iuxta ad orationis breuitatem & copiam, ut ſupra in 1. cap. 5. admonuit: & breuiter enumerat, repetitq; ſtrictim aliquot capita utriuſq; Copiæ, præſcribens formam breuis & copioſæ orationis.

EPILOGVS.

Ergo cui placebit Laconica illa breuiloquentia, primum Atticorum exemplo præfationibus & affectibus abſtineat, rem ſimpliciter ac ſummatim exponat. Argumentis non omnibus utatur, ſed præcipuis duntaxat: eaq; non explicatim, ſed confertim adhibeat, ut in ſingulis propè uerbis ſit argumentatio, ſi quis explicare uelit: ſit do cuiſſe contentus, ab ampli-

amplificationibus, ab asseuerationibus, à similibus, exemplis, sententijs, epiphonematis, fabulis, apologis, allusionibus, facetijs temperet, nisi quid horum ita erit necessarium, ut citra flagitium omitti non queat. Item ab omnibus figuris, quæ uel amplam, uel illustrem, uel acrem, uel ornatam, uel iucundam reddunt orationem, abstineat. Rem eandem ne alijs atque alijs formis tractet, & ita singula uerbis significantibus explicet, ut multò plus intelligatur quàm audiatur, & aliud ex alio colligi possit. Contra qui copiam sequitur, singula dilatare studebit his fermè quas dixi rationibus.

Quid utrobiq; uitandum.

At caueat uterq;, ne quod feré fit, affectatione infinitima uitia delabatur. Breuitatis amator uideat, ne tantũ hoc agat, ut pauca dicat, sed ut optima quàm potest paucissimis. Et cui placet Homericum illud θαῦρα μὺ, eidem placeat & hoc, quod protinus sequitur, ἄλλὰ μαλὰ λιγέως. Et cui probatur οὐ πολύμυθος, non prætermittat & hoc quod statim subijcitur οὐδ' ἀφαμαρτοεπὴς. Nam nihil æque conuenit breuiloquentiæ quàm uerborum proprietas & elegantia. Cui si accesserit simplicitas, facile uitabitur obscuritas, uitium, quod plerunque breuitatis studium comitari consueuit. At hîc rursum uidendũ ne frigescat oratio, dum nullis affectibus inflammatur. Proinde res ita ponetur ante oculos, ut per se nõnullos aculeos tacitè infigat animis. Tum omnia attico lepôre condienda erunt. Illud in primis

primis cauendum, ne breuitatis studio necessaria dictu prætermittamus. Contrà qui copiam petet, delectum item adhibeat oportet & uerborum, & rerũ, & figurarum. Ne rationes sint futiles, exempla parum idonea, sententiæ frigidæ, excursus æquo longiores, parúmque tempestiui, ne figuræ durius affectatæ. Quapropter ordinis ac dispositiõis summam oportet habere rationem, ne rerum indigesta turba, totus sermo perturbatus sit & confusaneus. Et ubique tædium uarietate, iucunditate, risúque leuandum. Varietas potissimum petitur à figuris, & ab eisdem iucunditas. Risus, ab his præceptis quæ tradidit Cicero. Sunt autem & peculiares partiũ uarietates non negligendæ. Proinde expediet plurimas exordiorum formulas in promtu habere. Sunt & narrationis complures modi, sunt argumentationum diuersæ formæ, neque simplex affectuum natura, sed hæc à Rhetorum præceptis petantur oportet. Admonendum hoc quoque, ne quouis in loco parem copiam affectemus. Sunt enim quædam sterilia. Verum relictis his, quæ natura copiam non admittũt, partes maximè fœcundas ac tractabiles deligamus, nisi fortè periclitandi aut ostentandi ingenij caussa libeat aliquandõ ex musca, quod aiunt, elephantum facere. Quemadmodum Fauorinus febrim, Synesius caluitium, nos stultitiam encomio, & ancoram Aldinam laudauimus in prouerbijs. Cæterum ũbi non luditur, sed res seria cum periculo agitur, ibi Rhetor

non ſtultus adhibito conſilio, copiæ modum ex utilitate metietur.

PERORATIO.

Adieceram exemplum Thematis in arctum contracti, & eiuſdem fuſius explicati, quod hic non addo, ne ſarcina maior uideatur acceßio. Liber extat ad illuſtrißimum Principem iuniorem Guilhelmum ducem Cliuenſem, titulo de Pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis.

FINIS.

EPITAPHIA AC TVMVLI, QVIBVS DES. ERASMI MORS DEFLETVR.

TVMVLI XVII. PER VITVM Coppum, Selatiſtadiũ bonas literas publice profitentem.

I.

HEi mihi quòd precibus fatales flectere diuas
Nemo poteſt, & quòd mors ſua quenque manet.
Si uitæ poſſent Graiæ Latiæque Camœnæ (net.
Tempora Neſtoreos ducere aduſque dies,

Vnus

Vnus qui Pylij superaret secula pẽsi,
Hic Desiderius dignus Erasmus erat.
Seu mores, uitámque uiri, linguámque disertam,
Seu spectes docti pondera iudicij.
Abstulit hunc terris pleno iam stamine Parca,
Viueret ut posthac liber ab inuidia.

II.

Non cineres orno, quamuis sim splendulus arte:
Sed me plus multò condecorant cineres.
Aeui me tandem consumet longa uetustas:
Illos non poterit rodere tempus edax.
Hoc uir commeruit studio, cui postera secla
Vix sunt eloquio progenitura parem.
Tum Desiderij cessabit nomen Erasmi,
Quum Rhenus nullas siccus habebit aquas.

III.

Hoc Desiderio marmor decoratur Erasmo,
Hinc noto celsi sidera adusque poli.
Rupturæ nunquam fatalia stamina Parcæ
Illi, ni superis sic placuisset, erant.
Eloquio similem non huic Germania uidit:
Nec forsan posthac est habitura parem.

IIII.

Falleris, extinctum uita qui credis Erasmũ:
Iam rursus mœstis uiuit ab exequijs.
Nec mirum, summo si Phœnici studiorum
Ipse potest uitæ reddere dona cinis.

V.

Sic uita Desiderius deceßit Eraſmus,
Oppetere eſt uita ſi meliore frui.

VI.

En Deſiderij mœſtum poſt funus Eraſmi,
Molliter hoc recubant oſſa quieta ſolo,
Fama tamen, noménque uiri durabit ubique,
Græcia donec erit, donec erit Latium.

VII.

Hoc Deſiderij ſaxo tumulatur Eraſmi
Corpus: ſed uolitat fama per ora uirûm:
Quà Scythicus Boreas, quà nubifer intonat Auſter,
Et quà tellurem cernit uterque polus.

VIII.

Hîc Deſiderij cineres conduntur Eraſmi,
Qui iunxit Latijs Attica mella ſauis.
Martia Roma ſuo quantum debet Ciceroni,
Huic tantum debet Teutona terra uiro.

IX.

Hoc Deſiderij tumulo conduntur Eraſmi
Oſſa, uiri nomen replet utrunque polum:
Hic meruit tanta Germanis laude referri,
Orator quanta Tullius Auſonijs.

X.

Hoc marmor condit defuncti corpus Eraſmi,
Qui clarus ſummo floruit eloquio.
Huic quæſitus honos ſtudijs, & fama manebit,
Gramina dum tellus, dum geret aſtra polus.

XI

XI.

Clauditur hoc tumulo defuncti corpus Erasmi,
Quem sinet haud unquam posthuma fama mori.
Ingenio quæsitus honos sine fine manebit,
Dum fuerint Graij, dum fuerint Latij.

XII.

O fati leges, ô ferrea iura sororum,
Quam nulli fas est perpetuare dies?
Vrna quiescentis cineres hæc condit Erasmi,
Fama locum nusquam, quo capiatur, habet.

XIII.

Post cineres phœnix uiuit, post funus Erasmus
Floret, & à tristi maior in orbe rogo est.
Hunc celebrant Graius, Latius, Germanus, Iberus
Et Gallus: uita est hac ratione mori.

XIIII.

In dubio est, uiuátne, an sit defunctus Erasmus:
Clauditur hoc eius pars minor in tumulo:
Pars melior cœlum lustrat, terrásque pererrat:
Pars melior uiuit, pars minor interijt.

XV.

Lacrymarum te rogo iam siste riuulos
Viator, & dulcem quietem floribus
Orna, tumulum Sabæo thure confouens.
Vixi satis: fati peregi tempora:
Non ocio, sed duris me laboribus
Vnus, quô plurimis prodesſem, subdidi.
Sic docta primum bella gesſit Palladis,
Vt me ducem mirata sit Germania,

Suum me sæpius Ciceronem dictitans.
Tandem sacris sum literis immortuus.
Hac fata lêge subire, an non est uiuere?
Rude donari nisi forsitan mori putas.

XVI.

Post cineres uiuo doctis ego nomine Graijs,
Hispanis, Gallis, notus & Ausonijs.
Eloquio per me pugnax Germania culta est,
Méque à barbarie uindice tuta manet.

XVII.

Vita me functum qui credis forte uiator,
Erras, perpetuo nomine uiuo. uale.

SYMON GRINAEVS.

Si sacris fas est urnis inscribere uerum,
Abstinet & solis manibus inuidia:
Vix mihi uix dederis, sua quem sunt non mala secla
Mirata, & uiuum quem coluêre magis.

EVSTACHIVS QVERCETANVS.

Vt musas, pulsa sub tartara doctus Erasmum
Barbarie, ingratis reddidit Ausõijs:
Ne se confectum musarum nomine sæuis
Morsibus aspiceret dilaniari, abijt.

GVLIELMVS BIGOTIVS Laualen.

Aspiciens meritis haud respondere fauorem,
Sint ubi pro meritis præmia Erasmus abit.
Si petis, hic locus est ubi degere tutus ab huius
Temporis ingrati garrulitate queat.

Ioan.

IOAN. BRESSANVS
Bergamenſis

Hoc tegitur tumulo doctiſsimus undique Eraſmus,
Qui triplicem linguam calluit egregiè:
Scilicet Hebræam, Graiam, paritérque Latinam,
Vt genuinam illi quamlibet eſſe putes.
Hic tantum ſtudijs ſtudioſus contulit orbi,
Quantum ſert Clarij fax radioſa Dei.
Quid tegitur, dixi, quem quælibet ora tuetur,
Quique oculis hominum notus ubique patet?
At tegitur corpus: ſed nomen, gloria, honórque
Clara micant, nullo deficiénque die.

N. EX BRABANTIA.

Hîc Deſiderius requieſcit Eraſmus, amarum
Qui deſiderium liquit in orbe ſui.
Mens habitat cœlo, nomen uix clauditur orbe,
Scripta uiri & mundum conteret una dies.

NICOLAVS BORBONIVS.

Lis oritur, meus eſt Germania dicit, Eraſmus:
Gallia reclamans, adſerit eſſe ſuum.
Hanc interueniens litem mala Parca diremit:
Neutrius hic ueſtrûm, ſed meus (inquit) erit.

IOANNES MORELLVS
Ebrudunenſis.

Ingenio quiſquam ſi uiuit, uiuis Eraſme:
Scripta manent ulla non peritura die.
Nam tua uel primæ relegent qui ſola iuuentæ,
Dicere cogentur, Magnus Eraſmus erat.

Gloria sit quamuis multorum tacta sagittis,
Non tamen à quoquam gloria læsa tua.
Promtius hanc fuerit linguis lacerare malignis,
Aequo uirtutes quàm superare pede.
Iam tua conuellant dictis, laudéntue: quid inde?
Stant merita & uirtus, gratia, laúsque tamen.

ALIVD EIVSDEM.

Corpus humo, superis animam, dat nomen in æuum
Lex, pietas, uirtus, Roterodame tua.

VLPIVS CISSEVS
Franikerensis.

Nosti qui requiescit hîc ad aram
Summam, marmore tectus, ô uiator?
Dicam, Roterodamus est Erasmus:
Illum mors rapuit seuera nuper
Musarum è gremio, hei dolore & alto
Musis uulnere cordis hinc relicto.
Harum nam pater & patronus ille,
Vindex, tutor erat, decus, columna.
Summo barbariæ labore pulsa,
Musas restituit suo nitori.
Sed quæ præmia tandem habet laborum?
Hæc: dulcem requiem supernus illi
Dat cum pace pater, suos & inter
Electos numerat. uale uiator.

IOANNES HVSERVS

Hîc magnus paruo sub saxo dormit Erasmus,
Orbem qui studijs suscitat usque bonis.

Inscri-

INSCRIPTIO IPSIVS MONUMENTI in primaria æde sacra inclytæ urbis Basilienſis.

CHRISTO SERVATORI S.

DES. Eraſmo Roterodamo, uiro omnibus modis maximo, cuius incomparabilem in omni diſciplinarum genere eruditionem pari coniunctam prudentia, poſteri & admirabuntur & prædicabunt: Bonifacius Amerbachius, Hieronymus Frobenius, Nicolaus Epiſcopius, hæres, & nuncupati ſupremæ ſuæ uolũtatis uindices, patrono optimo, non memoriæ, quam immortalem ſibi editis Lucubrationibus comparauit, ijs tantiſper dum orbis terrarum ſtabit ſuperfuturo, ac eruditis ubique gentium colloquturo, ſed corporis mortalis quo reconditum ſit ergô, hoc ſaxum poſuere. Mortuus eſt IIII. Idib. Iul. iam ſeptuagenarius, Anno à Chriſto nato M. D. XXXVI.

GILBERTVS COGNATVS.

Magnus Roterodamus ille noſter
Hæc quo ſecula neminem tulerunt
Maiorem, neque priſca clariorem
Norunt tempora, nec cui futura
Parem poſteritas habebit, ecce
Hoc ſub marmore mortuus quieſcit.

NICOLAVS EPISCOPIVS.

Delitiæ Chriſti fugitat ſuper æthera Eraſmus
Terricolûm infenſus fraudibus ac ſceleri.

Cedere pollutis decus hoc mortalibus ultra
Omnipotens noluit, esse suum uoluit.
Diuorum inque choro diuum uersarier usque,
Relicto terris nomine perpetuo.

IDEM.

Arteis omnigenas tentat quum Phœbus in unum
Cogere, & exemplar perficere eloquij:
Musarúmque suum quæque addit munus aceruo,
Quo parte ex omni sit decor atque nitor:
Dotibus en nobis tot cultus prodit Erasmus,
Secula cui similem nulla tulere uirum.
At gemmam eximiam uilescere rector olympi
Non passus terris, fulgida in astra tulit.

HIERONYMVS FROBENIVS.

Marmoreo iacet in tumulo modò mutus Erasmus:
Orbis enim linguam sustulit inde sibi.

EPITAPHIORVM FINIS.

Adiecimus, ne cartæ uacarent, uersus Buschij, non indignos lectione, scriptos ante annos XXX. Quod studium nostrum lectores boni consulent.

HERMANI BVSCHII PASIPHILI IN ERASMVM COLONIAM RECENS INGRESSVM.

Dic puer, Erasmum cupido quis nunciat illum
Adueniſſe mihi, quis nã hæc mihi gaudia por-
O feſtum lætumque diem, ſi uera locutus, (tat?
Si non hæc uano mendax confinxerit ore.
Quiſquis is eſt tandem, credam ne, ut uenerit ille:
Ille inquam Erasmus, cui Roterodãica tellus
Tam debet, docto ſua quàm Verona Catullo:
Quàm tribus Hiſpanis urbs inclyta debet alumnis,
Auſonio fundata duci: quam Bilbilis alta,
Cornipedum gregibus fœcunda, & fortibus armis
Ingenio debet culti celeberrima ciuis:
Quam cantata ſuo debet Meuaniã uati:
Parthenopéque ſuo, ſontes qui carmine Thebas
Eruit, & ſiluas plectro modulatus eburno, (lem:
Magnanimum in Troas, & in Hectora mouit Achil

Quam

Quam Sulmo tibi Naſo tener, quem Barbarus Iſter
Braccatique Getæ, cygnea uoce canentem
Triſtia, fleuerunt: quam Mantua priſca Maroni,
Quo duce Muſarum meruit domus ipſa uocari,
Et fama pulſare polos, & ſidera laude,
Omnéque uenturæ ſpacium ſuperare ſenectæ.
Eſt ne ille Eraſmus, modo quem ueniſſe loquuntur,
Ipſis qui ſolus poſſit certare Latinis?
Quem probat, extollítque uirum clariſsimus ordo
Pontificis Romæ, qui limina ſcandit in oſtro,
Quémque per Italiam paſsim lectiſsima turba,
Cordáque ſuſpiciunt doctiſsima Graiugenarum,
Qui ſibi quæſiuit nomen, per Gallica regna,
Hiſpanúmque Tagum, per Hybernica littora, pérq;
Orchadas, & noſtro ſemotos orbe Britannos,
Terrarum reges, quem ſuluo munere iungunt,
Conciliántque ſibi, quo fante, ignobile ducunt
Eloquium Pyliæ quod fluxit ab ore ſenectæ.
Quo citharam tendente, & Apollinei peragente
Officium uatis, ſtupet ipſe ad carmina Phœbus:
Calliopéque ſui gemitu reminiſcitur Orphei.
Venit, certa fides, uidi, uidi, ipſa cupitum
Optatúmque mihi toties, occurrere uultum
Hoſpitis egregij, dextrámque amplexus inhæſi.
O blandi mores, ô fandi exacta facultas,
Quanta uetuſtatis, linguæque ſcientia docto,
Quanta utriuſque uiro, quantum diſceſsit ab illo
Barbaries, ruditas, ignaua ſuperbia, liuor

Degener

Degener, imò alios multos secum attulit ipse
Diuersos comites, grauitas sine nube renidens
Ingenuúsque lepos, Pitho, Charitésque sorores,
Pegasidésque omnes, gressus comitantur euntis.
Florenteisque rosas gestans, posita ægide Pallas.

*
F
* I N I *
S.
*







